

~~26. a. 1.~~  
~~352~~




*Del Collegio de la Comp<sup>a</sup> de S<sup>ta</sup> de Granada.*  
**JACOBI R-8679**

**GRETSERI**  
**SOCIETATIS IESV**  
**THEOLOGI, LIBRI**  
**QUINQUE APO-**  
**logetici,**

*PRO VITASIGNATII LOIOLAE,*  
*FVNDATORIS SOCIETATIS*  
*IESV, edita à PETRO RI-*  
*BADENEIRA.*

**C O N T R A**  
**CALVMNIAS CVIVSDAM**  
**CHRISTIANI SIMONIS LI-**  
**THI Miseni Caluinistæ.**



Cum gratia & priuilegio Cæs<sup>ar</sup>eæ Maiestatis.  
**INGOLSTADII**  
Ex Typographia ADAMI SARTORII.  
*Anno Domini M. D. XCIX.*

*Del Collegio de la Comp<sup>na</sup> de S. le Grande.*  
**JACOBI R-8679**

**GRETSERI**

**SOCIETATIS IESV**

**THEOLOGI, LIBRI**

**QUINQUE APO-**

**logetici,**

**PRO VITASIGNATII LOIOLAE,**

**FVNDATORIS SOCIETATIS**

**IESV, edita à PETRO RI-**


**BADENEIRA.**

**C O N T R A**

**CALVMNIAS CVIVSDAM**

**CHRISTIANI SIMONIS LI-**

**THI Miseni Calvinistæ.**



**Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.**

**INGOLSTADII**

**Ex Typographia ADAMI SARTORII.**

**Anno Domini M. D. XCIX.**



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO MAXIMILIANO, CO-  
MITI PALATINO RHENI,  
vtriusque BAVARIAE  
Duci, &c.

*IACOBVS GRETSERVS SOCIE-  
TATIS IESV, GRATIAM  
& felicitatem à Deo precatur.*

**A**POLOGIAS scribere, Se-  
renissime Princeps, res tam  
trita iam olim fuit, & hac e-  
tiam est ætate, vt omnia a-  
pologiis redundēt. Causſam aliam non  
reperio, quàm multitudinem calumni-  
atorum, qui omnibus ſeculis fœcundo  
próuentu extiterunt; & vel veram do-  
ctrinam, vel hac relicta, veræ doctrinæ  
professores & propugnatores falsis cri-  
minationibus oppressum ierunt. Nam,  
vt præclarè ait S. Cyrillus Alexandrinus:

S. Cyril.  
Apolog. ad  
Theodos.

*Quando iniquitatis pater Satanas, Ecclesis, & iis, qui rectam fidem habent, laqueum substruere conatur, & Apostolica & Evangelica fidei traditionem per suos satellites adulterare audet: Vbi qui seruantes sunt recta fidei; veritatem illi opponunt, & iis resistunt, qui quæ recta sunt peruertunt, Christum habentes belli socium & auxiliatorem, qui ipsa veritas est, tum scilicet omnis mendacij pater multos, qui mentiantur, excitat; tum ferox illa sycophantarum copia illis, qui pie viuere volunt, aduersatur: quibus proinde præter fas iusque furentibus, & ad veritatis euersionem grassantibus necessarium est apologias opponere, vt earum obiectu, quasi clypeo, repellantur & disiciantur accusationes & sycophantiæ. Hoc consilio pro Christianis generatim apologias ediderunt Tertullianus, Iustinus Martyr, & Athenagoras. Pro se nominisque sui fama & existimatione, tres apologias contra Arianorum perpetuas obtreccationes publicauit S. Athanasius, quarum primam ad Imperatorem Constantium misit. Totidem scripsit S. Hieronymus, vt se à Ruffini*

ma-

maledictis purgaret. Eodem scribendi genere se nomenque suum defendere coactus est apud Theodosium iuniorum S. Cyrillus Alexandrinus, cum à Nestorio & Nestorianis grauissimis calumniis passim traduceretur, vt præteream duas alias, quas pro sua, vel potius Catholicæ fidei doctrina aduersus procaces hæreticorum linguas idem euulgauit. Eadem caussa, quæ veteribus illis ad apologias scribendas occasionem dedit, impulit itidem Societatis nostræ homines, vt varias apologias in lucem darent, quibus partim Orthodoxa dogmata, partim ipsum Societatis nostræ institutum à maledicis hæreticorum vocibus vindicarent. Hactenus enim rectæ fidei aduersarij vel scripta nostrorum, vel totum Ordinem variis mendaciis exagitarunt, & infamare conati sunt, impulsu eius à quo originem ducunt. *Vnaqueque enim hæresis, ait sanctus Athanasius, commentum sui parentem habet eum, qui ab initio peruersus, & homicida, & mendax fuit.* At verò nuper tertiam rationem contra nos pugnandi ex-

S. Athan.  
orat. 1. cōtra  
Arianos.



cogitarunt. Exstitit enim de numero Calvinistarum quidam Simon Lithus, qui relicta doctrina & Societate, vitam beatæ memoriæ Patris nostri Ignatij calumniis proscindendam sibi delegit: ratus fortassis, fore, ut si basin & quasi fundamentum instituti nostri subrueret, cætera sponte sua corruerent. Nec admodum miratus sum hominis huius impudentiam. *Si namque Christo contradixerunt*, inquit sanctus Cyrillus, *quæ nostri habenda erit ratio? Et si contra quemvis Sanctum structæ sunt calumniæ, quomodo minimi nos effugeremus? Nihil non audent*, ait idem Cyrillus, *qui heretici sunt. Consuetam enim malitiam habent, nec alicuius faciunt, etiam si calumniæ arguantur; ac sæpenumero contra quosvis mentiti deprehendantur; licet sit præclarus quisquam inter eos, quos accusant.* Expertus hæc scripsit sanctus Cyrillus. Experiuntur idem quotidie, qui cum hæreticis agunt. Quod si ullus est, à quo nihil candoris & ruboris expectandum sit, si mendacij redarguatur, & conuincatur, is iste Lithus est. Cuius criminationes non

S. Cyrill.  
loc. cit.

non propter ipsum, sed propter alios refellendas suscepi hac apologia: quam cur ad Serenitatem vestram, Serenissime Princeps, mittam, longa oratione non eget. Plures causæ suppetunt, siue Academiam, in qua doceo, siue Societatem, in qua viuo, spectem. Academia Serenitati vestræ, tanquam ei, à qua, cum hic litteris operam daret, plurimum ornamenti & splendoris accepit, nunc verò ut Principi & Mæcenati suo benignissimo, omnes ingenij & laborum fructus iure offert & consecrat. At nostra hæc Societas eidem ut patrono eximio, meritò omnia in acceptis refert, & quibuscunque modis potest, grati animi significationem edit, ob tot in nostram familiam Serenitatis vestræ merita; quæ cum amplissimo Principatu hanc etiam prouinciam sibi demandatam credit, ut exemplo Serenissimorum Maiorum proauui, & parentis Ordinem nostrum ornent ac tueatur. Et quamuis munus, quod Serenitati vestræ offero, impar sit

EPISTOLA

tantis beneficiis à Serenitate vestra in nos plena manu collatis, non dubito tamen gratum fore, cùm aliis nominibus, tum quia eius defensionem continet, à quo proauus & auus Serenitatis vestræ, pro Academia Ingolstadiensi Professores datis literis postularunt. Exstant adhuc literæ Serenissimi aui ALBERTI ad IGNATIUM, & vicissim IGNATII ad Principem ALBERTUM, paucis hebdomadibus ante obitum IGNATII datæ. Ex quibus liquiddò apparet, quodnam fuerit maximi Principis de IGNATIO iudiciũ, & quæ reuerentia & obseruantia IGNATII erga ALBERTUM, totamque stirpem Bauaricam. Mihi quidem Ignatius suis illis literis tam exiguo tempore ante decessum ex hac vita scriptis, curam Societatis, præsertim Collegij Ingolstadiensis, de quo instituendo in epistolis illis vltro citroque missis agebatur, serenissimo ALBERTO eiusq; posteris, quasi testamento, reliquisse videtur; nec vana spe, vt euentus hucusque

DEDICATORIA.

usque docuit, & futuris itidem docebit temporibus, vestra quoque Serenitate adnitente, & vt vltima IGNATII voluntas perficiatur, elaborante, ita viuat & floreat S. V. ditionesque suas veteri religione illustres, & pace publica quietas multos annos feliciter gubernet. Ingolstadij, Calendis Februarij, ipso sancti & Magni martyris IGNATII festo. Anno Domini 1599.





# AD CHRISTIA- NUM LECTOREM.

Theodor.  
præfat' in  
suos Dia-  
logos.



VNT nonnulli, inquit Theodo-  
retus, qui cum nec ex genere,  
nec ex eruditione, nec ex re-  
bus præclarè gestis vlla laude  
dignam claritatem habeant, improbis  
studiis insignes euadere contendunt.  
Talis erat ille Alexander ærarius, qui  
cum nihil in se egregium & suspicien-  
dum haberet, non generis nobilitatem,  
non dicendi facultatem, non regendi  
populi artem, non ducendi exercitus  
scientiam, non rerum in bello fortiter  
gestarum commendationem, sed so-  
lummodo sordidam & illiberalem ex-  
erceret artem, ex sola sua aduersus di-  
uinissimum Paulum infania notus ex-  
stitit. Semei quoque homo planè ob-  
scurus, & omnino illiberalis, ex sua ad-  
uersus diuinum Dauidem insolentia, cele-

2. Tim. 4.

2. Reg. 16.

celeberrimus euasit. *His si annumerem, amice Lector, Christianum quendam Simonem Lihum Misenum Caluinistam; nemo, ut opinor, æquus rerum astimator factum meum mihi vitio vertet: Cum enim antehac nefando quidem mundus audisset; quisnam esset iste multorum nominum sine Christo Christianus Misenus: Ecce tibi repente ex tenebris & contemptibus in lucem exiit: aduersariumque non aliquem detriuo, sed Iesuitarum parentem Ignatium Loiolam sibi depoposcit, in quem mendacis, calumniis & criminationibus armatus incurreret; famamque quam benefactis non posset; maledictis sibi compararet. Edidit ergo Scholia in vitam Ignatij, scriptam aliquot abhinc annis à Petro Ribadeneira societatis nostræ Presbytero; & ut omnibus constaret, non Scholiasten, sed calumniatorem esse, nec nomen urbis, nec typographi, nec officina typographica apposuit, ut prudens lector ex ipso libri aspectu statim colligere queat, quidnam sibi de ipsis notis & Scholiis polliceri debeat; in quibus refellendis num temporis & otij aliquid collocarem, diu multumque hæsitauit: Occurrebat exemplum Seruatoris nostri,*

PRÆFATIO

Orig.lib.  
1. contra  
Celsum.

*stri*, qui, *ut ait Origenes*, falsis grauatus testimoniis obticuit, & ad crimina obiecta nihil respondit, sciens tota sua vita & actis inter Iudæos spectatis, melius falsitatem delationis coargui, quàm vllis verbis, aut defensionibus. Et cum ex Pilato audiisset illud: Non audis, quàm multa aduersum te dicant testimonia; non respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer. Erat enim reuera dignum, *inquit Origenes*, quod quiuus vel mediocriter prudens miraretur, eum, qui criminibus & falsis testimoniis argueretur, cum posset se defendere, & approbare suam innocentiam, atque etiam totius vitæ facta, & diuinas virtutes denarrare, quò Iudici viam ad mitiorem sententiam faceret; adeò nihil horum curasse, vt strenuè accusatores contempserit.

*Occurrebat deinde, animoque obuersabatur ipse Misenus, homo ad conuicia factus, nihilque credere solitus, præterquam, quod lubet, & quoad lubet; qui vitæ religiosa prima elementa è medio tollit, & sannis exci-*

AD LECTOREM.

*excipit, & ad ea, quæ spiritus sunt, pecudis instar sese habet, ut meo quidem iudicio Parmenides & Melissus rerum naturalium principia inficientes, non videantur tantum desipuisse, quantum desipit iste, qui Ribadeneira de Ignatio historias aliter non refutat, quam his vel similibus verbis: Fabella est, mendacium est. O impudens mendacium. O nebulones, O Thrasones: O Impostores: Credat, qui volet. Hoc ex legendis petatum est (ita enim Hereticus historias Sanctorum nominat) quomodo hoc fieri posset? Ethnici idem fecerunt. Hoc nullo teste firmatur: Si testis proferatur; statim exclamat: nescimus quis fuerit, mendax est, Hispanus est. Adducatur Italus. Si Italus veniat, Germanum poscit. Si Germanus compareat, in promptu est illud: Iesuita est, aut fautor Iesuitarum; aures obturat, testimonium repudiat. Quid cum hoc homine agas? Certè & labor irritus, & nullus effectus est, inquit præclare S. Cyprianus, offerre lumen cæco; sermonem surdo; sapientiam bruto: cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus*

S. Cypria.  
ad Deme-  
trianum.

furdus audire. *Quid cum hoc homine agas, cui seu canas, seu lamenteris: semper parata est calumnia, quæ sublati Ignatij, & Ribadeneira nominibus, & pauculis quibusdam circumstantiis, quæ ad nos proprie spectant, in quosuis alios ab impudente quopiam Sycophanta conici possit. Quis enim unquam scriptor tam probata fidei fuit, quis Sanctus tanta sanctitatis laude claruit, in cuius monumenta & vitam nequeat maledicus quispiam, virtutisque osor talia edere Scholia, qualia euomuit Misenus in vitam Ignatij? Scripsit sanctus Hieronymus vitam sancti Pauli Eremitæ, sancti Hilariionis, sanctæ Paulæ Romanæ; sanctus Athanasius vitam sancti Antonij, Theodoretus vitam Iacobi, Iuliani, Simeonis, plurimumque miraculis & virtutibus clarissimorum Anachoretarum. Quid expeditius, quàm ut prodeat vel ipse Misenus; vel Miseno similis calumniator, arguatque Auctores istos mendaciæ, impostores & seductores appellet tam eos, qui scribunt, quàm qui scribuntur; quid factu proclinius, quàm ut rideat miracula, fabellas vocet, superstitiones ingeminet, Idololatriam*

*triam crepet. Exiguus sanè labor iste erit homini perfricta frontis & impudentis oris, cui totus cordis thesaurus in lingua situs est; quique in animum nihil induxit credere, nisi quod velit. Quo fit, ut ne ipse Sanctus Sanctorum Christus, Saluator noster, horum maledicas linguas vitare potuerit, nec Apostoli; nec vetustiores illi Moyses & reliqui Propheta: quorum res gestas, quantis conuiciis prosciderint, contumeliosisque affecerint Celsus, Porphyrius, Iulianus, Hierocles, & id genus alij, non ignorant illi, qui antiquorum patrum lucubrationes non ignorant.*

*Verumenimvero licet hæc me ambiguum redderent; num pro veritatis defensione cū isto Miseno manus conserenda essent, aliæ tamen non pauca rationes omnem dubitationem mihi exemerunt, & ut aduersarij petulantiam & vanitatem quamprimum detegerẽ, penitus perpulerũt. quarũ prima antiquorum exemplũ, qui nullum aduersariũ responso sunt dedignati, qui quoquo modo detrimenti aliquid orthodoxis procreare posset. Hac causã permotus Origenes refutauit Commentarios Celsi, refutatione alioqui indignos. Quia fieri potest, inquit ille, ut in vulgo fide-*

PRÆFATIO

fidelium reperiantur aliquot, quibus periculum immineat à scriptis Celsi, nisi in veritate fulciantur, apologia petulantiae eius confutatoria, decreui tua iussa capeffere, transmissoque ad nos commentario respondere. *Altera, pietas & obseruantia in parentem optimum Ignatium, cuius in disciplina, cum Dei beneficio verfer, omnino putauì hoc ei à me præstandum, quale quale, reuerentia & amoris argumentum. Quis enim est incircumcissus iste Philistæus, qui tanto supercilio, nulla probabili ratione instructus, euertere contendit totam illam Ignatij vitam tot annis sanctissimè actam, tot rebus supra natura cursum & ordinem nobilitatam, nec ab hominum memoria remotam, sed hoc nostro seculo ante quadraginta tres annos felice fine terminatam? cuius testes non pauci hodieque supersunt in Italia & alibi: qui Ignatium familiariter nouerunt, & multos annos cum eo vixerunt; ex quibus & ego nonnullos vidi, & in his P. Paulum Hoffæum, & eum, qui nox ita pridem ex hac vita migravit, P. Petrum Canisum. Tertia, quia ipsemet Misenus refelli optat, imò & Thraſonicis vocibus*

AD LECTOREM.

*bus efflagitat. Prouocat enim omnes Bellatminos, Fonsecas, Posseuinos, Busæos, Gregorios de Valentia; vt respondeant, notationesq; in vitam Ignatij falsitatis redarguant. At opus non est, vt magni illi viri in arenam cum tam vili antagonista descendant, obscurior est Misenus, quàm vt congressu suo eum illustrare debeant. Mecum igitur contentus sit, faciam vt Dares iste Entellum non desideret, adiutus cū primis diuina ope, ipsiusque apud Deum precibus Ignatij.*

*Quia verò ex Sanctorum Historiis; quas ipse lugendas vocat, nihil aduersus se adferri cupit, quamuis hosti mos gerendus non sit, si præscribat, quibus armis vinci, aut interfici velit; Parebimus tamen cupienti; & ex inferioris aui scriptoribus nihil promemus, sed tantum ex antiquioribus, vt ex S. Gregorio Nysseno, ex S. Athanasio, S. Hieronymo, S. Ambrosio, Possidonio, S. Gregorio Magno & Theodoretò: quorū historias si itidem Lugendas vocare voluerit, tum quod de se & Heluidio dixit Hieronymus, dicam ego de Miseno & Ignatio. Miseni conuicia gloriae fore Ignatio; cum eodem ore, quo*

S. Hier. in fine libri cōtra Heluid.

PRÆFAT. AD LECT.

sanctissimis illis viris detrahit, Ignatium laceret, & caninam facundiam recētor seruus Domini patiat; quā antiquiores illi patiuntur. *Extra historiam potissimum vsi sumus testimoniis Origenis & Tertulliani, ut ostenderemus, nouum istum calumniatorem simillimum esse vetustis illis Christianæ religionis criminatibus; Celfo videlicet Epicureo, quem Origenes doctissime refutat; & aliis Ethnicis; quorum criminationes generatim in suo Apologetico refellit Tertullianus, à quibus iste noster bonam partem suarum calumniarum seu sciens seu ignorās accepit, ut proinde in priscis illis impostoribus nouellus iste iam dudum non modo sit depictus, sed & egregie refutatus.*

680



EPL



EPIGRAMMATA MISENI NON-  
NIHIL PER PARODIAM IMMVTATA,  
& ad Auctorem remissa.

I.

In urbem Romam.



*Roma caput mundi fuit olim fortibus armis,  
Nunc populos Vera religione regit.  
Non hoc signauit Veterum successio Regum  
Marticola primi sacricolaque Numa.  
Sed Superum nutu, quidquid non possidet armis  
Roma noua, id totum Religione tenet.*

II.

Ordo Caluinistarum loquitur.

*M*E fundat & firmat perustus stigmatibus  
Caluus, Cmadus ornat, ex his assumpta,  
Quantum boni sperare de me debeas.  
Si fors an ambigis, licet Gallos roges.

Beza.

Auctor in sectam Caluinisticam.

*E*Rrorum foueat quantum chaos impia secta bas  
Demonstrent alij, mi docuisse sat est:  
Quod nihil in terris existat sanius isto,  
Nec magis insulsi pectoris Hæretico.

Ad Lithum.

*H*Oc Lapidis nomen tibi si imposuere parentes  
Pra tibi saga fuit mater & ipse pater.  
Et metamorphosin præcognouere futuram  
Vt lapidem indueres Gorgonis ore a. l. b. c.  
Qui nullo prodit mendacia mille rubore,  
Hic riget infami Gorgonis ore Lapis.

APPRO-



APPROBATIO D. VICEDECANI  
FACULTATIS THEOLOGICÆ

*in Ingolstadt.*

**H**I quinque libri Apologetici B. m. P. IGNATII LOIOLÆ Societatis IESU parentis vitam, à R. P. PETRO RIBADENEIRA editam, non minus grauius & eruditè defendunt, quàm à mendacibus Simonis Lithi Sacramentarij Calvinistæ calumniis vindicant. Cùm itaque præter historiæ veritatem, quam solidis argumentis asserunt ac probant, variam eruditionem luculentamq; orthodoxorum dogmatum doctrinam contineant, magno Reipublicæ Christianæ commo-  
modo in lucem prodibunt.


PETRVS STEVARTIVS *Leodius; Theol.  
D. & Professor Ordin. Collegij Theologici  
Ingolstadtij hoc tempore Prodecanus.*

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESU PER  
*superiorem Germaniam.*

**H**ANC Apologiam pro vita P. N. b. m. IGNATII, Authore P. IACOBO GRETSERO, Societatis nostræ Theologo, à tribus Patribus item Theologis visam & probatam, ego OTHO EYSENREICH, eiusdem Societatis per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate mihi ab admodum R. P. N. Præposito Generali P. GLAVDIO AQUAVIVA facta, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & sigillo munitum dare volui. Monachij. 4. Ianuarij, Anno Salutis 1599.

OTHO EYSENREICH.

APOLO-



APOLOGIÆ

PRO VITA  
SIGNATII  
LOIOLÆ

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

*Quæ fuerit causa scribendi Miseno.*

**Q**VM viri prudentis, iamò hominis, sit, nihil temerè & sine ratione aggredi, prudenter admodum Misenus facit, quòd Lectori causam explicat, cur ad has in vitam Ignatij nostri notas scribendas accesserit. *Ante annos quatuor, inquit, cum verba fierent de atrocissimo facinore, in ipsam Galliarum Regem admissò, ab adolescentulo quodam Gallo, Iesuiticæ schola discipulo, non potui non dubitare, quòd suspicarer constanda inuidiæ causa eiusmodi consingij in Sodalitium illud. Meritò dubitasti, si dubitasti, assensumq; cohibuisti, cum quotidiana experientia discamus, famam non tam veri, quàm falsi*  
A esse



Tertul. A-  
polog. c. 8.

esse nunciam; *Natura fama omnibus nota est. Vestrū est*, inquit Tertullianus, alloquens Echnicos; *Fama malum, quo non aliud velocius ullum. Cur fama malum? Quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? qua ne tum quidem, cum aliquid verū adfert, sine mendacij vitio est, detrahens, adiciens, demutans de veritate, vt proinde leui ingenio eum esse oporteat; qui quosuis rumusculos pronis auribus captat, & proniore adhuc animo approbat. Ignosces tamen, si vt tu de Gallicana illa fama dubitasti; ita ego de dubitationis tuæ causa dubitem. Ais, te dubitasse, quod suspicaveris hac confingi inuidia sodalitis huic cōflandæ causæ. Suspitor te non causam, vt causam assignasse, Sophistarum more; nolo enim dicere, more mendacium: norunt omnes, quàm secundos & faciles auditores habeant inter Caluinistas & Lutheranos omnes illæ fabellæ; quæ Iesuitas, Iesuitarūque Ordinem traducunt, &, vt nullam penitus verisimilitudinis speciem habeant; verisimillimæ tamen, imò verissimæ vobis videntur vel hoc nomine; quod ad infamiam Iesuitis, vestro iudicio, conciliandam faciant. Dabis ergo veniam: si hoc loco improabilia & vestræ naturæ aduersa narranti, vel fidem derogem: vel inter vtrumque compresso assensu, vel dissensu pendeam; præsertim cum videam te, te ipso teste, ita dubitasse, vt ad dubitationem eximendam, non multis argumentis, sed eadem fama duntaxat iterata opus fuerit: *Vix*, inquis, *Museum ingressus fueram, cum ex amicis quidam ad me venis cum chartulis nonnullis continentibus promulgationem sententia**

*via à supremo Regio iudicio, quod Parisiis est. lata, tum de Sicarij illius vltimo supplicio, tum de Iesuitis toto regno exterminandis, propter grauissimas causas in acerrima accusatione, quæ addita erat, expressas. Magnas certè gratias debes illi tuo amico, qui te cuiuscemodi dubitatione liberauit, quæ fortassis te non minus exercuisset, quàm Aristotelē exercuit dubitatio de reciprocis Euripi fluctibus; vel Homerū cura illa de grypho à piscatoribus proposito. Annon Pythagoram imitatus Hecatomben immolasti, ob tam abditam veritatem tam feliciter exploratam? Sed cedo Misene; an credis omnia, quæ quoquo modo chartis illinuntur? An nulla figmenta & mendacia scriptis, vel iam prodita fuisse, vel in dies singulos prodi existimas? An pro certo veritatis argumēto hanc collectionem habes: *Scriptum est, rypis expressum; ergo verū est, ergo credendum sine vltiore disquisitione. Vtinam id ita esset; quàm multa figmentorum millia, imò hæc tua in vitam P. Ignatij commenta, apud inferos, vnde exstiterunt, sepulta remāfissent.**

Sed esto, te non esse deceptum, postquam decretum illud Curia Parisiensis legisti; illud ex te scire cupio; quænam sint illæ grauissimæ causæ in acerrima accusatione, quæ addita erat, expressæ? Si *Philippicā* Antonij Arnaldi intelligis, quasi decretum Parisiense mentionem eius fecerit; & propter illam nos eiecerit, parum bona fide agis: Non enim propter Arnaldi inuectiuam Parisiensis Curia nostros emigrare iussit; sed propter factum Schatelij. Prouoco ad illud decretum; ne verbū quidem de Arnaldi criminationibus

nibus in eo reperies; notumque est Arnaldum in Julio in nostros debacchatum, tanquam calumniatorem repulsum, & à dementissima actione iustum desistere. Si per acerrimam accusationem non ipsum decretum Parisiense; sed Arnaldi inuectiuam, simul cum illo decreto ab hæreticis excusam significare velis; fateor, Inuectiuam illam Arnaldi esse acerrimam; non solidis & veris argumentis, sed mendaciis, calumniis & criminationibus; in quo vno acrimoniæ genere vos cum primis excellitis. Sed de Arnaldi Philippica nunc non est dicendi locus: Et vt esset; actum agere nollem. Qualis sit Arnaldus cum sua declamatione, satis demonstravit iam dudum Franciscus Montanus, Gallicè editus Tolosæ, latinè Ingolstadij. Refuta si potes, & tū demum tuum Machiavellicum Arnaldum laudibus extolle. Fortassis per acerrimam accusationem ipsum decretum Parisiense indicare voluisti: At decretum & sententia iudicis, etiam vehementissima & acerbissima, non est accusatio; nisi forte apud te sententia lata & accusatio nihil differūt; Deinde, vt sententiam cum accusatione te confirmare sinamus; Quænam, oro, est illa acerrima in illo decreto accusatio? Ait decretum: *Quendam ex Iesuitarum discipulis Regi necem machinatum esse.* Hæc accusatio, si accusatio est, quomodo magis ad nos pertineat, quàm ad te pertineret, si verè dicerem; quod fortassis verè diceretur, quendam ex Miseni discipulis ob latrocinia in rotam, vel ob furta in cruceem actum esse; equidem non intelligo. Quod si vltèrius cōtenderem; te ob discipulum furem, latronem, incendiarium, aut sicarium; totius iuuentutis corruptorem,

ruptorem, quietisq; publicæ perturbatorem esse, tum tu verò grandem iniuriam tibi fieri conquereris; professorem bonarum liberalium artium te esse discitans, non magistrum improbitatis & scelerum. Patiaris ergo eadem nos vti defensione: qua tu, vel tua conscientia teste, vteris, si huiusmodi calumnia in te conicere-

Et quæ tandem tua impudentia est, tuique similis Calvinistæ, qui Arnaldicæ inuectiæ in Germania excusæ, appendicæ ad Principes Germaniæ appendit, hoc vnicò argumento de nobis quasi prostratis & deuictis trophæum erigere & triumphare velle? *Iesuitarum discipulus Regem occidere voluit: Iesuita igitur tanquam corruptores iuuentutis, perturbatores quietis publicæ, inimici Regis eiusque Imperij, ex Gallia eiiciendi sunt.* Bone DEVS, quis securus erit, & extra teli iactum, si hoc genus argumentandi semel introducatur in orbem? Iisdem enim verbis tibi respondebo; quibus olim alteri Calvinistæ ad omnia tibi gemello quidam respondit. Primum enim quo iure Magistri & Doctores luere coguntur malefacta suorum auditorū? Difficile sanè sustinent proninciam, ne dicam omnino intolerandam, si crimina discipulorum in ipsos expetant. Deinde cur præceptores Iesuitæ soli in crimine? An non aliis præceptoribus vsus est Schatelius proximè, antequam facinus aggredere, & quidem per semestre & amplius: quid, quæso, incommodi subierunt propter discipuli delictum? *Cursum Philosophicum, inquit isti, confecit in collegio Parisiensi.* At apud alios iurisprudentiæ

studium iam inchoarat: & quid in hoc vel in illo piaculi? aut si quid in illo, cur non etiam in hoc? cum æquè aliis Professoribus ac Iesuitis operam dederit? In cursu Philosophico nusquam docetur, ius fasque esse trucidare Reges: multò minus Reges Christianissimos: si Ioannes Gueretus præceptor Schatelij alicubi in cursu hoc asseruisset, utique laqueum & rogam non effugisset, cum Ioannes Guinardus Professor Theologiæ sanguine suo quæstionem illam soluere debuerit; *Utrum priuato liceat interficere tyrannum;* quæ hætenus impunè Theologiæ & Iuridicæ scholæ omnes, variis argumentis in utramque partem propositis, posuerunt & discussuerunt, & in posterum quoque ponent & discutient sine cuiusquam iniuria, cum quæstio versetur in thesi, non in hypothesi.

*At prodit Schatelius ex Iesuitarum disciplina.*

Quid tum postea? Dummodo facinus meditatum in Iesuitarum disciplina non didicerit, vel dicant isti, in qua schola, in qua parte Philosophiæ à suo Magistro audierit, licere violentas manus adferre Galliarum Regi Christianissimo? Dum distinctè & partitè loca & nomina Professorum, qui isthæc tradiderint, non edunt, satis ostendunt isti, se veritati non lucem, sed mendaciam & calumniæ latebram quærere. Prodit Indas ex disciplina Christi; sed in disciplina Christi non didicit prodere Christum. Hæretici prodeunt ex disciplina Ecclesiæ; sed in disciplina Ecclesiæ impietatem & perfidiam non discunt. Ut igitur disciplina Christi scelerata non fuit propter proditorem Iudam; nec disciplina Ecclesiæ propter tot transfugas & desertores; ita nec disciplina Iesuitarum

execeran-

execeranda & obominanda est, quod vnus disciplinæ illius alumnus extiterit, qui tam audax facinus tentarit. Nullusne vnquam latro, homicida, parricida, sicarius, Assassinus ex disciplina Academiæ Parisiensis prodit; ex disciplina, inquam, illius scholæ, quæ tot millium iuuenum ab aliquot annorum centuriis mater & institutrix fuit? An non ipse Schatelius ex disciplina Parisiensis Academiæ extitit, eo ipso tempore, quo Regem designauit ad eadem? Num propterea disciplina & institutio Vniuersitatis illius latrones, homicidas, parricidas, sicarios, Assasinos format & parit? Num propterea exterminantur & proscribuntur, & equuleis & catæstis discenduntur & discruciantur Professores, & horum talium Magistri? ne fando quidem tale quid antea actis temporibus auditum est: Cur ergo solis Iesuitis crimini datur, de quo alij ne appellantur quidem? Quid enim ad professorem publicum & Academicum, si discipulus sceleratus aut in rotam, aut in rogam, aut in crucem agatur? Quos clamores sustulissent hæretici Germani & alij, si aliquis ex Iesuitarum societate infidias Regi struxisset, cum propter discipulum Iesuitis ad eum insultent.

Ob factum fratris Clementis pulsi non sunt ex Gallia, Ordinis D. Dominici patres, nec violatæ Maiestatis rei proclamati. Si Iesuitarum quispiam tale quid designasset, non sibi tantum, sed vniuersis, quotquot in Gallia degebant, periculum creasset. Certè aduersarij solo exilio contenti & satiati non fuissent. Cur igitur Iesuitarum conditio deterior est ob discipuli culpam, quàm aliorum ob factum non ab externo, sed à

domestico; non ab auditore, sed ab ordinis con-  
forte susceptum? Aut si iure omnes puniri neque  
possunt, neque debent vnus ob noxam, vt certè  
non possunt: cur Iesuitis idem ius, maiore iure  
non obtingat?

At Iesuitæ conscij fuerunt futuri facinoris, inquit  
iste hæreticus: imò à cōfessario iussus est scelus hoc ag-  
gredi: Sed mentiri more suo istum hæreticum,  
testatur in primis ipse Schatelius, qui ad extre-  
mum vsque spiritum, inter grauissima tormen-  
ta, constantissimè semper confessus est, se à ne-  
mine ad hoc inductum, sed sponte sua, nemine  
conscio, solo Deo teste, hoc consilium suscepisse,  
in qua confessione vitam quoque per acer-  
bissima supplicia finiit: vt quiuis legere poterit  
in historica narratione, quæ hac de re Augustæ  
Vindelicorum Anno M. D. XCV. edita est, ex-  
cerpta ex scriptis & sermonibus eorum, qui hæc  
omnia coram spectarunt. Secundò, calumniam  
hanc & mendacium redarguunt ipsi quæsitores,  
& rerum capitalium vindices, qui præceptorem  
Schattelij, & Rectorem Parisien. & alios liberos  
abire permiserunt: quod certè non fecissent, si  
vel leuiter facti huius Iesuitæ fuissent conscij,  
præsertim cùm Ioannem Gueretum, Magistrum  
Schattelij, ita excarnificarint, vt ex tormento-  
rum immanitate mortuo similis videretur. Ita-  
que non clementia Iudicum, sed innocentia eos  
absoluit, & ex vinculis dirisque quæstionibus  
eripuit. Tertid, mendacium hoc refellit ipsum  
Senatusconsultum seu Arrestum, supremæ Curie  
contra Schattelium recitatum ab isto hæretico:  
Vbi enim in eo arguuntur Iesuitæ, tanquam cō-  
scij

scij vel auctores & suasores facinoris? Quis ve-  
rò credat Iudices in suo decreto non expressu-  
ros fuisse speciatim, & quidem litteris manuscu-  
lis, si Iesuitæ vel conscij vel suasores fuissent?  
Nam quod initio Arresti dicitur, Schattelium  
damnatum, auditis etiam interrogationibus &  
cōfessionibus Ioannis Guereti, Præceptoris di-  
cti Schattelij; id non obstat: quia ex Guereto  
nihil aliud, quantumuis summis cruciatibus  
adhibitis, extundere potuerunt, quàm se fuisse  
in Philosophia Magistrum Schattelij, & omni-  
um illius machinationum penitus ignarum; id  
quod verum erat: si quod volebant & quære-  
bant, quæsitores exculpissent; Gueretus vtiq;  
crudeliore supplicio, quàm Guinardus, vitam  
terminasset.

Hæc ille biennium abhinc & eo amplius, cui In appen-  
dam Caluiniæ. Eadem tibi nunc dicta existi-  
mes licet. Quod autem sub finem libri, irrifus ta ad Apo-  
caussa ais, te Christianissimo Galliarum Regi suppli-  
cem libellum oblaturum, vt nos reuocet; agimus in-  
tani.  
primis gratias pro beneuolentia: Deinde, quo  
minus tuo beneficio vtamur, obstat nominis tui  
obscuritas. Quis enim tu; qui tanto Regi pro a-  
liis supplices? Qui à Rege quopiam aliquid pro  
aliis in re grati impetrare studet, eum auctorita-  
te cum primis oportet esse conspicuum? At tu,  
terræ filius, tam ignotus es, vt albus an ater sis,  
vix familiaribus tuis constet: Verè lithus, hoc  
est, lapis; & Misenus Aeolides; non tam mentis  
& ratione, quàm oris inconditi tuba pollens.  
Quid, quod forte sub isto Christiano Simone Li-  
tho Miseno: tanquam sub larua, alius alterius no-  
minis

minis latitat: Nihil asseuero, quid suspicer, memoro. Nam qui libro suo nec nomen Ciuitatis; nec typographi; nec officinae typographicae adscripsit; eum haud temere credimus, supposititium itidem auctoris nomen praeposuisse; tanta claritudine fulget ille, qui sese per suas litteras, Societatem Iesu in Galliam reducturum iactat. Interim noueris nos & reditum in Galliam, & exitum ex Gallia, deo commendare; cui societatem curae cordique semper fore credimus; *qui cor Regis in sua manu habet*, illudque cum diuinae suae maiestati placuerit, sine tuis litteris, ad id, quod è re Christianissimi regni erit, inflectet. Si vitam Ignatij discendi & non calumniandi libidine euoluisses, cognouisses utique, societati nostrae persecutiones neque nouas, neque insuetas esse; cognouisses & illud, eam, ut & alios Catholicos Ordines, more nimirum Catholicae Ecclesiae; premi quidem huiusmodi exagitationibus, sed non opprimi, probari non possumdari, mergi, sed non submergi: Quod Tertullianus olim Ethnicis, id ego Caluinistis & Lutheranis: *Cruciate, serquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentia nostra, iniquitas uestra. nec quidquam tamen proficit exquisitior quaque crudelitas uestra; illecebra est magis secta, plures effici-mur, quoties metimur à uobis, semen est sanguis (& persecutio) Christianorum; cum damnamur à uobis (Caluinianis & Lutheranis) à Deo absolui-mur.* Et cum hoc finis negotium istud Gallicanum: quod nisi hic importunè ingessisses, periculum erat, ne non satis multas criminationes & calumnias afferres.

Tertul. A-  
polog, cap.  
49.

Aut,

*Aut, te factò illo Schattelij excitatum, ut accuratius cogitares de tota nostra sodalitate; & diligentius inquirereres in auctorem ordinis huius nouelli, qui à despicatissimo progressus initio eas vires adquisiuit eundo, ut in immensum auctus omnes propemodum totius orbis terrarum angulos compleuerit; Videlicet, eo animo excitatus es, ut inquirereres in auctorem huius societatis; quo olim Celsus Epicureus Philosophus, & Porphyrius, & Iulianus Apostata, ut inquirerent in Christum, Christianae religionis auctorem: ut enim isti vitam Christi, resque ab eo gestas tantùm consilio calumniandi & criminandi excusserunt, ita & tu vitam resque gestas Ignatij; & ut illi ex Euangelis tantum credebant, quantum volebant, eaque duntaxat exercebant, quae calumniis obnoxia videbantur; ita & tu agis, ut nec lac lasti sit tam simile, quam tu tribus illis calumniatoribus; ut in progressu huius Apologetici operis saepius demonstrabitur. Quid quod Celsus de initiis Christianorum loquens, iisdem fermè, quibus tu verbis, usus est. Vocauit enim institutum è nullius momenti initiis coalitum: Sed tamen, ut olim Ethnicis, haec à tam exiguis initiis, in immensum Christianae religionis multiplicatio, latentis diuinitatis cuius vi gubernabatur, argumentum esse poterat; ita & Miseno tam longè lateque diffusa societatis propagatio, altiores quosdam sensus ingenerare poterat; si non Lithus, vel Lithinus esset; nisi forte putat, à tali & tanta propagatione, quam ipse agnoscit, intra tam paucos annos, non satis perspicuè ostendi, rem aliquam à Deo esse, & à Deo prouchi; Atqui, ut concedam, non omnem*

mnem

mnem multiplicationem indicem diuini praesidij & approbationis esse; hanc tamen talem ac tantam, toto terrarum orbe diffusam, ordinis, non ad blanditias voluptatum, vt haereses faciunt, sed ad virtutum disciplinam & seueritatem inuitantis & incitantis, quantumuis licet grauissimis & potentissimis aduersariis obstitentibus, millenisque non vniusmodi perruptis difficultatibus, pro argumento certissimo diuini fauoris habeo, & iuxta mecum habet, quicumque rem attentius considerat; agnoscit enim in germine Ecclesiae Catholicae eundem propagationis modum, quem olim Ecclesia (quae & ipsa non pro carne, sed aduersus carnem pugnat) in sua per omnes orbis terrarum fines diffusionem tenuit, qui sanè modus nulli haeresi competit; quae facile augetur; tum quia prauis cupiditatibus non aduersatur, tum quia ei proprium, non orbem terrarum, sed orbis terrae certas partes, & comparatione totius mundi quasi angulos, occupare, & in illis delitescere, sensimque euanescere; Ecclesia ordinemque Ecclesiae solem imitati, totum orbem lustrant & circumueunt, certisque terrarum limitibus circumscribi nequeunt.

Sed penitiùs introspicere libet, cur tandem iste à *despicatissimo initio* societatem ortam dicat: Si conuicium nobis hoc loquendi modo facere vis, vt certè vis, poteris sanè, tanquam alter Celsus, conuicium hoc in totam Christianam religionem iacere, quae reuera à *despicatissimo principio* originem trahit. Quid despicabilius & contemptius cruce & crucifixo, quippe cum illa, & hic, Iudeis quidem sit *scandalum* gentibus autem

1. Cor. 1.

ulti-

*stultitia?* Atqui in cruce & crucifixo Christiana religio ortum habet. Quid contemptius Apostolis, quos ipse Apostolus, *infirma & contemptibilia mundi* appellat, Atqui ab his tanquam à *fundamentis*, totius Christianismi aedificium exurgit. At fortasse peculiare causae Miseno suppetunt, cur societatem à *despicatissimo initio* exortā affirmet. Sed quae illa? An quia prodiit ab vno? Atqui & Religio Christiana vnum seruatorem nostrum auctorem habet: tota haec rerum moles & vniuersitas vnum conditorem agnoscit. Quid multa? Omnis numerus, omnisque multiplicatio ab vno procedit, nisi forte vnitas apud istum Misenum non sit *principium numeri*. An à *despicatissimo initio* societas procedit, Quia caruit institutore nobili, copioso, opulento, & qui in aliquo pretio esset? Atqui si haec causa despicatissimi ortus est; multò magis tribuetur Religioni Christianae, quae à Christo & Apostolis fundata & instituta. Quisquis enim Christus fuerit à maioribus remotioribus; certè si proximos spectare velimus, inueniemus D. Virginem, veram Dei matrem, & Iosephum putatitium patrem, hic fabrilem artem facitavit, & cum desponsata sibi coniuge vitam planè inopem duxit; vt ipsi etiam Iudaei; & postea Celsus, Porphyrius, & Iulianus, Christum, ludibrii gratia, *filiū fabri* nominarent, & D. Virginem *puellam vix sua vicinia notam: exosam & eiectam à fabro lignario, foeminam pauperulam; operis manuarii victum parantem*. Apostolos praecipuos, fuisse piscatores nemo Christianus ignorat. Si igitur egestas & tenuitas fundatorum non redundat in

1. Cor. 1.  
Ephes. 2.Matth. 13.  
Orig. lib.  
1. contra  
Celsum.

Chri-

Christianæ religionis dedecus, sed potius in laudem & commendationem cedit, cur ignobilitas nostri parentis in ordinem nostrum redundaret, & non potius laudis materiam præberet; quod homo nullis vel generis vel fortunæ vel ingenij dotibus præ ceteris eximius, potuerit eum ordinem in mundum introducere, quem hæretici vel ideo potissimum oderunt, quia nimis prudenter, & ad hæresin oppugnandam nimis sapienter institutum cernunt.

Deinde memineris, Misene, quæ paulò infra scribas: Ais, *te vera credere, quæ de familia & stirpe Ignatij Ribadeneira in primo capite tradit, exceptis pauculis*, de quibus suo loco. Fateris ergo fuisse Ignatium nobilem, & ex Hispaniæ Dynastis. Fateris fuisse sagi togæq; artibus clarum; fateris manu & consilio fuisse promptum; Qui ergo à *despicatissimo initio* societas hæc exstitit? Sed mitamus generis claritudinem. Fuerit *despicatissimum* societatis *initium*; An nescis ex *despicatissimis* initiis maxima quæque nasci? Ex tenui fonte oriuntur ingentia flumina; ex grano sinapis omnium minimo existit ingens arbor, ita vt & *volucres cæli* in ea nidos suos constituent. An non, ipso Domino docente, Regnum cælorum, hoc est, *Ecclesia* ad grani huius similitudinem accedit? An tenuitas ortus quidquam de magnitudine & præstantia Ecclesiæ detrahit? Fuerit granum Sinapis nostri Ordinis principium, quid tum? Vt de Angelorum corporumq; cælestium excellètia nihil decerpit, quod ex principio *despicatissimo*, nempe *ex nihilo*, quo nihil ignobilius, condita sunt; ita de Religionis præstantia, aucto-

Marci 4.  
Lucæ 13.

auctoris ignobilitas nihil imminuit, sed potentiam & maiestatem Dei potius ob oculos ponit. Eleganter Tertullianus: *Eius est nihilum ipsum, cuius & totum.*

Tertul. A-  
polog. cap.  
48.

Ais; *te olim quasi per nebulam audisse de nescio quo Hispano milite, vnde societas ista primordium suum duceret.* Rectè addis, *per nebulam*; Quia quidquid de nostra societate, rebusque nostris auditis vel scribitis, in non nisi per nebulam mendaciorum & calumniarum auditis vel scribitis, additis, demitis, fingitis, refingitis, arbitrato vestro, & quidquid capitale odium suggerit, id creditis, & vt alij vobiscum credant, elaboratis. Mirum verò, te, vt & alios tui similes, Ignatio semper obiectare *militiam*, ane ignominiosum est esse militem: an non militaris ars tam ingenua & liberalis est, vt ne ipsos quidem Imperatores, Reges & Principes dedebeat? Quid autem dedebeat? imò adedè deceat, vt vel in prima Principis laude numerari solet rei militaris peritia. Dic, Misene, vtrum honestius est, esse *piscatorem* an *militem*. Publicanum an militem, persecutorem Ecclesiæ, an militem? Atqui Petrus Apostolus piscator fuit; Ignatius miles. Matthæus publicanus fuit, Ignatius miles: Paulus persecutor Ecclesiæ fuit, Ignatius miles: nō dico hæc, quod Ignatium vel comparem, vel præferam Apostolis; sed vt ostendam, te iniuria Ignatio militiam obiiicere, quasi ex militia illa cruenta Martis, arma sua quis transferre nequeat ad militiam spirituales; aut si Ignatio militiam pergis obtrudere, obtrude etiam Petro artem piscatoriã; telonium, Matthæo; persecutionem Paulo.

Ad-

Addis, desiderium tuum cognoscendi auctorem *Isuitarum*, tum demum expletum esse, cum in librum de vita & moribus Ignatij à Petro Ribadeneira scriptum, & Ingolstadij editum incidisti. Poterat certe Auctor iste desiderium tuum explorare, sitimque restringere, tam copiosè vitam Ignatij litteris resignauit. Sed exitus docet, te non tam discendi, quàm criminandi sitim ad libri huius lectionem attulisse, præsertim cum eius perlegendi aptius tempus non repereris; quàm *Bacchanalia*, ut ais, parum cautè Bacchanalium mentionem fecisti: Cum enim extra Bacchanalia parum sapias, cerebrumquè potius in calcaneo, quàm in capite feras, egrè profecto nobis persuademus, te eo, quo par erat, iudicio, volumen hoc euoluisse in Bacchanalibus, quo tempore apud te tuosque fratres, Orgiis Bacchi impeditos, maior solito, recti & integri iudicij inopia esse solet. Deinde minus iam miramur, tuum notarum fœtum tam informem, fœdum & inconditum in lucis oras exiisse, quippe conceptum sub infelici Bacchi fidere. Minus denique miramur, tantum furoris, vesaniæ & insanix, in tuis notis passim apparere: Afflatæ sunt enim & instinctæ à Baccho, furoris præside; cuius rei testimoniū en vel ipsa, quæ proximè subiungis, verba. *Non solum*, inquis, *mendaciorum vanitas mihi risum;* sed etiam *impudentia assertionis indignationem, superstitionis cecitas commiserationem mouit.* Mutuatus videris hæc verba à Celfo Epicureo, qui cum Euangelia, restq; à Christo gestas perlegisset, ruomore, in *Bacchanalibus* (ita loquor, Quia quid aliud

aliud est Epicurei vita, quàm perpetuum Bacchanal) simile quiddam effutiit, ut auctor est Origenes, Cur verò tibi mendacia vel vera, vel quæ vera credis, risum mouent? Bonis viris peccata non mouent risum; sed dolorem & gemitum. Atqui mendacia esse peccata, non inficiabitur, opinor, Calvinistica Schola. Et quænam sunt illa mendacia, quæ tibi tam suauiter ridendi materiam præbuerunt? Videlicet quidquid in libro Ribadeneiræ ad tuum gustum non facit, id, tuo iudicio, mendacium est: sed nosse debes, mendacium non fieri ab opinione legentis vel audientis, sed à mente & proposito scribentis vel loquentis; nisi forte suspicio & opinio tua tum efficax est, ut, velut Circe quædã, quidquid tangit ex vero in falsum trãsformet. Quocirca quidquid tu opineris, quidquid suspiceris, nunquam efficies, ut verum desinat esse verum: alioquin veritas omnis non modo ab hac Ribadeneiræ historiæ, sed & ab omnibus illis monumentis, quæ Diuorum vitas continent, iam dudum recessisset, pulsa opinionib<sup>9</sup> vestris, quibus solemne, lucem, tenebras; & tenebras, lucem reputare, & quidquid non lubet credere, mendaciis annumerare, ea solum de causa; quia non lubet credere.

Idem tibi de impudentia & superstitione responsum esto, utramque non rebus ipsis, sed vestris persuasionibus æstimatis, ut proinde vobis impudentem & supersticiosum esse oporteat omnem illum, cui vestræ sectæ placita non arriident. Sed de his suo loco, cum planum faciemus, quisnam sit mendacior & impudentior, Tu, an Ribadeneirã: Nam ut quæram, quis sit



superstitiosior, tu an Ribadeneira, non est, quod exspectes; Quia ab illo superstitionem excludit summa religio, à te summa impietas, omnis religionis expers. Nullus Epicureus superstitiosus est. Ais, *te nonnulla in vitam Ignatij annotare voluisse: tum ne videreris obiter tantum perlegisse libellum istum, tum ut ea cum adolescentibus, praesertim Germania, communicares.* Non nego, satis bonum specimen tuæ diligentiae edidisti: Sed quam laudem meretur diligentia posita in solis calumniis excogitandis, qualis est tua ista, quam nobis hic praedicas. Itaque non video, quas tibi grates perfoluturi sint, siue iuuenes, siue senes, qui hæc tua legent. Quid enim emolumenti capient, si, te Doctore, mæteri, conuiciari & saluberrima quæque dicta, facta & instituta criminari, & Lucianico ritu irridere discant; nisi quod desperandum non est, multos itidem repertum iri, quibus hæc tua petulantia, & quiduis effutiendi tam proiecta libido, incitamento sit ad contraria studia, ad veritatis, modestiæ & candoris Christiani amorem.

Hactenus de scriptionis tuæ consilio; proximè iam notationes tuas examinare volebam; sed alia, vel inuito, materia tractanda est, quando tu aliam immisces. Ais enim; *antequam ad notationes illas perueniamus, pauca præmittenda sunt de ordinibus illis Monasticis, quo primum tempore, & à quibus, & quibus de causis putentur instituti:* Si prætermissis hæc disputatione, ignorauissemus; magno sanè dispendio, te bonas horas legendis Peuceri commentis & Polydori Vergilij seu Pseudopolydori, à tui similibus suppositi, inuen-

tis,

tis; malè consumpsisse. Si verè de his scribere institueras; non isti nudiustertius nati; sed veterum patrum libri tibi peruolutandi erant; qui longè melius religiosorum Ordinum primordia te docuissent quàm Peucerus, capitalis omnium religiosorum Ordinum hostis, & Polydorus seu Pseudopolydorus maledicentia in Monachos non ignotus.

## CAPVT II.

*Refellitur ignorantia Miseni circa Religiosorum ordinum ortum.*

**A** Vero, inquis, non multum aberrauerit, qui putet introductos Ordines Religiosos partim Iudaica Essæorum, partim Ethnica Philosophorum, quos spontè bonis cessisse legimus, *νεκροζηλια*, cum neutris studio virtutis, tolerantia paupertatis, obseruatione castitatis cedere vellent, imò ab utrisque vinci turpe ducerent. Qui non multum à vero aberrat; is tamen aberrat. Si ergo ille, qui eadem, qua tu, de Religiosorum ordinum initiis opinione imbutus est, à vero non multum aberrat; aberrat tamen; si aberrat, ergo falsa persuasionem tenetur, & si quod persuasum habet, scripto vel voce proferat, non nisi falsitatem & errorem proferet. Deinde quid si demonstrarem, ordines religiosos non à Iessæis (seu Essæis, seu Esfenis, tot enim nomina habent) vel ab Ethnicis Philosophis originem ducere; an non fateberis magno errore labi, quisquis ad hos fontes religiosa instituta tecum reuocare volet? Dicis, *Christianos, infelici Iudaorum Iessæorum amulatio-*

Cent. 1. li. 1. cap. 5. *ne, hos ordines excogitasse.* Nego, quod tu sine probatione cum tuis Centuriatoribus, & Polydoro sumis, Iessæos fuisse Iudæos; si non fuerunt Iudæi, falsum est ergo Christianos in introducendis religiosis Ordinibus Iudæos imitatos esse; etiam si Iessæos imitati fuissent. Non fuisse Iudæos, sed Christianos, probō in primis auctoritate S. Epiphani, cuius testimonium si tu contemnas, leuius non efficies, sed grauius. Ita ergo ille: *Omnes Christiani Nazarei similiter vocabantur, Contigit autem vt modico tempore appellati sint Iessai, priusquam Antiochia initium sumerent, discipuli vt appellarentur Christiani. Vocabantur autem Iessai propter Iesse, opinor, quandoquidem Dauid ex Iesse, ex Dauid autem per successionem seminis Maria, ita impleta diuina scriptura in veteri testamento, dicente Domino ad Dauid: De fructu ventris tui panam super sedem tuam. Et post plura in eandem sententiam, addit S. Epiphanius: Veruntamen quando ad locum deueni, vt dicerem, ob quam causam Iessai appellabantur, priusquam vocarentur Christiani, qui in Christum crediderunt, ea de causa diximus, quod Iesse Pater fuit Dauid. Et siue ex Iesse, siue ex nomine Iesu Domini nostri appellati sunt Iessai, propterea quod ex Iesu procederent, cum discipuli eius essent, aut propter nominis Domini Etymologiam; nihilominus hoc nomen habuerunt, priusquam ipsi Christiani vocarentur. Ab Antiochia autem, velut supra meminimus, & sicut veritatis ratio habet, discipuli & vniuersa Ecclesia Dei Christiani vocari ceperunt.*

*runt. Reperies autem etiam hoc argumentum in commentariis Philonis, in libro de Iessæis ab ipso inscripto, Qui horum conuersationem & laudes horum exequens, & Monasteria eorum in vicinia circa Mariampaludem recensens; non de aliis quibusdam narrauit; quæ de Christianis. Hic enim cum esset in regione (Ma-reotin locum appellant) & deductus esset ab ipsis ad Monasteria eius loci, magnam vtilitatem assecutus est. In diebus enim Paschatis illic versatus, & vitam ipsorum vidit, & quomodo quidam per sanctam Paschatis hebdomadam omni esu dilato debebant, alij vero interpositis duobus diebus edebat, alij etiam in vespere. Fuerunt autem hæc omnia à viro peracta ad tractationem argumenti de fide & conuersatione Christianorum. Tunc igitur vocabantur Iessai per modicum tempus post assumptionem Saluatoris, & Marco in Ægyptiorum regione Euangelium predicante. Hæc S. Epiphanius, ex cuius verbis habes, non modo illos ex Christianis, qui sanctiorem, & ab hominum societate remotiorem vitam agebant, Iessæos appellatos esse; sed omnes communiter Christianos.*

*Quod etiam S. Hieronymus docet, dum de Philone ista: Philo Iudeus Alexandrinus de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelista apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque prouinciis esse commemorans, & habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet talem pri-*

Hier. in  
Philone.

mum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & capiunt, ut nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonialia egentibus diuidantur, orationi vacetur & Psalmis, doctrina quoque & continentia, quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes. Hæc S. Hieronymus, quem similiter vides Iesæos, seu Essæos. nō inter Iudæos, sed inter Christianos posuisse.

Duobus prædictis testem addo antiquiorem Eusebium, quem & tu hic adducis, sed ex Polydoro, ut in ore trium testium ster omnis hæc de Iesæis assertio. Eusebius ergo post nonnulla de Philone commemorata, ista subdit. *Iam verò cum eorum viuendi rationem, qui apud nos ἀσκητῶν, id est, Monachi, religiosiq; virtutis studio & exercitatiōni maximè dediti, appellati sunt; quàm accuratissimè percenscat Philo, cumq; eos viros, qui eius ætate tam piam, tamque Apostolicam vitam agerent, quique ab Hebræis, ut videtur, originem ducerent, & propterea permulta vetera instituta, propius ad Iudæorum consuetudinem accedentia obseruarent, diuinæ laude & prædicatione esserant; satis constare poterit, illum eandem non oculis vidisse solum, sed sententia & opinione vehementer approbasse.* Hactenus Eusebius: cuius iudicio sub Essæorum nomine, Philo Christianos Monachos descripsit: Non fuere igitur Iudæi, ut tu hallucinaris, cum tuo Polydoro, sed Christiani, quamuis multi eorum à Iudaicis sacris ad Christiana sese transfuissent. Einfdem sententiæ fuit Sozomenus, Cedrenus, Nice-

Euseb. lib.  
2. Hist. Ec-  
cles. ca. 16.

Nicephorus, Beda, alij. Idem liquet ex ipsis verbis Philonis, qui Essæorū sapius meminit, quin & iisdem proprium librum dicauit, librum videlicet *de vita nostrorum*; ut inquit, S. Hieronymus, id est, *de Apostolicis viris, quem & inscripsit, οὐκ ἐστὶν θεωρητῶν ἱερῶν, quod nimirum cælestia semper contemplantur, & semper Deum orant; additq; duo eorum fuisse genera; & alterū in vita actiua; alterum in contemplatiua sese exercuisse. Nec deest, inquit, Palaestina, Syriaq; hoc genus hominum, qui cum naturali philosophia moralem coniungunt, honestatis, probitatisq; amorem tota vita præseferendo; in his quidam nominantur Iesæi, circiter quatuor millia, pietatis erga Deum argumenta præseferunt plurima, castitatem in tota vita perpetuam seruant, &c. pecunias, honores, voluptates contemnant fortiter, &c. mira dictu æquabilitas, omnium rerum societas, &c. patens eorum collegia hominibus etiam aduenis idem institutum seruantibus: omnibus vnum est promptuarium, vnde vestitus & mensa communis sumitur, &c. Quidquid lucratur è quotidianis opera mercedibus, non sibi quisq; seruat, sed in medium conferens cuique volenti, potestatem fruendi faciunt, &c. Tales virtutis athletas reddit Philosophia, omnibus curiosis et ambitiosis Græcorū vocabulis.*

De aliis alio in libro hæc Philo. *Hæc vita in se addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt, sed a more correpti rerum cælestium & quasi furore diuino periti præ immortalis beatæq; vitæ cupidine, quasi iam hac mortali defuncti, facultates suas*

Sozom. li.  
1. cap. 12.  
Cedr. com  
pend. Hist.  
Niceph. li.  
2. cap. 15.  
Beda præ-  
fat. in Mar-  
cum.

Philo lib.  
Quod om-  
nis pro-  
bus sit li-  
ber.

Philo lib.  
de vita cō-  
templ.

relinquunt. Singuli habent sacras adiculas, quæ Sequæ vocant siue monasteria, vbi solitarij, sanctæ vitæ mysteriis dant operam, &c.

De Iesseorum conuiujs hæc habet: Vbi conuenerunt, lati cum summa grauitate ad signum datum, à quopiam Ephemereuta (sic huiusmodi ministros nominant) priusquam discumbant, stantes vna serie decentes, sublatisque ad cælum manibus & oculis precantur, vt Deo placeat id conuiuium, at solutis precibus seniores discumbunt. Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidißima, cereris frigida, calida verò bis, qui inter Seniores tractantur delicatius, mensa pura est à cruentis dapibus: pro cibo panis apponitur: Sal pro obsonio, pro condimento hyssopus in delicatorum gratiam. Cenam sequitur sacrum peruigilium his ritibus. Vbi omnes consurrexere, duo chori sunt in medio, &c. cantant hymnos in laudem Dei, &c. nunc ore vno, nunc alternis, non sine decoris & religiosi gestibus atque accensibus, modò stantes, modò prorsum retrorsumque gradum mouentes, vtcunque res postulat, &c. Postquam vterque chorus seorsim expleuit se his delitijs, velut amore diuino ebrij, vnum eborum faciunt promiscuum, &c. concentu suauissimo, vereque musico, &c. Itaque producta vsque ad auroram hac commessatione honestissima, neque grauati crapula, neque nutantes, sed excitatiores, quàm cum venirent ad conuiuium, verso ad auroram vultu, toloque corpore, quàm primùm solem orientem aspiciunt, felicem perhibentemque diem sibi comprecantur, atque ita precationibus

nibus absolutis ad suum quisque Semneum succedit, & ad negotiationem culturamque consuetæ philosophiæ. Hæc de Iessæis Philo, & plurima alia, ex cuius verbis cõuincam fuisse Christianos descriptos. I. Cùm ait Iessæos conuersos ad Orientem orasse; Demonstratio est fuisse Christianos. Nam Iudæi Hierosolymis conuersi ad occidentem orabant, teste S. Hieronymo, & patet ex templi fiti, quem describit Aristæas. Si verò alibi erant, cõuersi ad Hierosolymam & fitum templi orabãt, vt ibidem testatur Aristæas, & sic etiam Daniel orauit. Et apud Ezechielem vitio datur illis viginti quinque viris, qui dorso habebant contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis. Elkai hæreticus, Traiani temporibus, persuadere voluit Christianis, vt ad Hierosolymicani templi fitum conuersi, vbi cūq; essent, orarent, more Iudæorū. Christiani verò ab Apostolis docti ad orientem respicientes orabant, quia Christus facie in occidentem versa fuit crucifixus, eoque nomine adoramus, inquit S. Damascenus, ad orientem versi, quasi Christum obtuleremur in cruce pendente. Et hinc fluxit ille mos, qui & hodie seruatur, vt altaria sollempnium templorum Orientem spectent. II. Agapas Christianorum examussum describit Philo. III. Peruigilia item Christianorum, quibus solemne fuit olim noctes, quas festum, maximè eam, quã Dominica dies excepit, peruigiles in Ecclesia ducere, vnde & hodie nomen vigiliæ in Ecclesijs, de quo more Tertullianus, Hieronymus, alij, vt taceam Philonem non quæuis peruigilia descripsisse videri, sed Monachorum; quibus

Hier. in 8. ca. Ezech. Arist. li. de 72. Interp. Daniel. 6. Ezech. 8. S. Epiph. hæz. 19.

Damasc. lib. 4. c. 13. Vide lib. 1. de S. Cruce, cap. 25. Clemens Alex. li. 2. pædagog. cap. 4. Tertul. Apol. c. 39. Tertul. lib. 2. ad vxor. Hier. cõt. Vigilant,

semper in more, vel totam vel potissimam noctis partem diuinis laudibus decantandis insumere, IV. Obserua, Effos tā viros, quāsceminās perpetuō castitatem coluisse; & si matrimonio prius iuncti fuissent, ab omni eius vsu abstinuisse; item nullas victimas immolasse. Neutrū certē ex Iudaica consuetudine, quia apud illā gentem rara virginitas, frequentissima apud Christianos, & inter Ascetas & Ascetrias, seu vt Philo vocat, Therapeutas, & Therapeutidas, etiam votina; & Religionis Sacramento firmata. Porro victimā ab ipsā lege imperatā erant; Quomodo igitur contra expressum legis interdictum nullas hostias immolassent? V. Dicit Philo fuisse dictos *Sanctos* & *Frates*. At hæc duo nomina olim propria Christianorum; Ethnici ob hoc infamabant Christianos, quasi fratris nomen ex Platōnis Republica sumpsisset, de quo turpi fratrum nomine, & contra quam calumniam Clemens Alexan. & Lactant. Vnde etiam Tertullianus. *Quod fratres nos vocamus, infamant nos Ethnici, &c.* Vbi copiosè reddit rationem huius nominis, sicut & Athenagoras, Iustinus, Minutius. Porro *Sanctos* fuisse olim appellatos, communi nomine omnes Christianos, notissimum est vel ex eo, quod S. Paulus ad Romanos ita scribit: *Omnibus qui sunt Roma, vocatis Sanctis*. Imò Philo in Græcorum Ethnicorum scriptis doctissimus, sciens à Græcis omnes Sacerdotes, *Hofios*, id est, *Sanctos*, appellari, inflexit nomen *Essæi* ad Græcum etymon, vocans *Essæos*, quasi *Hofios*. VI. Dicit Philo *Iessæos* nec blanditiis delinitos; nec honoribus inuitatos, nec minis aut periculis territos potuisse

Clem. li. 5.  
Stromat.  
Lactan. li.  
3. cap. 21.  
Tertul. A-  
polo. c. 39.  
Athenag.  
orat. pro  
Christ.  
Iustin. ora.  
ad Ant. Pi-  
um.  
Minut. in  
Octau.  
Roman. I.  
Plutarch.  
de defectu  
Oracul.

potuisse à tyrannis eō adigi, vt propositum desererent, & aliquid contra ius fasque admitterent, concluditq; his verbis: *Nemo vel è crudelibus illis, vel ex alteris fucatis ac subdolis valuit cœsus Iessæorum in culpam inducere: Sed omnes discesserunt, victi virtute horum virorum, laudantes eos, vt liberos ciues, prædicantes eorum sodalitia, societatemque inenarrabilem, in qua exemplum felicitis, & perfectæ vitæ videre liceat.* Hæc Philo, quibus verbis describit Christianos Martyrēs. VII. ait, *Iessæos in multis orbis regionibus, meritò, tamquam absolutæ probitatis sectatores, receptos à Græcis & barbaris.* Hæc de Iudæis ne per somnium quidem fingi posse, vt vera fuerint tempore Philonis, patet legenti Iudæorum legationem ad Cæcium Imp. quam ipse Philo obiuit, qui testatur, ita miserè imminutos vbiq; vt dici nequeat; exsiti enim toti orbi tū erant, vt cum vulgò *fatentes* Marcel. appellarentur, & ita illos Marcus Imp. vocauit, lib. 2. teste Marcellino. Imò postea nec aduenarum iure Hierosolymæ euersæ rudera vestigio salutare poterant, vt inquit Tertullianus, quod eleganter S. Hieronymus & fusè explicat. *Vsq; in præsentem diem*, inquit S. Hieron. in 1. cap. Sophon. *excepto planctu prohibentur ingredi Hierusalem, & vt ruinam suæ iū flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas, & ne stetus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est à Romanis & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem: confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annuq; ob-*

ros, & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, plangere ruinas templi sui, &c. Adhuc stetit in genis, & liuida brachia, & sparsi crines & ecce miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat.

Plin. lib. 5. cap. 17. Solin. c. 36. Occurres fortè Plinium & Solinum Essæos appellare Iudæos. At scire debes, solemne fuisse Ethnicis, ut Christianos *Iudæorum* nomine appellarent. Exstant Iuliani Imp. blasphemiæ in Christum apud Cyrillum Alexandrinum. In his Christiani vix semel atque iterum *Christiani*, sed semper Iudæi vel Galilæi appellantur, & inter alia sic ait Impiissimus Imperator: *Quis non odio habeat Iudæos hos, qui spretis Diis Deabusq; omnium gentium ad mortuum Iudæum transeunt, per mortuum Iudæum blasphemie Christum intelligit, Flavius Clemens & Flavia Domitilla vxor eius, propinqua Domitiani Imperatoris, Christiani fuerunt. Dio tamen Iudæorum nomine afficit: Multi, inquit Dio, qui in mores Iudæorum transferat, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus: Domitilla in Pandariam relegata. Forfan te decepit, quod etiã Philo Essæos vocat Iudæos. At nec hoc sententiæ veræ officit: fecit enim id multas iustasq; ob causas. Primò, cum Philo Alexandriae in patria, & alibi in Ægypto tam laudatam vitam Iessæorum vidisset, quos conuerterat S. Marcus discipulus S. Petri, cum quo Romæ quoq; Philo familiariter collocutus fuerat, teste Eusebio & Hieronymo, vocauit eos Iudæos, quod à Iudæis hominibus essent conuer-* si, &

Dio in Domitiano.

Euseb. li. 2. cap. 15. Hieron. in Philone.

si, & Christum in Iudæa natum, passumque cohererent. II. Sciebat Philo à Græcis omnibusque Ethnicis Iudæos vocari: quare ipse quoque iis libris, quos ad Græcos græcè scripsit, Iessæos Christianos voluit vocare in laudem gentis suæ Iudæos. III. Quia illi ipsi Christiani in Iudæa adhuc, etiam Apostolis permittentibus, in multis iudaizabant, teste S. Luca in Actis cap. 21. Vbi S. Iacobus ita S. Paulum alloquitur. *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes emulatores sunt legibus.* Hanc causam vltimam tangit S. Hieronymus his verbis: *Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandria primam Christianorum Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit: & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic ille, quod Alexandria sub Marco fieri doctore cernebat, memoria tradidit.* Quocirca nihil etiam mirum, quod Philo asserat, Essæos septimum diem præ cæteris habuisse festum: id enim licebat & fiebat, donec synagoga cum honore sepeliretur.

Sed hic fortassis te defendes auctoritate Iosephi, qui Essenos Iudæis annumerat. Adde & Suidam, qui ex stirpe Rechabitarum prognatos arbitratur. Possunt, quod ad Iosephum attinet, respondere, quod multi non improbabiler respondent; alios esse Iosephi Essenos, alios Philonis, cui responso probabilitatem non deesse, facile cognoscet; quisquis Iosephi verba cum verbis Philonis conferre volet. Sed quia S. Hieronymus & Eusebius, & alij, Philonis & Iosephi Essenos

Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 2. & li. 2. Belli. c. 7.

Hier. li. 2. cont. Iou. Euseb. l. 8. de præpar. cap. 5.

Hier. in Marco.

Essenos seu Essæos eosdem fuisse sentiunt, responderi potest secundò; Iosephum Christianis non satis æquum; id quod Christianorum erat, parum bona fide transfuisse ad Iudæos, idque nec tempore nec loco opportuno, vtpotè sub Herode maiore, eisque errores quosdam affinxisse; vt Iudæum, non satis omnia Christianorum mysteria affectum. Si enim hæc professio Essenorum apud Iudæos ante Christum tam celebris erat, quæ sit, quod nulla eius mentio in Euangelis, vel in Actis & scriptis Apostolicis, quæ alias Iudæorum sectas, illa ætate notas, silentio non præterierunt? Cur tam altum de illa silentium apud Iosephum calumnias Apionis refellentem, & vndequaque arma contra petulantem aduersarium accersentem; præsertim, cum tam graue, tam sanctum Essenorum institutum vel solum, Apionis criminationes dissipare potuerit? nam quod Plinius antiquissimos facit, id neminè mouere debet; quia non nescitur, qua fide Echnici scriptores res Iudaicas & Christianas tractarint. Nec valet illa responsio; Essæos non in vrbibus, sed in solitudine versatos esse, ac proinde non habuisse cum Christo & discipulis agendi occasionem, eaque de causa nullam illorum mentionem in sacris literis fieri; nam nec Christus: nec discipuli in vrbibus tantum versati sunt, sed & extra vrbes, & in solitudine. Tertid, vt maximè verum esset Essæos Christo antiquiores fuisse, attamè ad Christum postea conuersos esse, necessario affirmare cogimur, si vera sunt, quæ Philo de Essæis narrat; cum Iudæis Iudaicisque institutis nullo pacto competere possint, sed Christianis,

Quod

Quod verò de Rechabitis additur, id facile refellitur; Rechabita enim, vt sacrae literæ tradunt, ab omni agrorum cultura abstinebant, contenti iis, quæ terra inarata & inculta ferebat: At Essæi ferebāt & merebant, vt Philo docet; Testatur item S. Hieronymus Rechabitas, temporibus Sedechiæ, cum Chaldæi Hierosolymam obsiderēt, coactos fuisse vrbem ingredi, & à cæpta viuendi norma desistere, nec vlla deinceps illorum in diuina Scriptura mentio habetur. Fuerunt ergo Essæi Christiani; Et si posteriores Monachi & Religiosi Essæos imitati sunt; non Iudæos, sed Christianos imitati sunt, & tam hi, quàm illi Apostolos, duces & quasi religiøsæ vitæ antecessores habuerūt, & adhuc habent. nam Apostolorum exemplo cœpisse religiones, testantur veterum non pauci; vt Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Popsidius, Isidorus & Casianus, cuius hæc verba: *Cænobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolica, sumpsit exordium.* Nec immeritò dixeris primos Christianæ Religionis Religiosos fuisse Apostolos. Quod enim vitam Religiosam instituerint, vbi omnia essent communia, planum sit ex Actuum Apostolicorum historia. Quod autem ea viuendi ratio non fuerit omnibus Christianis communis sed illis tantum, quibus maior perfectio in votis erat; id ex eadem historia liquet, vbi cum Ananias fraudasset de precio agri, & decipere voluisset Apostolos, audiuit à S. Petro: *Nonne manens tibi manebas, & venundatum in tua erat potestate?* Quod Apostoli etiam voto se ad eam perfectionem obligarint, docet S. Augustinus. Habes igitur

Philo. lib. quod probus sit lib. Hier. epist. 13.

Euseb. l. 2. Hist. ca. 16. Hier. in Philone. Aug. serm. 2. de vita com. Cler. Popsid. in vita S. August. Id. lib. 2. de off. c. 15. Cass. col. lat. 18. c. 5. Act. 5. Aug. li. 17. de ciu. c. 4.

tur quorumnam vestigiis Monachi & Religiosi Christiani insistant. Quare si neque multum, neque non multum à vero aberrare velis, Polydorum tuum deserere præsertim quod ad Philosophos Ethnicos attinet; Nam hos Monachos & Religiosos fuisse; nemini vnquam, cui mēs mora loco non esset, in mentem venit. At pauperes erant, opibus & fortunis sese abdicabant, & obseruatione castitatis, vitæq; asperitate aliquando egregiè excellabant: Tantum hinc colligas, Philosophos istos nō fuisse Lutheranos aut Caluiniistas; non autem; fuisse Monachos aut Monachorum Patres: plus enim ad Monachum requiritur. Quod si posteriores religiosi, professione durioris vitæ, per malam æmulationem Iudæos & Ethnicos Philosophos perperam imitati sunt, vt tu dicis; non video, quomodo in idē crimen cacozeliæ non inciderint Apostoli; & primi Christiani, qui studio virtutis, tolerantia paupertatis, & obseruatione castitatis, nec Iudæis, nec Philosophis cedebant, imò ab vtrisque vinci turpe ducebant. Sed animaduerto hæreticorum proprium esse, veteres calumnias repetendo facere nouas. Quod olim Ethnici de tota Christiana religione, hoc vos hodie de vita religiosa & Monastica. Christiana Professio, aiebant criminatores præsci, *non utique diuinum negotium est; sed Philosophia genus: Eadem & Philosophi monent, & proficiuntur innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem.* Eadē vos de Monachis, Sed quod illis respondit Tertullianus; hoc & vos à me accipite: *Mimicē Philosophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant;*

Tertul. A-  
golo. c. 46

*captant; Christiani (& Christianorum Religiosi) eam necessariò appetunt, & integrè præstant, vt qui salutis suæ curant. Aded neque de conscientia, neque de disciplina, vt putatis, aquamur. Quid aded simile, Philosophus & Christianus (Religiosus) Græcia discipulus & cæli, fama negotiator & vita: verborum & factorum operator: verum adificator & destructor, amicus & inimicus erroris; veritatis interpolator & integrator; furator eius & custos.*

Verumenimuerò faciamus, quod tu fingis, verum esse, Monachos & Religiosos Christianos imitatos esse Iudæos & Philosophos virtutis studio, & perfectioris vitæ desiderio; An non virtus amanda est in quocunque demum insit? Si amanda, ergo & imitanda, vt enim solis radius non desinit esse purissimi astri, vt ita dicam, propago & germen; licet locum cœno oblitum attingat; ita virtus splendorem suum non amittit, licet in obscuro Iudæi aut Ethnici pectoris latibulo luceat. An Cacozeliam & prauum imitandi studium obiicies ei; qui fidem Abrahæ & mansuetudinem Dauidis imitabitur: quia vterque Iudæus fuit: An patientiam improbabis in eo, qui patiēdo sese ad patientissimi illius Iobi Prouer. 6. exemplum componet? Imitationis causa mittit Matth. 6. nos sapientissimus Rex ad formicam: Seruator Luc. 12. noster ad volucres cœli, & lilia agri, vt ab illis diligentiam, ab his superflue sollicitudinis neglectum discamtis, Cur si ad bruta & sensus expertia exemplaria meritò nos conformamus; melioresque eorum imitatione efficimur; non item meliores efficeremur imitatione illarum virtutum



virtutum, quæ in viuis & spirantibus exemplaribus relucet.

Sed ad te Misene redeo: qui postquam pleraque Essæorum instituta & facta ex Eusebio recitasti; hæc ex tuo Virgilio adiungis: *Si quūpiam ex nostris Monachis, qui regifico mensarum apparatus viuunt, qui voluptates peritè libare norunt, qui honores nauiter ambiunt, qui pecunie studium immodicum habent, hoc aliquando legerit, nonne eos pudebit, quod iustitia sua non modò plus quàm Essæorum nõ abundet, sed tōgè magis flaccescat, & langueat.* verba, inquis, Catholicici hæc sunt, non heretici. Quis Polydorus iste, seu potius is, qui Polydorum deprauauit, fuerit, Deus nouit; hoc noui; Monachis & Religiosis Ordinibus non valde æquum fuisse; quo minus mirum, si à conuiciis in ordines religiosos sibi non temperarit. Quod si ipse Catholicus fuit, vt tu dicis; vtique te, vel tuo testimonio, oportet esse hæreticum, quia non es, quod Polydor<sup>o</sup> tuo iudicio fuit: Adde & hoc; si qui tales sunt, quales Polydorus describit, verbo Monachos esse; non re: sicut verbo Christiani sunt, qui Christi nomine insigniti, vitam à Christi legibus abhorrentem ducunt. Præclare

Tertul. A-  
polog. c. 46. Tertullianus: *Dicit aliquis, etiam de nostris excedere quosdam à regula disciplina, desinunt tum Christiani haberi penes nos.* Idem per me accommodare tibi licet ad Monachos. Cùm Celsus Epicureus quorundam hæreticorum scelera Christianis obiecisset, Respondit Origenes; *Crimen hoc non est Euangelij, sed eorum, qui id ausi sunt deprauare temerè: Et quemadmodum nihil ad Philosophiam cri-*

Orig. li. 2.  
cont. Cels.

*men Sophistarum, Epicureorum, Peripateticorum aut quorumcunque falsa dogmata profitentium, ita in verum Christianismum non cadit crimen deprauantis Euangelia.* Transfer hæc Origenis verba à doctrina ad mores, à tota Christiana professione ad professionem religiosam & monasticam, responsumque ad tuam tuique Vergilij calumniam non desiderabis. Interim noueris non modò plurimos in religiosis ordinibus degere, quos Essæos ab Epiphanio, Hieronymo, Eusebio, & ante hos omnes à Philone tantis laudibus prædicatos, strenuè imitentur, sed & ad eos proximè accedant; vt non dubitem, Philonem Iudæum, si reuinceret; hos, quos vos Calviniani & Lutherani conuiciis proscinditis, æquè illustribus præconiis profecutorum, ac priscos illos virtutis sectatores Essæos.

Addis, *verisimile est Essæorum imitatores extitisse Aegyptios Paulum Thebanum & Antonium. & in Syria Hilarionem.* Libenter tibi assentior, si quod iam probaui, Essæos fatearis fuisse Christianos. Solent enim posteriores Christiani priorum imitatores esse; & vtrique Christi, dum agunt; quod vel Christus egit; vel agendum præcepit aut suasisit. Vixit, inquis, *Antonius in solitudine Thebaica, sanctitate aded celebris, vt Helena Constantini mater se & filium per litteras illi commendauit.* Gaudeo te Antonij sanctitatem non modò agnoscere; sed & publico testimonio celebrare. Sed cur nullus Calvinistarum aut Lutheranorum in tam sancti viri vestigiis vestigia suæ ponit? Cur nemo ex grege vestro solitudinem

petit, procul negotiis consortioque mortalium?  
 Tertul. A- Cum Tertulliano dicam: *Laudatis antiquitatem*  
 polog. c. 6. & *nouè de die viuitis*. Laudatis Antonium, de cuius fide nec volam nec vestigium, nec guttam, nec micam habetis, *per quod ostenditur*, quod idè Tertullianus ait; *dum à bonis maiorum insitutus deceditis, ea vos retinere & custodire, qua non debuistis, cum qua debuistis, non custodistis*. An fortè Caluini-  
 nianum aut Lutheranum Antonium fuisse censes? Ipse Caluinianus aut Lutheranus sim, si Antonius Caluinianus aut Lutheranus.

*Exemplum Antonij secutus est*, inquis, *Basilius, doctrina & pietate excellens*. Hic etiam laudatis veteres, sed vestris vtimini annis. Basilus Monachus fuit, cur ergo Monasticam, vt infructuosam & impiam, exterminandam esse clamatis, quæ Basilium, virum, vestro iudicio, pietate & doctrina præstantem ad duplex hoc decus cultura sua formauit? Basilus Monachus sanctitate & eruditione floruit, mirum ergo neminem ex Caluiniſtis, ab ortu Caluiniani Euangelij, extitisse, qui Basilium sibi imitandum proponeret, & cum Basilio Monasticam vitam amplecteretur. *Vbi religio?* Loquar enim & hic cum Tertulliano: *Vbi veneratio maioribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proauis renunciaſtis*. Basilus, inquis, *primus omnium votis illis tribus paupertatis, castitatis, obedientie Monachos obligauit*. Falsum est. Monachos & Religiosos mundus habuit, & coluit aliquot seculis ante Basilium; vt supra ostendimus. Verè

rè enim Chrysoſtomus: *Apostoli huius philosophia (vitæ religioſæ) documenta dederunt*. Atqui nullus verè & propriè religioſus est sine voto paupertatis, castitatis & obedientiæ. Oportet igitur, vt ante Basilij ætatem tria hæc Deo per voti obligationem à Religioſis fuerint oblata. Deinde, licet S. Basilus his votis Monachos primus obligasset; cur non potius sequimini Basilium his tribus vinculis Deo homines obligantem, quàm Lutherum eosdem iisdem vinculis exsoluere conantem; cum prior ille, tua itidem sententia, pietate & doctrina vnice claruerit; quod encomium Luthero non tribues: aut si tribues, verè non tribues. Ais; *de his votis breuiter aliquid addendum est, quod Iesuitica secta iisdè teneatur*. Audiamus ergo, quid ex commentariis recentium Iouinianorum & Vigilantium sit allaturus.

S. Chrysoſtom. lib. 3. contra vitup. vitæ Monast. Vide Gregor. de Valent. tom. 3 d. ro. q. 4. p. 2.

### CAPVT III.

#### De voto Castitatis.

**V**otum, inquis, *castitatis seu virginittis ex præcepto concipi non potest; sed ex consilio*. Rectè omnino. Perge, qua cepisti via; nec te abripi sine à recto tramite: *At hic*, inquis, *magna cautione opus; in vouendo inquam*. Neque hoc malè. Nemo enim in votis concipiendis, Deoque nuncupandis temeritatem probat. Sed iam paulatim in Iouinianum, vt ille in Euphorbū, transformaris. Addis; *consultum non erit, vt si per vnum atque alterum annum continentia periculum factum sit;*

*fit; perpetua castitatis votum, inde extruatur. Metu-  
ebas, opinor, ne Iouem Gamelium aut Geneth-  
lium violares, si hoc consultū esse scripſisses: At-  
qui, meo iudicio, consultum est, vt quis Paulo  
similis fiat. Nihil enim inconsultum voluit, cūm  
hæc verba protulit: Volo autem omnes homines esse,  
sicut me ipsum. Quia vtrique ipse ab omni cōcubitu cō-  
tinebat, inquit S. Augustinus. Beatus qui Pauli si-  
milis erit, ait S. Hieronymus, Felix qui audit Apo-  
stolum, volentem, non ignoscentem. Hoc, inquit volo,  
hoc desidero, vt imitatores mei sitis, sicut et ego Christi;  
ille virgo de virgine, de incorrupta incorruptus; nos  
quia homines sumus, & natiuitatē Saluatoris nō pos-  
sumus imitari, imitemur saltem conuersationem. Il-  
lud diuinitatis est, & beatitudinis, hoc humane con-  
ditionis est & laboris. Volo omnes homines similes meū  
esse, vt dum mei similes sunt, similes fiant & Christi,  
cuius ego similis sum. Hæc S. Hieronymus.*

Aliud ergo tu vis, aliud Apostolus: quod tu  
inconsultum arbitraris, id arbitratur ille omni-  
bus consultum, testibus S. Augustino & S. Hie-  
ronymo. Dices obſtatis, Apostolum voto casti-  
tatis non fuisse obſtrictum; sed dices tantūm, nō  
probabis, Quia omni probatione destitueris. Pa-  
tres tradunt, Apostolos primos fuisse apud Chri-  
stianos Religiosos, si hoc, ergo & votis fuerūt ob-  
ſtricti, sine quibus nullus verè et propriè Religio-  
sus. De voto paupertatis supra testem laudauī S.  
Augustinum: cuius hæc verba: *Dixerant potentes  
illi (Apostoli) ecce nos dimisimus omnia, et secuti su-  
mus te, Hoc votum potētissimi vouerāt. Quod attinet  
ad votū castitatis, cōmēdat Christ⁹ Eunuchos, qui se  
castra-*

*castrauerunt propter regnum cælorū, hoc est, eos, qui  
sibi ex priuata lege, seu ex voto continētiae casti-  
tatē indixerunt: hinc ait S. Fulgent, illos qui corde  
suo continentiam Deo vouent, sese castrare pro-  
pter regnum Dei. Inter hos etiam fuisse Apосто-  
los, testatur in primis S. Epiphanius: Quinam,  
inquit, hi fuerunt, qui se castrauerunt propter re-  
regnū cælorum, quā generosi Apostoli ac monasticā vi-  
tā degentes, & deinceps virgines? Secundō votū ca-  
stitatis habuisse Apostolos, asserit S. Aug. verbis  
pauld antè citatis: Hoc votū, inquit, potētissimi vo-  
uerāt. Quod nā votū dimittere omnia, inter que  
nō modò agri & dom⁹, & alię opes; sed & vxores  
vel iam olim ductæ, vel ducendæ: nam inter res  
relictas ab Apostolis, & relinquēdas ab aliis nu-  
merat Dominus etiā vxores; hoc votū dimittendū  
tam opes, quā vxores, potētissimi vouerāt. Votū  
obediētiae satis colligitur ex illis itidem verbis:  
*Et secuti sumus te. Hoc votum potētissimi vouerant,*  
inquit S. Aug. Quod? *Et secuti sumus te;* seu perfe-  
ctā sequelam Christi; quæ nihil aliud est, quàm  
obediētia. Habes ergo, Misene, Apostolos votis  
obligatos fuisse ex ſententia SS. Patrum; Sed nō  
inconsulto tibi excidisse videatur, cūm ais, con-  
sultum non esse vouere; causam hanc reddis;  
*quod multos noueris, qui castè vixerint; nec tamē per-  
petua castitatis votū edere vel voluerint, vel ausi fue-  
runt:* Bene fecerunt, quod castè vixerunt; sed me-  
lius fecissent, si castitatem voto firmassent, præ-  
fertim in Religione. Sed id, inquis, non fecerunt, ne  
sibi ad remedium, quod Dominus omnibus paratū esse  
voluit, aditum praecluderent, si forte aliquas libidinis*

Fulgent. li.  
de fide ad  
Petrum  
cap. 3.  
S. Epiph.  
hær. 5.

1. Cor. 7.

S. Aug. li.  
de gratia  
& lib. arb.  
cap. 4.  
S. Hieron.  
lib. 1. cont.  
Iouin.

S. August.  
lib. 17. de  
ciuit. Dei,  
cap. 4.  
Matth. 19.

*flamas sensissent: Fallis nos. Vera causa est; Quia Calvinista aut Lutherani erant, quibus non modo vouere, sed & vouisse ludus est & iocus. Et quodnam est illud remedium omnibus paratum Matrimonium, dicis. Non nego, coniugium remedium esse libidini restinguenda: & omnibus quidem concessum, quibus voti religio non obstat. At his, qui sese Deo consecraverunt, voto castitatis nunc cupato, Apostolus, interprete S. Aug. matrimonium illicitum, & perpetua damnationis causam esse pronunciat. Nescio qua castimonialis nubere voluit, inquit S. August. Quid voluit? Quod & virgo qualibet. Quid voluit? Quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? mali plane. Quare? iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus, cum dicat, viduas adolescentulas nubere, si velint? Sed tamen ait quodam loco: Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: ostendit beatior si sic permanserit, non tamen damnanda, si nubere voluerit. Quid autem ait, de quibusdam, quae vouerunt, & non reddiderunt? habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt. Ita August. Transfer, Misene, haec S. Apostoli & August. verba a foedifraga femina; ad virum votifragum: est enim utriusque eadem ratio & conditio. Sed quia forte transferre noles, audi eundem August. idem asserentem de viro: Alius ex munere Dei maius aliquid vouit; statuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, si duxisset uxorem; post votum, quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur, cum hoc faciat, quod ille, qui non promiserat, tamen*

S. Aug. in  
Psal. 75.

1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

S. August.  
in Psal. 83.

men

me ille non datur. Quare? nisi quia ipse respexit retrorsum.

Sed hic obiicies illud apud veteres & nouos haereticos, omnium vocibus decantatum: *Qui se non continent, nubant: Melius est nubere, quam vri.* Respondet S. Ambrosius: *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam, ceterum, quae se spondit Christo, & sanctum velamen accipit, iam nupsit, iam immortalium iuncta est viro. Etiam si voluerit nubere, communi lege connubij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Et S. Augustinus; *illis, qui se non continent, utique expedit nubere, & quod licet, expedit, quae autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.* Ergo, inquires, istis nullum comprimenda cupiditatis remedium superpetet? Immo verum non vnum: attamen nec Lutheranum, nec Calvinianum: Sed Apostolicum; istud videlicet; *Castigo corpus meum*; Et illud, quod nobis idem Apostolus praescribit; qui cum ab Angelo Satana colaphizaretur, ter Dominum rogauit, ut abs se recederet, cui Dominus respondit: *Sufficit tibi gratia mea.* Idoneum igitur huic morbo medicamentum est oratio cum gratia Dei, quae nemini deest; ut & illud S. Hilariionis supra te laudati; sanctissimi Antonio & Paulo eremitis annumerati, de quo haec S. Hieronymus: *Titillabat (Diabolus) sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerbat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare, quod nesciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi & peccatus pugnis verberans, quasi cogitationes cade manus*

1. Cor. 7.

S. Ambr.  
ad virg. la-  
psam ca. 5.

S. Aug. lib.  
de adulter-  
rin. coniug.  
cap. 15.

1. Cor. 9.  
2. Cor. 12.

S. Hieron.  
vit. Hilari-  
onis.

C 5

posset

posset excludere: ego, inquit, aselle, faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per aestus indigabo & frigora, vt cibum potius, quàm lasciuia cogites. Similibus pharmacis alij hunc morbum depulerunt, & depellédum esse verbo & exemplo suaserunt omnibus illis, quos iam voti religio obstrictos tenebat: non autem coniugio. Non suadet hoc Apostolus, inquit S. Hieronymus; non electionis vas: Virgilianum consilium est; coniugium vocat, hoc praeceperit nomine culpam.

Sed priora illa medicamenta nimis aspera sunt nuptiatoribus nostris, vt à S. Hieron. appellantur, qui vt idem Hieronymus loquitur, non habent Regem nisi Casarem, id est, vitia sequuntur non virtutes, Epicurum non Christum, Iouinianum non Apostolum Paulum. Subiungit. Quod Iesuita aiunt continentiam cuique volenti & petenti dari, id pro axiomate Ecclesiastico nequaquam admittitur, nimirum à Caluinistis non admittitur, at certè ab omnibus illis admittitur, qui illud Christi vt verum admittunt. Petite & dabitur vobis. Et illud: Petite & accipietis: Et illud Apostoli de Deo: qui dat omnibus affluentè. At, inquires, non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Ita est; quibus enim non est datum; aut nolunt, inquit S. Augustinus, aut non implent, quod volunt; quibus autem datum est; sic volunt, vt impleant, quod volunt. Itaque, vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberum

berum arbitrium. Elige, inquit Tertullianus, quod bonum est, si non potes, est quia non vis, posse enim si velis, ostendit, quia tuo arbitrio vtrumque reliquit. Et Hieronymus: His datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperet, laborauerunt, omni enim petenti dabitur, & quarens inueniet, & pulsanti aperietur.

Maris & foemina coniunctio, inquis, tantum abest, vt legi Dei aduersetur, vt etiam à Deo ipso et instituta & praecepta sit. Matrimonium institutum fuisse à Deo, nemo inficiatur, vt & illud, praeceptum esse; at non singulis, sed generatim toti hominum societati: multo minus illis, qui iam, sanctioris vitae desiderio, voluptatibus omnibus sese sponte per votum abdicarunt; aut si omnibus nuptiae praeceptae sunt; cur tui illi praestantes viri, qui à primis pubertatis annis, ad senectutem vsque, castissimè vixerunt, & adhuc viuunt, hanc legem à Deo latam violant? Cur à nuptiis abstinent non absq; praenuntiatione diuini mandati? Qui vri se sentiunt, à Paulo, inquis, discant, quid sibi faciendum sit. Vtinam id à Paulo, non à Caluino & Luthero discerent: non ad nuptias volitarent, sed ad preces, ad corporis castigationem, ad ieiunia, cilicia & flagella sese reciperent. At periculosa est lucta carnis & spiritus. Sed fidelis itidem Deus, qui neminem patitur tentari supra id quod potest, sed facit cum tentatione prouentum. Periculosa Incta, sed gloriosa victoria, quae, vt Tertulli. verbis vtat, habet & gloriam placendi Deo, & praedam viuendi in aeternum.

Tertul. lib. de Monogam. Hier. in ca. 19. Matth.

1. Cor. 10.

Tertul. Apolog. ca.

S. Hier. li. 2. contra Iouin.

Luce 11. Ioan. 16. Iacobi. 1.

S. August. de gratia & lib. arb. cap. 4.

Lucæ 6.

Tendit in adua virtus, præsertim castitas. Memineris triti illius: Difficilia quæ pulchra. At Misenus oblitus moniti illius: *nolite iudicare, & non iudicabimini*, etiam conscientias nostras temerè iudicat, quas tamen perspectas non habet: neque enim aut Deus, aut Confessarius noster est. *Bonè*, inquit, *Iesuitis interdum humanitus aliquid accidere, ex ipsorum confessionibus, si cui audire liceat, fortasse intelligi possit.*

Suet. Ner. cap. 31.

Testatur Suetonius, Neronem Imperatorem existimasse, neminem posse esse pudicum, neminem castum; quia ipse impudicissimus & libidinosisissimus omnes ex suo ingenio æstimabat. Neronem imitantur hæretici, qui de omnibus hac in re malè suspiciantur. Quo ipso ostendunt, *quàm sanctè ipsi uiuant*, ut de horum similibus suspicatoribus verissimè scripsit S. Hieronymus. Sed bene habet: Ego cum eodem Hieronymo elata voce clamo: *Nos carpe, hæretice, discice nos, obice crimina, quæ volueris, argue luxuriæ & deliciarum, magis nos amabis, si tales fuerimus. Erimus enim de armento tuo.*

S. Hieron. contra Vigilant.

Hier. lib. 2. contra Iouinian.

*Axiomati Iesuitico*, inquis, *apertè responsat filius Dei, cum ait: Non omnes capiunt verbum istud, sed ij quibus datum est, qui potest capere, capiat: Dictum hoc Domini non contra nos, sed pro nobis facere, iam supra audiuimus ex Hieronymo & Augustino, quibus nunc addo Gregorium Naz. orat. 31. Nazianzenum, cuius hæc verba: cum audis, Quibus datum est, adde, datum esse iis, qui volunt & assentiantur.* Malè ergo tu datum hoc seu donum extraordinarium appellas: Extraordinarium non est,

est, quod omnibus volentibus & petentibus quotidie donatur: quamquam fateor, donum hoc apud vos planè extraordinarium esse, apud quos nihil aut ordinatum aut ordinarium reperitur. Malè & illud; *donum hoc liberrima Dei voluntate dispensari*: Si velis donum hoc dari, aut non dari, nulla voluntatis nostræ habita ratione; nam cui non datur; ideo non datur, quia nō vult: & cui datur, ideo datur, quia vult, quamuis ipsa etiam voluntas castè viuendi donum sit, sed tamen omnibus parabile. *Vtique dares continentiam* (inquit S. Augustinus Deum alloquens) *si gemitu interno pulsarem aures tuas, & si de solida in te iactarem curam meam.*

August. li. 6. confess. cap. 11.

Mirabile est quod sequitur, ais. *Ne fides quidem omnibus datur, nedum castitas*: Si fides non datur alicui volenti & petenti, Ergo falsum est, Deum lucem illam veram & inaccessam, *illuminationè omnem hominem venientem in hunc mundum*; vtique volentem; Si fides alicui volenti denegatur à Deo, vt tu asseris, quo iure imputat Deus tali homini infidelitatem ad culpam? an tu vitio verteres alicui ignorantiam; Si nullo studio, nulla industria & opera scientiam sibi comparare posset? An tu tali ignorantia pœnas, & quidem æternas decerneres? Si fides non datur omnibus, ergo non dantur à Deo omnibus omnia necessaria ad salutè, nisi fortè apud vos Calvinistas fides non sit ad salutem necessaria.

Ioan. 1.

Sed iam definis nobis virginitatem, valde scilicet accommodatè Dialecticorum præceptionibus. *Vera virginitas*, inquis, *non est ea, qua corpus*

pus solum à scortationis impuritate immune est, sed qua mens etiam ita impolluta seruatur, vt flammis illicitis numquam exardescat. Paucis verbis, non pauca vitia. Nam primum, virginitas non modo est immunitas & ἀπειρία, Et vt ita dicam, in experientia fornicationis, sed cuiuscunq; alterius actus veneri voluntarij seu liciti seu illiciti. Deinde ad virginitatis integritate non pertinet; vt mens nullis illicitis flammis inardescat: id enim in hoc mortali statu nulli conceditur, sed vt ad ardores illos nullus voluntatis consensus accedat, cum firmo proposito conseruandi illibatam corporis puritatem & integritatem, vel semper continuato, vel si interruptum sit, de nudo instaurato. Hanc virginitatem, quod Iesuitis non inuides, sed potius gratularis, est quod grates tibi agant. Mallent tamen te tuosq; tanti boni etiã participes esse, nullo suo damno, magno tuo, tuorumq; emolumento: Bonum enim virtutis, diffusionem non imminuitur, sed crescit: Rogas Iesuitas, ne castitatis Deo per votum consecrata singularem aliquam prerogatiuam esse statuãt, Chrysostomum reueriti, qui vt ere, inquit, cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno, & bonis frueris omnibus. Quid? an tu nos Iouiniani, damnati iam olim ab omnibus orthodoxis hæretici, discipulos fieri cupis? Iste enim virginitatem sanctimonialium, verba sunt Augustini, & continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cœlibem vitam, coniugiorum castorum atque fidelium meritis ada-

S. Aug. lib.  
de Hæres.  
cap. 82.

qua-

quabat. Cui monstro, ait alibi D. Augustinus, sancta Ecclesia fidelissimè & fortissimè resistit. Abi igitur cum tuo postulato, nunquam impetrabis à Iesuitis, vt votiuam castitatem & nuptias æquent, ne monstra fiant. Nam si grauissimo Augustini iudicio, Iouinianus monstrum est, quia ita sensit, necesse est, vt & tu & tui similes eiusdem Augustini iudicio, monstra fitis, Quia eiusdem ac Iouinianus Hæreseos estis. Chrysostomi locum si notasses, dubitare non cogerer de tua fide; Ex antecedentibus vel consequentibus vel vtrisque simul, vel ex scopo dispensationis Chrysostomi demonstrassem, Chrysostomum nihil minus velle, quam nuptias castitati vel pares esse, vel præstare. Nunc nolo laborare in hoc dicto interpretando, quamuis possem, ne fortè tuum mendacium, non dictum S. Chrysostomi interpretari eoner. Quomodo enim hoc voluisset; qui integro libro virginitatis supra matrimonium, præstantiam decantauit? qui tribus libris de vita Monastica aduersus eius vituperatores; nihil aliud totis eloquentiæ viribus, egit; quàm vt ad decus & palmam castitatis quàm plurimos euocaret; qui in suis commentariis in Matthæum, & in epistolas sancti Pauli, toties luculentissimè virginitatis & castitatis præconia commemorat. Dicis: Virginitatem non tantopere exsollendam, censemus, vt in illa sitam salutem ac beatitudinem contendamus, quam nequeant habere ij, qui in coniugio degunt.

S. Aug. li.  
2. Retract.  
cap. 22.

Quis

Quis Catholicorum docet castos beatitudinem consecuturos, quam coniuges non possint adipisci? Vna est vita æterna, vna beatitudo omnibus proposita, tam virginibus & cœlibem vitam professis, quam coniugibus & viduis: Sed hæc beatitudo gradum habet; & vt Christum appellat, varias mansiones, quæ ad felicissimam illam vitam euectis, assignantur secundum fructum, quem hic tulerunt, vel *tricesimum*, vel *sexagesimum*, vel *centesimum*. Porro num verum sit, quod sequitur, prudentis lectoris arbitrio permittam. Ais, *voto castitatis obstringi posse aliquos, vnicò dicto Paulino probant, quod extat 1. Tim. 5.*

*Adolescentiores viduas deuota, cum enim luxuriat & fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* At id non ita esse, testabitur vel vnus ex nostris scriptoribus Bellarminus; qui votum hoc ex pluribus sacrarum litterarum locis rectè contra hæreticorum leuitatem astruit. *Primam fidem; inquis, plerique ex nostris eam interpretantur, quæ in Baptismo data sit: Pontificij votum castitatis esse asserunt:*

Multum debeo tibi ob hæc pauca verba, mecumque debent omnes Pontificij. *Pontificij, inquis, votum castitatis esse asserunt,* Pontificij ergo sunt duceti illi & tredecim patres Concilij Carthaginensis quarti; inter quos & Augustinus: Pontificij erit ipse August. in aliis scriptis extra hoc Conciliū. Pontificij erit Hieron. & Basilius, & alij plurimi; qui hunc locum in hunc sensum interpretantur; vt intelliges, si loca à me notata ipse digneris inspicere, sepositis nonnihil Insti-

tutio-

tutionibus Caluini aut Locis Philippi. Tuorum interpretationem non refello; tum quia iam refellit Bellarminus, tum quia tu ipse, doctior Bell. lib. 2. tuis magistris, eam non probas, nouam ergo de Monac. affers, eamque ineptiarum plenam; *Vidua illa, cap. 24. inquis, non vouerant Deo castitatem, sed presbyterio promiserant, fide data, se perpetuo viduas mansuras. & pauperibus ministraturas. Hanc fidem, non raro fallebant, & ad nouas nuptias respectabant, cuius leuitatis graues pœnas dabant damnata ab omnibus.* Egregia profecto loci Apostolici expositio, cui præter veritatem nihil deesse video: nam quod noua sit & antiquitati ignota, id tibi laudi, non vitio dandum arbitraberis. Affirmat Apostolus, *tales viduas habere damnationem; & conuerti retro post Satanam.* At hoc non est infamem apud homines fieri, aut in omnium factum nostrum improbantium & reprehendentium ora incurrere; alioqui eidem locutioni apud eundem Apostolum idem sensus subiectus erit: vt cum ait de impiis quibusdam calumniatoribus suis; *Quorum damnatio manifesta est, & alibi. Qui autem resistunt Dei ordinationi, ipsi sibi damnationem adquirunt.* Si in his locis damnationis vocabulum accipitur pro pœna coram Deo; non coram hominibus, cur in supradicto loco eodem sensu non acciperetur vox eadem tam græca quam latina, præsertim cum paulo post sui ipsius explanator sit Apostolus, quo sensu pronunciarit tales viduas damnationem habere, cum dixit: *eas con-*

D

uertit

Ioan. 14.

Matth. 13.

Bell. lib. 2.  
de Monac.  
cap. 22. 23.

Conc. Carthag. 4. cã.  
104. Aug. lib. de virg. c. 23. & lib. de bono vi duit. ca. 8. & 9. Hier. lib. 1. cont. Iouin. Bas. lib. de virginit.

Rom. 3.  
Rom. 13.



*ueri retro post Satanam.* Quid enim hoc aliud est, quam, relicto Christo, suam operam Diabolo addicere; eumque ut duces sequi, & quod hinc est consequens, pœnis æterni supplicij obnoxium reddi?

Sed tu ad extremum inauditam tuam interpretationem grauisimo scilicet argumento confirmas: *propter coniugij repetitionem*, inquis, *pro condemnatis habitas fuisse, ne Apostolus quidem mihi persuaserit, nisi à se ipse dissentire velit.* Ergo si Apostolus à se dissentiat, sibi que contradicat, tum demum fidem apud te merebitur? Nolle tibi excidisse hæc verba, ferrei & inflexibilis tui cerebri perspicua argumēta: Quis tecum de continentia voto differet, si tam peruicax & cerebrosus es, ut ne ab Apostolo quidem persuaderi velis; nisi Apostolus velit, quod tu velis. Par esse videbatur, ut tu te Apostolo, non Apostolus tibi sese conformaret. Ais, *Iesuitas non debere ad id effuse gloriari castitate; cum etiam Idololatras abstineant à certis cibis & rebus venereis*, Idque probas testimonio Clementis Alexandrini. Cum olim Iouinianus castitatem oppugnaret, præter cetera argumenta, etiam isto est usus, teste S. Hieronymo; quod *nunquam hoc genus (cœlibem vitam ducentium) in seculo sit probatum: & nouum dogma contra naturam religio Christiana prodiderit.* Hac calumnia excitatus Hieronymus, contexit ex omni antiquitatis memoria longissimum catalogum, tam mulierum, quam virorum, qui in tantis illis ethnicae superstitionis tenebris cœlibem vitam vel coluerint; vel summis laudibus celebrarint. At ho-

Hier. lib.  
1. contra  
Iouinian.

hodierni hæretici contraria via incedunt, ut castitatis decus eleuent, & extenuent. Iouinianus ita argumentabatur. Nulli ex Ethnicis hoc viuendi institutum amplexi sunt: ergo repudiandum est; tanquam id, quod à natura prorsus abhorreat. At isti ita ratiocinantur. Ethnicis itidem castè vixerunt, nihil ergo præ ceteris eximium præstant Christiani, cum vitam nuptiarum expertem ducunt. Notauit supra veterem hanc Ethnicorum calumniam. Addo nunc, perinde esse, quasi ita argumentarentur, constanti Christianorum Martyrum & tolerantia deprimendæ gratia. *Mutius dextram suam in ara reliquit. Empedocles totum se Catanensium Aetneis incendiis donauit. Regulus, ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore crucis patitur; Anaxarchus cum in exitium perissana pilo contunderetur, tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem; & Anaxarchum enim non tundu.* Attica meretrix, carnis iam fatigato, postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sauietis expuit, ut expueret & vocem, ne cœturatos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, quidnam Philosophia præstaret, cum respōdisset, contemptum mortis, impassibilis flagelli tyranni obiectus, sententiam suam vsque ad mortem signabat. Laconum flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantia domui conferunt, quantum sanguinis fuderint: Similia constantia, patientia & inuicti animi exempla, non pauci Ethnicorum edidere. Quid magni ergo præstiterunt Machabæi cum suis illis sup-

Tertul. A-  
polog. cap.  
50.

2. Mach. 7.  
Hebr. 11.

pliciis, quid Apostoli, quid alij, qui vt ait sanctus Paulus, *ludibria & verbera experti sunt, se-  
Ei sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt;* omnium enim horum cruciatuum paradigma, magnanimitatis & imperterritæ mentis plenissima, suppeditabunt tibi Ethnici, veri numinis ignari. Si hoc argumento vti non audes, ne pleraque Apostolorum, Martyrum, imò & ipsius CHRISTI præclare facta & decora alta funditus è medio tollas, quæ dementia est, collectione planè simili, castitatis laudem imminutum & depressum ire, cum si saperes, potius inde concluderes, mirabilem castitatis pulchritudinem esse, quæ ad sui amorem etiam Idololatrias pellicere potuerit: Deinde mirandam vel potius miserandam esse improbitatem & peruersitatem vestram; qui neque exemplo Ethnicorum; neque Christi & Christianorum, ad huius virtutis studium excitari potestis, vt proinde contra hanc generationem prauam & adulteram, Ethnici in iudicio sint surrecturi & vos condemnaturi. Quo enim ardore castitatem coluissent, si Christi & Christianorum, tot præclarissima exempla ad imitationem proposita habuissent, & diuina illa præmia castis decreta cognouissent, cum solo rationis lumine ducti, voluptates corporis fortissimo animo repudiarint; vosque nondum ex stygia palude exortos; cum vestris Epicureis de castitate placitis confutarint. Itaque desine quærere; *quid magni præstant Iesuite castitatem professi, idem facientes quod Magi;* aliàs ego vicissim quæram; *Quid magni*

magni præstiterit Christus & Apostoli, castam vitam amplexi; idem facientes quod Magi, quorum aliqui castam vitam degerunt. Quid magni præstant Christiani, vnum Deum conoscendo; idem facientes, quod & aliqui Magi, quibus vnus Deus non fuit ignotus? Dixi iam supra, virtutem non desinere esse virtutem in quocunque demùm inhit. Quare si castitas inueniatur in Mago, laudanda & imitanda est, nam castitas non facit Magum, sed Magia, nec fugiendus & execrandus est Magus; quæ castus; quæ vnus Dei gnarus, quæ temperans, & abstinens, sed quæ veneficus. Finis hic disputationem tuam contra castitatem; finio & ego defensionem pro castitate, simulque adiungo, Luthero & Caluino magnas gratias deberi ab omnibus Apostatis, & Ordinum suorum defertoribus: Nisi enim isti duo venissent, scædifici scortatores *Paradisum* S. Hier. H. 2. contra *intrare non poterant*, vt de Iouiniano scitè dixit Iouin. S. Hieronymus.

## C A P V T IV.

De voto paupertatis & obedientia.

**V**otum paupertatis, ais, à Iesuitis elici ex speciali illo vel personali præcepto; quod datur homini propria iustitia persuasione inflato, & opinione singularis cuiusdam perfectionis. Si vis, inquit Christus; esse perfectus, vade, vende omnia

Bell. lib. 2.  
de Monac.  
cap. 20.

omnia qua possides, & de pauperibus. Solent ex hoc loco orthodoxi paupertatis votum elicere, vt dicis, sed non ex hoc solo, vt te Bellarminus docebit, si docenti patientem aurem accommodes. Cur tu verò istum, qui perfectionis adipiscendæ consiliū à CHRISTO exquisiuit, tot conuiciis oneras? Non enim tibi satis est; eum à te appellatum *hominem propria iustitia opinione inflatum*, sed ne parum intemperantis linguæ esse videreris, nominasti & hypocritam. Quo audito, inquis, hypocrita ille tristis abibat. Atqui à tuis criminatio- bus eum absoluit ipse CHRISTVS; melior, nisi fallor, cordium inspector & cognitor, quàm tu: cum enim dixisset ille princeps, vt à sancto Luca nominatur, se ab ineunte a- tate mandata DEI custodiisse, IESVS intuitus eum, dilexit eum, vt ait sanctus Marcus: Nec hoc tantum: Sed & addidit. *Adhuc vnum tibi deest*. Si ergo Dominus Principem hunc ama- uit; alterum, si tibi constare velis, fatearis necesse est; aut CHRISTVM hypocritam ama- sse: aut hypocritam esse ignorasse: Si v- trumque plenum absurditatis est & impieta- tis; tute cogita; quomodo non etiam, quod tu asseueras, ab omni ratione sit alienum. Quod si hypocrita erat; non verè à Christo audiit: *adhuc vnum tibi deest*. Hypocritæ profecto non vnum, sed omnia desunt. Quod au- tem *concristatus in verbo hoc, mœrens abiit*, id non est hypocriseos indicium, sed argumen- tum

Lucæ 18.

Marci 10.

tum eius difficultatis, qua via ad perfectio- nem Euangelicorum consiliorum obsepta est. Nec verum est, quod addis, *hanc recusatio- nem facile indicasse, falsò eum de legis obserua- tione gloriatum esse*: Potest enim quis man- data Dei verè & integrè seruare; & tamen nolle ad hunc perfectionis gradum pertinge- re, quocirca non dixit Christus; *Si vis ad vi- tam ingredi, vende omnia, qua possides*; Sed; *serua mandata*; venditioni autem & distribu- tioni facultatum in egenos præposuit perfe- ctionem. *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende omnia qua possides, & de pauperibus*. Ne graue onus nolenti videretur imponere, inquit Hieronymus, *in propria audientis voluntate dimisit, dicens: si vis perfectus esse*.

Hier. li. 2.  
contra Io-  
uinian.

Tu duplicem paupertatem statuis; alteram, *spiritualem*, communem omnibus Christianis, non tam in rerum penuria, quàm in animo re- bus caducis non affixo sitam; ex Prophetæ monito: *Diuitia si affluant, nblite cor apponere*; hanc non consilij, sed præcepti esse, nesciuisse- mus scilicet, nisi tu ea de re nos monuisses. Alteram paupertatem statuis ad corpus perti- nentem, positam in penuria rerum ad vitæ sustentationem necessariarum. *Hanc*, inquis, *cu- pidè vouisse nouimus Monachos*. Monachi non hanc præcisè paupertatè vouent, quæ etiã nolenti obtin- gere potest; sed illã, qua quis sese spòte omnium

Psal. 61:

rerum dominio & possessione priuat, ita vti particulari, vel etiam in communi, pro varietate religionum, nec velit, nec licite possit quidquam possidere, abdicato à se, per paupertatis votum, omni illo iure, quod alioquin ad rem suam faciendam vel conseruandam vel amplificandam habebat. Hanc paupertatem Monachi cupide vouerunt; & verò adhuc vouent. *Sed quæ est illa paupertas, inquis, nihil habere proprij, & interim frui lautitijs omnibus? Quid pauperes dicat opulentorum hominum liberos, qui vt nihil proprij possideant, omnibus tamen necessarijs abundant; quod haud scio, an Iesuitis etiam contingat.* Talis videlicet paupertas est, qualis primæuæ illius & Apostolicæ Ecclesiæ, de qua S. Lucas. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur aut singulis, prout cuiq; opus erat: Quere & hic, quænam hæc paupertas, vbi singulis diuidebatur prout cuiq; opus erat: imò, quod mirabilius; in qua paupertate nullus egès erat. Ita enim S. Lucas: *Neque enim quisquam egens erat inter illos; si tam facilis & suavis hæc paupertas est, qui fit, quod apud Caluinistas & Lutheranos aded nullus eius vsus est: nihil enim dicam de illa, quæ nec in particulari nec in communi aliquid possidet: hanc enim citius apud**

Ethni-

Ethnicos, quàm apud Hæreticos repereris. Sed quàm suavis sit hæc religiosa paupertas docui iam olim Hasenmüllerum, vel potius Polycarpum Leiserum. Tu, Misene, inde pete, & simul ad alteram, de liberis opulentorum parentum calumniam, hoc habe responsum: Discrimen esse inter hos & religiosos, quia filij ius habent ad bona paterna, vt pote parentis hæredes. At religiosi nihil in bona communia particularis Iuris habent; nō enim sunt singulorum; sed communitatis. Quod si copiosorum hominum liberi splendide habentur & tractatur, id non mirum, nulla enim in tali domo paupertatis professio. At religiosi habentes victum & vestitum, Apostoli exemplo, his contenti viuunt, *citò expletur natura necessitas: frigus & fames simplici vestitu & cibo expelli potest.* Hoc S. Hieronymi dictum omnes Religiosi, qui instituto suo conuenienter sese gerunt, & verbo & factò verum esse docet: ne tu victum & vestitum lautum & magnificum somnias.

Nugas tuas de paupertate Religiosorum concludis fabella digna nugis coronide. *Nuper in celebri quodã Germania oppido, inquis, hostes quidã tenuitate apparatus apud peregrinos excusans, nō meæ, inquit, culpa parum laute tractamini, sed Iesuitarum, qui emunt quidquid auicularum, perdicum & gallinarum affertur.* Annō pudet te facere; quod toties criminis loco Ribadeneira obiicitis? Si ille dicat: *quoddã die: quadam vice hoc vel illud accidit: tu statim aduolās, et cur nō nominas diē, inquis, cur non designas certū tempus? Cur? Quia mendacio latebrā quæris,*

In Refut.  
hist. Ord.  
Iesuit. fol.  
96.

1. Tim. 6.  
S. Hieron.  
lib. 2. con.  
Louinian.

Act. 2. & 4.

Meliore iure hæc ego tibi. Cur nõ nominas diẽ? Quid tibi vult illud *nuper*? Cur nõ nominas celeberrimum illud oppidũ? cur nõ hospitẽ? cur nõ peregrinos illos culpa Iesuitarum tam miserẽ acceptos? cur nõ collegium ipsũ? Cur? nisi quia metuis ne hoc tuũ, vel tui illius hospitis mēdacium in luminis oras extrahatur. Mirũ dictũ, hunc Calvinistam cum suis gregalibus, melius nosse, quid existemus, quã nos, qui quotidie mēstræ nostræ affidemus. perdecies profectò & aues tricliniũ nostrũ nullas nouit, nisi tu boues & oues & vitulos pro ficedulis & perdicibus habeas, quia, vt alicubi scitẽ ratiocinaris, si boues alas haberent, volare possent, quo ipso aues essent. Sed fortassis ne harum quidem pecudũ carne nos vesci æquo animo pateris. Quid ergo? An vis vt cum *Arabibus et Saracenis, et cũ omni eremi Barbaria camelorũ lacte et carnib. viuamus, aut vt cum Ponticis vermes, aut cum Afris locustas comedamus, ignarus, vnãquãq; gentem; vt rectẽ ait S. Hieron. non cõmuni lege natura, sed iis quorũ apud se copia est, vesci solitã.* Sed siue hoc siue illud manducemus & bibamus, nunquam Calvinistis, & Lutheranis satisfaciemus. Ioann. Baptistã comedit locustas, & mel siluestre; Christus quidquid apponebatur, nec hic nec ille calumniatorum morsus effugit. *Venit Ioannes, inquit Christus, neque manducans, neque bibens, & dicunt; Dæmonium habet: Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.*

Illud obseruatione dignum est, calumniam hanc de sumptuosis dapibus, quam nobis & aliis religiosi Ordinibus hæretici toties obici-

unt

unt, sumptam esse, vt & alias ab Ethnicis, qui inter cætera Christianis lautitias & mensarum exquisitas cupedias obiectare solebant. Ita enim Tertullianus ad Ethnicos: *Cœnulas nostras vt prodigas quoq; sugillatis. De nobis scilicet Diogenis dictum est; Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri.* Ad hanc calumniam respondens Tertullianus ostendit; quãta frugalitate & temperantia Christiani cœnare consueuerint: *Non prius, inquit, discumbitur, quã oratio ad Deum prægustetur: Editur quantum esurientes capiunt: Bibitur quantum pudicitia est vitale: ita saturantur, vt qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: Equẽ oratio conuiuium dirimit, inde disceditur nõ in cateruas cætionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitia, vt qui non tam cœnam cœnauerint; quã disciplinam: Quæ de cœnis Tertullianus, ea & ad prandia, Misene, accommoda: & ad tuas de nostris lautitiis responsum, non meũ, sed antiquissimi Tertulliani habebis: nam in lautitiis non est disciplina, sed disciplinæ solutio: Sapiẽtia operam dare non possumus, inquit S. Hieron. si mensa abundantiam cogitemus. Hæc de paupertate.*

Ab obedientia paucis, te expedis, homo, vt apparet, non admodum amans obedientiæ. *Obedientiam, inquis, si eam intelligant, quæ sit præceptis Dei seruandũ cõsecrata, nemo hanc piorum improbabat.* Hanc non intelligimus, cùm de tribus Religiosorũ votis differimus: nam hæc ad omnes Christianos pertinet. *Si de alia, inquis, loquũ-*

tur

S. Hieron.  
lib. 2. cont.  
Iouin.

Matth. 3.

Tertul. A-  
pol. c. 38.

*tur, qua serui non Dei, sed hominis redduntur mancipia; illam sibi retineant, quam nos scimus Apostolico praecepto vetitam. Obedientiam Religiosam, etiam sine tuo admonitu, retinere parati sumus, qua tamen non mancipia hominum, sed serui Dei, & hominum propter Deum efficitur: aut si mancipia hominum; certe & mancipia Dei; nisi fortè tu ne mancipium quidem Dei esse velis.*

*Qui igitur cum Propheta iumentum Dei fies? nisi fortè vilior sit apud te conditio mancipij, quam iumentum. At prohibuit Apostolus, ne quis seruus hominum fiat: Pretio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominum. In promptu est responso. Prohibuit, ne quis seruiat hominibus potissimum propter ipsos homines, vel etiam in malis perpetrandis, sed non prohibuit, ne quis seruiat hominibus propter Deum, & in rebus honestis & laudabilibus exequendis, quod obedientia facit: alioqui alio in loco secum ipse Apostolus pugnaret: cū his verbis seruos alloquitur:*

*Serui obedite per omnia Dominis carnalibus; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum, quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus. Scientes quod à Domino recipietis retributionem hereditatis. Domino Christo seruite.*

Psal. 72.

1. Cor. 7.

Coloss. 3.

## CAPVT V.

*Mendacia & calumnia Miseni in varios religiosorum ordines.*

**A**Bsolutis votis redit Misenus noster cum sua tuba ad Religiosos Ordines; quorum ortus & incrementa fuse nobis denarrat ex Pseudopolydoro & Peucero, fidelissimis scilicet historicis, qui tanto veritatis studio, animique candore posteris Religiosorum Ordinum initia prodiderunt; quanto Apion ille Alexandrinus Grammaticus, primordia Iudæorum: & Celsus Epicureus incunabula Christianorum. Ait; *Benedictinos à Benedicto sic appellatos tria vouere, morum conuersionem, obedientiam & stabilitatem.* Suspiciari quis posset te fuisse aliquando Benedictinum, cum tam probe teneas, quæ sint Benedictinorum vota, quæ tamen tuam quoque censuram subire debent; cum dicis, *hec inepte ad peculiarem quendam Ordinem trahi, cum ad omnes pertineant Christianos.* Si conuersio morum secundum regulam S. Benedicti, quæ uouent in sua professione Benedictini, ut ex S. Thoma liquet, ad omnes omnino Christianos pertinet, sequitur omnes omnino Christianos esse Benedictinos. Pari modo, si obedientiam præstare ex præscripto regulæ S. Benedicti, & ad extremum usque spiritum in Religione S. Benedicti, & in loco ubi professionem feceris, perseverare (quæ duo tu à Benedictinis uoueri tradis) omnes Christianos concernunt: oēs Christiani Benedictini erunt: quod si verum esset; nulli Calviniani, nulli Lutherani, nulli alterius vel nominis vel opinionis Sectarij essent;

S. Thom.  
Quodli. J.  
q. 9. ar. 20.

essent; quàm verum igitur est Caluinianos, Lutheranos, & aliarum classium nouatores esse; tam verum est, tria hæc ad omnes Christianos non pertinere; quamuis morum emendatio, obedientia, & in bene cœptis constantia & perseverantia ab omnibus exigatur: at non ad normam illam, quam D. Benedictus suis seu filiis, seu fratribus præscripsit.

Ceterum vt tuam nobis in Monasticis votis interpretandis solertiã declares, ingeniosè profecto explanas; quisnam his tribus Benedictinorum votis subiiciatur sensus. *Morum conuersio*, inquis, *est abdicatio vitæ civilis. Obedientia refertur non ad Deum; sed ad Abbates & Priores: Stabilitas intelligitur de perseverantia vsq; ad mortē in exequendis iis, quæ à superioribus mādantur.* Meritò tibi hîc acclamatur vetus illud; *Non potest melius: pulchrè, benè, rectè.* Acu mentē & sententiam S. Benedicti attigisti. Nimirum tot regulis & statutis, tot sanctissimæ & laudatissimæ vitæ exemplis; nihil aliud voluit S. Benedictus, quàm vt sui posterî nō sint politici; vt superioribus, non Deo obtemperant, vt superiorum non Dei iussa constanter, dū spirant, faciant. Confirmabit tuam explicationē mirum in modum sanctus Gregorius Magnus, & ipse Benedictinus libro secundo Dialogorum, quem totum vitæ sancti Benedicti consecrauit. Cui euoluendo, vt diligentem operam naues, oro, haud te pœnirebit operæ, præferim, si adiungas epistolam septimam sancti Bernardi, vbi de his Benedictinorum votis accuratè differit. Libenter monerem, vt & sancti Thomæ Quodlibeti primi, quæstionis nonæ,

articulum vigesimum consuleres. At vereor non modò ne ego molestus sim; sed ne ipsa *Quodlibeti, quæstionū, & articuli* nomina tibi bilem moueant. Es enim, vt Pan ille apud poetam, *acer; Et in summis naribus tibi semper bilis recubat acris.*

Pōst tuã operam tam feliciter exponēdis Benedictinorum votis impēsam, resumis cum tuo Polydoro & Peucero narrationem de ortu Ordinum, tandemque ad Franciscanos delaberis, quos Peucerus ait, credo non sine gemitu, non multorum annorum spatio, prouentu penè incredibili, in omnes occidentis partes sese disseminasse, atq; in aulis, gynæceis & vrribus ferè solos dominatos esse. Tu vtrobiq; apponis hanc notam: *Notent hoc Iesuita.* Idē salutis humanæ hostis, qui olim Ethnicorū ore conquerebatur de multiplicatione Christianorum; is etiam hac ætate lamentatur ore & calamo hæreticorum felices & celeres religiosorū Ordinum progressus. *Obsessam vociferantur ciuitatem*, inquit de Ethnicis Tertullianus, *in agris, in castellis, in insulis Christianos, omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento mœrent. Nec tamen hoc ipso (Ethnici & Hæretici) ad æstimationem alicuius latentis boni promouent animos, non licet rectius suspicari, non licet propius experiri, hic tantum humana curiositas torpescit, amant ignorare, cum alij gaudeant cognouisse.* Quare non est, quod Iesuitas moneat Misenus, vt notent celerem illum, & tam longè lateque sese diffundentem Ordinis sancti

Tertul. A-  
polog. c. 1.

S. Hier. li.  
2. contra  
Iouin.

sancti Frãncisci progressum: Agnoscimus libenter & prædicamus in propagatione huius Ordinis diuinam potentiam: Fatemur non nisi cœlesti virtute tot millenos, vnum in cœturm, seuerissimis legibus astrictum colligi, collectosq; in omnes Christiani orbis partes diffundi potuisse. Illud de gynæceis ad prædicantes pertinet, quibus fauent, vt de Iouiniano veteri prædicante dixit S. Hieronymus, *crassi, nitidi, dealbati, adde, si vis, iuxta Socraticam irrisiõnem, omnes sues & canes, & quia carnem amant, vultures quoque, aquila, accipitres & bubones, quoscuq; formosos, quoscuq; calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis viderimus: de prædicantium armento sunt: de grege Monachorum, tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius seculi; licet sermone taceant, habitu loquuntur & gestu: Hei mihi quia peregrinatio mea prolongata est: Hirci, quales prædicantes; non Agni; quales Monachi, plurimas post se capras trahunt. Alterum de dominatione in vrbibus similiter prædicatium, non Franciscanorum est; qui, vt & alij Religiosi, probè sciunt; neminem, qui militet Deo, implicare se negotiis secularibus. Addis ex Polydoro: ob hanc tam subitã Franciscani instituti multiplicationem vulgus iam olim stupefactum, suspicari cœpisse, non tam pietatem, quàm otium & ignauiam interdum multis cordi esse. Vbi tu iterum cum illa tua glossa accurras: *Notent hoc Iesuita. Idem quod Polydorus de Franciscano; & tu de Iesuitico instituto, suspicamini, suspicatus est iã olim Celsus Epicure-**

Epicureus de Christianæ Religionis instituto; ad hoc enim aiebat solos *fatuos, ignauos, stupidos & mancipia, mulierculas & pueros aduolare*, spe videlicet otij & desidïæ; cuius calumniã quomodo refellat Origenes; intelliges, si relicto Polydoro & Peucero, percurrere velis tertium Origenis librum, quem in eundem Celsum edidit. Ego vel hoc vnicò argumento vanitatis vos arguam. Si Ordo Franciscanus, vel noster, otij & ignauix causa institutus esset; vtique Calviniani & Lutherani fuci, Ordines istos amplecterentur & fouerent, & nomina sua eis darent. At tantum abest, vt hoc faciant, vt & Franciscanos & Iesuitas, vbicunq; possunt, exterminent, & ex finibus suis eiiciant: Signum ergo est, ordines hos non otio & desidïæ, sed labori & operæ indefinente consecratos esse; quod & Apostata testatum faciunt, qui ad Lutheranos & Calvinianos transfugiunt: non otium pertaxi, sed laborem religiosum; non vt otuari desinant, sed vt otuari incipient.

Ab Ordine Minorum venis ad Ordinem Minimorum: quem describis ex Polydoro: *Novissimè, inquis cum supposititio Polydoro, quando ignauissimo cuique (notent hoc Iesuita) iam nouæ religionis introducendæ libido incestit; Franciscus quidam, homo Siculus, D. Francisci summisionem emulatus Minorum sectam instituit: Hæc verba Polydori, quisquis Polydorus fuerit; non Catholico, sed Hæretico spiritu effusa sunt. Nam primum tantum abest, vt ignauissimo cuique liceat nouam Religionem instituire, vt ne strenuissimo cuique id sine summi Pontificis pote-*

Orig. li. 3.  
cont. Cels.



stateliceat; Deinde quis iste Polydorus, qui Franciscum de Paula, virum sanctissimum plurimisque miraculis clarissimum, Regibus & Principibus Galliæ gratissimum, & ab isdem, dum viveret, summo honore cultum (quem Siculum nominat, cū Calaber fuerit) ignavissimi probroso cognomento afficiat, cum cuius industria & tam patiēdo, quàm faciendo pro Christi nomine indefessa opera; si Polydori vel Miseni sumptu negligentiam conferam, summa profectō iniuria summum ævi nostri ornamentum onerem: Itaque quod tu Misene nos Iesuitas hæc Polydori conuicia notare iubes, bene quidem facis; sed ea iam ante sine tuo monitu notaueramus; & non nisi conuicia esse videramus, ut proinde mihi aliquando subeat suspicari, Polydorum hunc, ut olim illum Troianum, matre aliqua Hecuba (quam Poëtæ ob maledicentiam in canem conuersam aiunt) esse progenitum, à qua tantam conuiciandi libidinem cum vita acceperit. Sed quid mirum Franciscū de Paula maledicam linguam istorum non effugere; ob nouum ordinem abs se institutum; cum ne ipse quidem Augustinus virulentum Petiliani Donatistæ Episcopi dentem vitare potuerit; eo quod parens fundatorque Monastici cuiusdam ordinis esset? *Deinceps perrexit, ait de Petiliano S. Augustinus, ore maledico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vite à me fuerit institutum.* Petilianum strenuè imitantur Misenus & Polydorus, cui Iacobus Homo Cremonensis, *tam est laboris fugiens, quàm ignauia amator; non alia de*

S. Aug. li.  
3. cont. lit.  
Petilian.  
cap. 40.

causa;

caussa; quàm quia ordinem quendam instituit, tempore Polydori, inconsulto Polydoro. Quare ut in istum pro sua modestia Polydorus, vel Hæreticus sub Polydori nomine latitās, amara cōuitia iecit, ita eadem iecisset in S. Augustinum, & in S. Basilium; si illis vixisset temporibus, quibus duo ista Ecclesiæ lumina, certos ordines instituerunt, institutosque certis legibus temperarunt. Addis ex Polydoro; *Hinc cognoscere licet, quàm conducibila esset (latere Gallia) hæc hominum feces tanquam membra Christiana Religionis agnata conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus (notent hoc Iesuita) cultus diuini nitorem, & mundiciem diutius conspurcarent.* Si Polydorus hæc Propheticè & per præfensionem scripsit de Calvinistis & Lutheranis, omnino assentior; & è re Christianæ Reipublicæ vel maximè fore confiteor; si fiat, quod Polydorus faciendum monet. Quod si hæc de Monachis & Religiosis scripsit; agnosco veterem Donatistam & circumcellionem in nouo Polydoro, ac proinde non pluris æstimo has & tuas & Polydori in Religiosos Ordines criminationes; quàm olim Orthodoxi easdè æstimarūt proiectas à circumcellionibus in Monachos: vnus & idem Diabolus, & per apertos hæreticos, & per fictitios, politicosque Christianos Religiosam vitam infestatur & infestat. Quod Galliam ob exilium nostris decretum ad lætitiā cohortaris; nescio num tibi sit obtemperatura. Sed de hoc iam suprā. Hæc verba sancti Hieronymi accipe, quæ scripsit cum impulsu hæreticorum,

Hieron. e-  
pist. 62. ad  
Theoph.  
Alex.

quorum ipse domitor & inuictissimus trium-  
phator erat, proscriptus esset cum suo monaste-  
rio: *Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm  
faciendo contumelias fundata est Ecclesia, persecutio-  
nibus creuit, Martyriis coronata est; aut si isti soli  
iuxta quod legimus, amant rigorem, & non nouerunt  
persecutionem sustinere, sed facere; sunt & hic Iudæi:  
sunt variorum dogmatum Hæretici, & maximè im-  
purissimi Manichæi, cur eorum, ne verbo quidem  
quempiam audent ledere, nos solos expellere cupiunt;  
Nos soli, qui Ecclesiæ communicamus, Ecclesiam scin-  
dere dicimur: Oro te, nonne æqua est ista postulatio?  
vt aut illos nobiscum expellant, aut nos cum illis tene-  
ant; nisi quod in eo nos magis honorant, quos saltem  
exilio ab hæreticis separant.* Hæc pro se & suis Hie-  
ronymus. Haftenus de Pseudopolydoro, ho-  
mine, qui, vt de Hermogene dixit Tertullia-  
nus; & de Heluidio S. Hieronymus, *Loquacita-  
tem facundiam existimat, & impudentiam, constan-  
tiam deputat; & maledicere singulis officium bonæ  
conscientiæ indicat.*

Tertul. lib.  
cont. Her-  
mog.  
Hier. libr.  
cont. Hel-  
uid.

Nunc te denuò audiamus Misene, *Iam tan-  
dem, inquis, temporum series nos ad societatem il-  
lam augustam deduxit; qua vt ritibus quibusdam &  
regulis discrepet à superioribus ordinibus, in idolola-  
tria tamen, & superstitione reliquos omnes post se re-  
liquit. Quod Societas proprias quasdam regula  
& consuetudines habeat: id omnino necessari-  
um est, aliàs non diuersa ab aliis; sed eadem cum*

aliis

aliis religio esset. Idololatriam, quam ceteris  
feruentius defendamus, nos nullam penitus  
nouimus. Hoc scimus; Iesuitas in India & Iapo-  
nia multa millia idololatrarum ad Christianam  
fidem traduxisse, destructis idolis, idolorumq;  
delubris funditè euerfis: Vetus est & hæc Vi-  
gilantijs & Iconoclastarum in Orthodoxos ca-  
lumnia, quos ob id pia antiquitas *Χριστιανορθη-  
ζογες, Christianorum accusatores* nominauit. At vo-  
bis videtur id quod nos propugnauimus, Idolo-  
latria esse. Etiam Vigilantio videbatur Idolo-  
latria esse id, quod faciebat & defendebat S. Hie-  
ronymus, & cum illo totus Catholicus orbis. Et  
tamen ob hanc hæretici opinionem, Hierony-  
mus, & cum illo totus Catholicus orbis ido-  
lolicus non erat. Quia verò in libro vitæ P. I-  
gnatii, sæpe fit mentio Catholicæ fidei, non abs-  
re fore censuisti, si contra speciosum Catholicæ  
fidei titulum & vocabulum, antidotum para-  
res, ostenderesq; quidnam Iesuitæ fidei Catho-  
licæ nomine significent, ne quis ex simpliciori-  
bus seducatur. At cum medicamentorum, vt ap-  
paret, valde sis inops; ea depromis ex pharma-  
copolio Peuceri; longumque catalogum verbis  
Peuceri texis; quidnam mente & cogitatione  
concipiendum sit, cum Iesuitæ Catholicam fi-  
dem nominant, in quo catalogo tot fermè sunt  
mendacia Peuceri, & tua; quot verba: *Tua vo-  
co; quia tua fecisti transcriptione & recitatione.  
Dicit, Monasticos ordines introductos ea occasione;  
quod in collegiis opulentioribus Sacerdotum & Mo-  
nachorum, iam regnarent luxus & belluationes, stu-  
dia verò doctrinæ iam exoleuissent.* Mendacium hoc

Hier. cont.  
Vigilant.  
Vide Con-  
cilium II.  
Nicæ.

redarguunt ea, quæ de Iessais Monachis ex Epiphanio, Philone, & aliis, & de totius Monastica vitæ initiis attulimus. Quid, quod hoc mendacium sibi non constat. Ex helluationibus opulentiorum Monachorum, Monasticos ordines exortos fingit: Ergo Monachi erant, antequam erant? Et Monastici ordines erant, antequam instituerentur, cùm instituti sint occasione Monachorum helluantium. Ab his Ordinibus ex hoc commentitio ortu prognatis comminiscitur Peucerus excogitata, & mundo obtrusa esse omnia illa, quæ nobis hodie cum Sectariis controuersa sunt: Quidquid fides Catholica de peccato originis, quidquid de sacrificio Missæ, quidquid de bonis operibus, quidquid de Christi persona, quidquid de nostra iustificatione, quidquid de discrimine nouæ legis, & veteris, quidquid de votis, quidquid denique tradit, quod Caluinianis & Lutheranis non placeat; id totum ab istis Monachis inuentum est; & contra expressum Dei verbum in orbem Christianum, sub Catholicæ fidei velo, inuestum; *Quoties igitur adolescentes*, inquit Misenus, *audient fidem Catholicam nominari, toties ad ea, quæ modo commemorata sunt ex Peucero*, tanquam ad gnomonem, vel si mauis, tanquam ad acum nauticam respicient; ne forte à mendaciorum portu aberrent; *Atque ita*, inquis, *splendor nominis aciem mentis parum hebetabit*; quo enim pacto sol veritatis penetraret ad mentes, tanta mendaciorum & criminationum caligine obseptas? Quia tamen Vincentius Lirinensis melius nouit, quid sit Catholicum, quàm Peucerus & Misenus, uicissim

cissim rogo & ego adolescentes, vt quoties audierint fidem Catholicam nominari, toties ad hæc verissima Vincentij verba respiciant: *In ipsa item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum est; hoc est etenim verè proprieque Catholicum (quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit) sed hoc ita demùm fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem: Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnã fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confiteretur Ecclesia: Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Maiores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque iisdem, si in ipsa vetustate omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Hæc ille. Sed iam, quod bene veritat, ad Hispanum militem, patrem Iesuitarum Ignatiũ accedis, eo supercilio, quo olim Goliath ad Bethlehemiticum militem, vel potius pastorem Dauidem:

Vtinam pari etiam  
euentu.



*Refutatio calumniarum, quas Misenus in  
 praefationem Ribadeneira  
 effudit.*

**P**rimum, inquis, *percurremus praefationem.*  
 Metuebam, ne primum percurreres peror-  
 rationem seu Epilogum. *Quia, ut rectè ait*  
 Origenes, contra Celsum, *nihil ordinatum habet*  
*furor & odium, sed his affectibus occupati, conuictis*  
*appetunt, quos prosequuntur odio, non permisi con-*  
*sideratè atque ordine accusationem texere. In praef-*  
*atione, inquis, non pudet Auctorem Societatis infelicis*  
*Generalem praepositum parem Christo facere, & ipsius*  
*vocem, vocem Christi putare, quasi miser ille Borgia*  
*vnus ex Apostolis fuerit, quos, qui audiunt, Christum*  
*audiunt:* Verba Christi hæc sunt: *Qui vos audit, me*  
*audiuit; qui vos spernit, me spernit.* Hæc verba non  
 modò ad Apostolos & septuaginta duos Christi  
 discipulos, sed ad omnes omnino superiores  
 pertinere, docet S. Basilius; & alij Patres; & ex  
 Apostolo item liquet, eum, cuius est iussa exe-  
 qui, in imperantis persona considerare debere,  
 non hominem sed Deum; ita enim Apostolus;  
*Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Do-*  
*mino, & non hominibus:* Si igitur mandatum il-  
 lud Christi ad omnes pertinet, qui præfunt; Et  
 similiter mandatum Apostoli ad omnes, qui  
 subsunt, non video, quid culpæ admiserit Riba-  
 deneira, qui suberat, si Borgia, qui legitimè præ-  
 erat, iubenti, vt vitam Ignatij lucrìs mandarer,  
 parendum

Orig. lib. 1.  
 con. Cels

Lucæ 10.

S. Basilius  
 constituit.  
 Monastic.  
 cap. 22.  
 Coloss. 3.

parendum putauit, vt Deo, non vt homini; *At*  
*hoc est hominem parem Deo facere; sed ed vsque*  
 tantum hominè parem Christo facimus, quate-  
 nus ipse Christus voluit hominè sibi parè fieri.  
 Certè discipuli Christi homines erant; & tamen  
 sine scelere eos sibi pares, cõstituit Christ⁹, pares  
 inquã, eo modo, quo vicarij pares sunt iis; quo-  
 rù vices gerunt: pares sunt; sed lógo interuallo  
 pares. Sine scelere itidè; vt pares Christo agno-  
 scerbãtur & honorabãtur ab aliis: ppter illa ver-  
 ba: *qui vos audit, me audit:* quibus Christus suam  
 personam in Apostolorum personã quasi tran-  
 stulerat: sicut Rex transfert personam suam in  
 personam vicarij; vt vicarius non quidem sit  
 Rex, sed Vicerex. Si ergo in omnem illum, qui  
 legitima potestate præditus est, Christus suam  
 personã transfert, necesse est, vt quisquis præest,  
 honorerur & colatur tanquam vicarius Christi,  
 & vt sic dixerim, quasi Vicechristus.

Sed hoc studium obedientiæ, tu *brutum vo-*  
*cas:* Quo nomine appellabis obsequium illud  
 Daudis, quod Deo præstare solebat, quodq; ip-  
 se his verbis exposuit; *vt iumentum factus sum a-*  
*psal. 72.*  
*psal. 72.*  
*psal. 72.*  
*psal. 72.*  
 Idem videlicet dices, quod vxor eius  
 Michol; cum Regem coram arca Domini sal-  
 tantem & psallentem, *accinctum ephod lineo,* ex  
 edito superbiæ loco intueretur; *Quàm gloriosus*  
*fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas ser-*  
*uorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de*  
*scurris;* quàm gloriosus Rex Israël; qui bestię  
 locum apud Deum sibi deposcit. Quo nomine  
 afficies illam obedientiam, quam S. Basilius e-  
 rudi-

S. Bas. loc.  
cit.

ruditione & pietate tam tuo testimonio, quam sine tuo testimonio excellēs, à Religiosis & Monachis exigit, Quemadmodum, inquit S. Basilius; *Faber lignarius aut architectus, vnoquoque artis instrumento vititur ad propriam voluntatem, & non dixerit instrumentum, quod non impleturum sit vsum, ad quem artifex ipsum vsurpat, sed paret manui ducentis: Sic conuenit Ascetam seu Monachum, velut instrumentum seruiens artificio, ad spiritualis edificij complementum in omnibus obedire, in quibus Præfectus ministerium ipsius requisierit, ne spiritualis operis perfectionem corrumpat, proprium sui vsum non conferens; & quemadmodum instrumentum non sibi ipsi eligit, quod agendum est ad artis collationem; sic etiam conuenit Monachum non sibi ipsi opera eligere, sed cedere prudentia ac gubernationi artificis, vt de se ipse statuat, quod velit.* Hæc S. Basilius, quæ Calviniani & Lutherani bruti non capiunt: si caperent, bruti non essent; ex quibus libenter quærerem, si obedientia ided *bruta* dicenda est, quia quemadmodum oves pastori obediunt (vtar verbis S. Basiliij) *ea pergentes, qua duxerit eas Pastor: Sic pietatis Asceta obediunt præfectis; non curiosè inuestigando præcepta, vbi à peccato fuerint pura, sed cum omni alacritate & studio explendo ea, qua fuerint demandata;* Cur non magis fides Christiana sit vocanda *bruta*; cuius maximè proprium est omisissis rationibus, *in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi.* Quod si ideo vobis *bruta* videtur obedientia quæ causam

man-

mandatorum non postulat, quia imitatur brutorum quorundam obsecundandi promptum morē; bruta itidem erit prudentia & simplicitas Christianorum, quia vtraque harum imitatur ex præscripto Christi bruta; altera quidem *serpentem*, altera *columbam*; nisi forte apud istos non Romanos, sed Germanos Bestias *serpens* & *columba* non sint bruta. At quod Borgiam *miserum* nominas eo solùm nomine; quia orthodoxus & Iesuita fuit; agnosco in te calumniam eius; qui olim omnes Christianos ore Iuliani & aliorum Ethnicorum appellabat miseros, ea solum de causa, quod Christiana religione initiati essent. *O miseros Christianos, qui crucem adoratis*, aiebat ille Apostata; Et Ethnicus ille Præses ad circumfusam Christianorum coronam: *O miseri, si mori lubet, præcipitia vel laqueos habetis.*

Sed propius iam ad rem. Reddit Ribadeneira suæ scriptionis varias causas, exemplo videlicet plurium tam profanorum, quam Ecclesiasticorum scriptorum, qui res vel vnus vel plurium litteris consignarunt. Mitto profanos; Theodoretus aggressurus historiam ecclesiasticam consilij sui rationem exponit, cur opus illud susceperit. Idem facit Eusebius initio suæ Ecclesiasticæ historię. Idem Athanasius initio historię, quam de S. Antonio conscripsit. Idem S. Hieronymus vitam S. Pauli primi Eremitæ & S. Hilarionis ad posteros transmissurus.

Idem

Matth. 10.

S. Cyril. li.  
6, contra  
Iulianum.Tertul. ad  
Scapulam.Theodor.  
præfat. in  
Relig. Hi-  
stor.

Idem S. Lucas initio sui Euangelij. Idem, vt paucis dicam, alij quàm plurimi. Prima causa Ribadeneiræ est mandatum superioris, quod hætenus exagitasti; altera laus Dei. Hic tu; *quasi verò ex mendaciâ putidissimis laus emanet ad Deum.* Planè ex mendaciis nulla laus ad Deum redundat. Sed vnde probas hæc, quæ Auctor de Ignatio percensebit, mēdaciaz esse; & quidem *putidissima.* Accusare quidpiam mendacij, non est ostendere illud esse mendacium, alioqui veritas sæpe mendacium esset; quia sæpe mendacij accusatur, sed nunquam conuincitur. Si contra historiam Religiosam Theodoretî, aut contra Dialogos S. Gregorij, aut contra vitas quorundam Sanctorum à D. Hieronymo editas, scribere instituis, eandemq; notam apposuisses, an omnia illa, quæ Patres illi referunt, mendacia fuissent, ea tantum de causa, quia id ita tibi colibuisse? Sed ad hanc tuam calumniam loco Auctoris nostri respondeat tibi non ego, sed Theodoretus; qui qualis sis, iam dudum demonstrauit, depingendo te in tui similibus calumniatoribus. *Qui non est crediturus iis,* inquit, Theodoretus; *quæ à me dicenda sunt* (de sanctis Patribus) *clarum est eum, ne iis quidem credere, tamquam veris, quæ per Moysen, & Iesum, & Heliam, & Helisaum facta sunt. Habere autem etiam pro fabulis miracula, quæ facta sunt à sanctis Apostolis. Sin autem illa esse vera testetur, hac quoque credat esse à falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea, quæ fecit. Perennis enim gratia & eos, qui digni sunt, eligens, veluti per quosdam*

Theodor.  
præfa. hist.  
Relig.

*falien-*

*salientes, per hos effundit fluentia sua operationis.* Vtrum Theodoretus à mente tua aberrarit, tu videris: eum aberrasse ego certè mihi non persuadeo, cum biblicis scriptoribus tantum humana fide assentiaris, ac proinde tantum credas; quantum lubet, quæ est humanæ fidei conditio.

*Ais, Auctorem causam addere, cur ex hac de Ignatij rebz scriptione laus ad Deum sit redundatura.* quod vt, inquis, *Deus institutum istius sectæ Religiosæ stabilierit; & viam arctam & portam angustam ad beatitudinem esse docuerit.* Parum bona fide agis. Ribadeneira non de nostro tantum, sed de omnibus Religiosis institutis dixit, *ea à Deo esse stabilita,* nec ob id etiam viæ arctæ & angustæ portæ mentionem fecit; quasi foli Iesuitæ per angustam portam in cælum contendant, vt tu fingis; Sed quia omnibus Religiosis hoc propositum esse debet; vt cum, Christo docente, sciant, viam ad salutem arctam, & portam angustam esse, non insistant viam illam latiore, quæ ducit ad perditionem, à qua eò magis recedunt, quo magis ab illecebris huius mundi sese auocant, nō quod illi, qui extra religionem viuunt, si conuenienter diuinis præceptis vitam instituant, via illa latiore incedant, & à porta angusta, atque adeò ab aditu cœli aberrent; sed quia certum est Religiosos, ex vitæ suæ præscripto, magis remotos esse à via illa lata, quæ ad interitum ducit; cum abdicent se per Religiosæ vitæ professionem omnibus illis, quæ aliquem in via lata vel retinere, vel in eam reuocare possunt. Scommma de Palatiis Regum & aulis Principum,

Matth. 7.

Ori-  
g. lib. 1.  
cōtra Cel-  
sum.

cupum, in quibus Iesuitas conspici ais, prætereo, Quia superuacaneum est; vt rectè ait Origenes, respondere verbis, quæ nihil docent, sed tantum vituperant & irrident. Interim noueris, etiam illos Religiosos; qui officij, vel boni communis causa, aliquando in aulis versantur, non desinere esse Religiosos; Quia verus Religiosus non est, qui non vbiq; sed in cœnobio tantum Religiosus est. Itaq; siue Religiosus sit in aula, siue in cella, viam arctam non deserit, sed eò ardentius eam insitit, quo videt præsentius periculum sibi imminere, ne fortassis deliciis captus viam illam latiore ingrediatur.

*Memoratu, inquis, dignum est, quod Hispanicum illum militem facem cœlestem nominat. Primum, Auctor non dicit speciatim de Ignatio, eum facem cœlestem esse, sed generatim de omnibus viris sanctimonia præstantibus affirmat, eos tãquam faces quasdam cœlestes in terram mitti: cur ergo tu verba & sensum Auctoris deprauas? Deinde Auctor non sine veterum Patrum exemplo ita locutus est: Nam, vt alios taceam, D. Gregorius Nyssenus, vitam & res gestas D. Gregorij Thaumaturgi facem animis nostris affulgentem, viamq; ad bonum patefacientem appellauit: Et Christus suos Apostolos: & in Apostolis omnes apostolicè, labentibus annis, victuros, lucem vocauit. Facem, inquis, rectè crediderim Ignatium appellari posse. Quot enim rogos, quibus p̄ homines & innocentes conflagra-*

vunt,

S. Gregor.  
Nyss. orat.  
in Gregor.  
Thaumat.

Matth. 5,

vunt, Ignatius cum maledicta sua familia in Italia, Hispania, Gallia, Belgio incendit? Scilicet, vbiunque cerebrosus, pertinax & turbulentus Hæreticus in cineres vertitur, culpam eius supplicij sustinet Ignatius cum sua societate. Quis combussit Hæreticos antequam Ignatius nasceretur, & antequam societas institueretur? Forte fax hæc pyras incendit; antequam esset. Forte Seruetum Geneuæ; & Valentinum Gentilem Bernæ eadem fax per flammam ad flammam demisit. Sancti viri non sunt faces, quæ vrant corpora, sed pectora; non igne isto corporeo; sed illo spiritali diuini amoris. Corpora, tecta, vrbes vrant, & exurunt faces Hæreticæ, quales Calvinus; Lutherus & similes Furia, tædis ardentibus mundum peruolitantes; & in obuia quæque ignem iniicientes. *Ab igne, inquis, nõ absurdè Ignatium dictum esse suspicari aliquis possit. Ita est, at non eam ob causam, quam tu comminisceris; sed tùm ob eam, quam paulò antè attuli; tum quia Ignatius cum sua societate te tuique similes vrit; Et ob hanc item, quam poetâ hoc suo anagrammatismo complexus est.*

*Ne misera horrendam paterentur secula noctem,*

*Et fœdus obcæcet nigror:*

*Insignem virtute virum, & præstantibus ausis*

*E bellicosa Iberia*

*Extulit; hic dudum sopitos suscit at ignes,*

*Et nomen euentu probat.*

*Namq; putem instinctu superùm monituq; parentes*

*Nomen dedisse Ignatio:*

*Vt prius estifera conceptum mente vaporem*

*Lumenque terris diuidat,*

*Magna<sup>q</sup> de tenui veniant incendia flamma*

*Ac multa inardescant face:*

*Eg<sup>o</sup> Mari Hesperio, rubicundi solis ad ortum*

*Lucem<sup>q</sup> & ignem differant.*

*O magnum decus hoc aui. Tu Ignatius ille es*

*Illatus ignis à Deo.*

Ait Ribadeneira; à Deo profecta esse opera; quæ de Ignatio sit scripturus. Tu, mendacia, inquis, à Diabolo, non à Deo proficiuntur; Rectè dicis; sed necdum probasti; nec probaturus etiam es, mendacia esse, quæ Ribadeneira scribit. Tu ais esse mendacia; sed affirmatio tua, vt maximè mendacium sit; sicut reuera est, non tamen tam efficax est, vt id quod non est mendacium, transmutet in mendacium.

Tertia scriptiois causa Ribadeneiræ fuit incensum fratrum desiderium cognoscendi res ab Ignatio gestas. Eadem causa impulit olim S. Athanasium, vt vitam S. Antonij litteris consignaret; vt ipsèmet Athanasius testatur: Desiderium hoc, ait Ribadeneira, ortum ex admiratione tam longè lateque, breuissimo tempore, propagatæ societatis. Hic tu: *Quasi verò res admirabilis sit multos homines, præsertim egentes, & propter flagitia exulantes sectari otium & lautas culinas.* Quod ad egestatem attinet; non tam nos, quam Christianam religionem feris; quæ & ipsa ab egenis, & in hoc mundo abiectis fundata & propagata est. Audi Apostolum: *Videte vo-*

*catio-*

*cationem vestram, fratres. Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Secundò, omitto dicere te & hic Celsi egregium imitatore esse; qui eodem conuicio Christianos non semel appetiit: istud assero, te inuidorum Phariseorum vestigiis insiltere; qui cum Christi gloriam aliter obscurare non possent; nec haberent, quod dicerent vel facerent, ob ingentem hominum multitudinem quotidie ad ipsum magis atque magis confluentem, in hæc conuicia eruperunt; Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Ioan. 7.*

Tertio ex hoc ipso, si probæ mentis esses, colligere deberes, societatis institutum non humana, sed diuina ope repperit, confirmatum, & tam latè diffusum esse; vt ad similem criminationem de Apostolis, Christianæ religionis propagatoribus, Cælo Origenes respondit. *Respondendo, inquit Origenes, eos, qui prudenter & candidè possunt res Apostolorum examinare, facile perspicere, quod diuinâ virtute Religionem Christianam docuerint, tantòque successu verbo Dei subiecerint homines; id quod ipse deinceps pluribus ostendit. Ad extremum, licet homo Religiosus, qui superam ciuitatem respicit; cui, vt*

*Orig. li. 1.  
contra Celsum.*

*Nys. Orat.  
in Greg.*

*patria, Thaumata,*

F

S. Athan.  
præfat. in  
vitam S.  
Antonij.

s. Cor. 1.



*patria, virtus: cui ciuitas, ipsa Regia Dei; cui omnis pulchritudo & ornamentum animi puritas est, magnificentiam & ostentationem in rebus terrenis, sibi probro atque dedecori esse ducat; noueris tamen in hac minima societate & viuere & vixisse Principes, Comites, Barones, Nobiles, & plurimos alios opulenti maioribus prognatos; qui, audeo dicere, amore Christi, patrimonia plurium aureorum spreuerunt; quam Misenus ex toto suo patrimonio conficere possit numeros, licet id sub hasta, auctione instituta, vendat. Calumniam de exulibus & flagitiosis refel-  
lunt nostræ Constitutiones; quæ vel inprimis boni nominis rationem haberi volunt in iis, qui in hanc societatem alleguntur. Et quomodo exules sumus à patria? Germani docent, concionantur, alia munia obeunt in Germania; Itali in Italia, Hispani in Hispania, palam, in omnium conspectu; in Scholis, in Academicis, in templis, & cum fert occasio, in natali loco, in quo quis vsuram huius lucis primitus accepit. Deinde animaduerto & hic animum Celsi Epicurei cum calumniandi libidine in te immigrasse. Nã & iste solos flagitiosos ad Christum confluxisse blasphemabat: cuius mendacium, cum Origenes refutasset, ponit tandem Origenes, id ita esse, vt calumniabatur Celsus, additque: *Quid absurdi, si Iesus ostendere volens humano generi, quantum eius medicina contra pestes animarum polleat; infames & nequissimos elegit, eosque eò prouexit vt morum purissimorum exemplum fierent, amplectentibus ipsius Euangelium.**

Quod

*Quod si par est, vt iam mutatis exprobremus vitam pristinam, accusandus erit, & Phædon iam Philosophus. Quia, vt habetur in historia, è meritoria cella in scholam philosophicam traduxerat eum Socrates. Sed & Polemoni, Xenocratis in professione Philosophia successori, luxum exprobrabimus pristinum, cum potius deberemus eius vim & in illis admirari, quod tantis vitiis occupatos valuerit efficacibus suasionibus ad bonam mentem traducere, Idem tibi responderem, licet tua de flagitiosis calumnia; non esset calumnia.*

De otio & luculenta culina supra egi. Alij Cap. 4.  
Hæretici obiiciunt nobis nimium negotium; hic otium: Forte ipse etiam Misenus minus nos didisset; si nobis minus negotij, præsertim Scholastici & Concionatorij; & plus otij ab huiusmodi occupationibus esset. De sumptuosis epulis mirum te non obmutescere: *tot tribubus et curiis & decuriis (prædicantium) ructantibus accersit aër, & tam à te, quam à Peucero tacetur; de sola Monachorum & Iesuitarum culina & triclino retractatur.* Hoc non à me, sed à Tertulliano Tertul. A-  
polog. cap.

Quarta caussa scriptionis Ribadeneiræ fuit 39.  
inuitatio ad imitationem Ignatij. Eadem caussa fuit sancto Athanasio scribèdi vitam S. Antonij; Nysseno narrandi laudes & præclare facta D. Gregorij Thaumaturgi. Hic tu: *Atqui Paulus: Estote imitatores mei, sicut & ego CHRISTI. Ita iterum sit Ignatius Apostolus, sed non CHRISTI Apostolus.* Si nemo ad imitationem

Philip. 3. proponi aut potest, aut debet; nisi sit aut Paulus; aut alius Apostolus: cur eodem loco monet Christianos, vt obseruent eos, *qui ita ambulat, sicut, inquit, habetis formam nostram?* Cur inuitat ad alia imitationis exempla; præterquã ad se & ad Apostolos, si imitari nefas est illos, qui Apostolorum vestigia secuti Apostolicam vitam sectantur? Cur laudat Thessalonicenses; *quod facti sint forma omnibus credentibus in Macedonia & Achaia?* Certè Macedones & Achiui, si Misenum consuluissent, non Thessalonicenses Christianos, sed ipsum Apostolum imitari debebant, relictis illis Thessalonicensibus. Atqui ab imitatione Apostolorum non aberrat, qui imitatur imitatores Apostolorum: Sicut ab imitatione Christi non excidit, qui sibi proponit Apostolos imitandos: Alioquin minimè dixisset Thessalonicensibus Apostolus: *Vos imitatores nostri facti estis & Christi.* Sicut ergo, qui Apostolum imitantur, Christum imitantur: ita qui imitatore[m] Apostolorum (Qualis Ignatius) imitatur, is & Apostolos & Christum imitatur. Si non licet imitari nisi Apostolos, cur vult S. Petrus, vt illi, qui præsumt, *fiant forma gregis ex animo?* Quid est *forma gregis*; nisi exempla virtutum à sapientibus edita, & ad imitationem subditis proposita, vt ea ipsi itidem vita & actione exprimant?

1. Petr. 5.

Quinta causa est *voluptas ex scriptione oritura.* Quam rationem probo & ego, inquis, Sed qua de causa? Quia, inquis, *liber ille vix euolui potest sine singulari animi oblectatione ab iis, qui se iucundis fabellis*

*bellis exhilarare volunt.* Vita Ignatij non est hos in vsu parata: Si te fabellæ iuuant; habes Aesopum, habes Metamorphos. Ouidij; habes Lucianum & Apuleium. Ex his huiusmodi voluptatem haurias licet, non ex vita Ignatij, ex qua nemo talem oblectationem capit, nisi is qui & cælum & cœlites pro fabulis habet. Enimvero planè similem tuæ oblectationi oblectationem percipiebant olim Apion, Celsus, Iulianus, Porphyrius ex lectione Moysis & Prophetarum, Christi & Apostolorum. Et tu quoque eandem percipis, si aliquando legas vitas Sanctorum à S. Gregorio in dialogis, aut à Theodoro in historia Religiosa descriptas; aut si euoluas vitam S. Antonij ab Athanasio editam, aut res gestas Pauli primi Eremitæ, aut S. Hilarionis, aut Malchi Monachi à Hieronymo litteris commendatas; Tanti enim omnes istos facis; quanti Ignatium & Ribadeneiram.

Sexta causa est animi pietas, vt *gratus*, inquit, *videatur erga bene meritum Ignatium*; non quod, vt tu mentiris; *ab ipso impudenter mentiri didicerit*; sed quia pietas & reuerentia in parentem iubet, vt filius quoquo modo, præclara patris sui facinora ab obliuione vindicet; posterorumque memoriæ prodat. *Quomodo enim non est absurdum*, ait Theodoretus; cum historiam Religiosam aggredieretur, vt *poëta quidem & scriptores ea conscribant, quæ in bello fortiter & præclare gesta sunt*: Tragici autem eas, quæ rectè cœlabantur calamitates tragœdiis in publicum proferant, & earum scriptis mandatam relinquunt memoriæ: aliqui au-

Theodor.  
præf. hist.  
Relig.

rem alij in Comædiis & rebus ridiculis consumant orationes: nos autem sinamus eos viros tradi oblivioni, qui in corpore mortali & patibili ostenderunt impatibilitatem, & incorpoream amulati sunt naturam. Addis; Iesuitis suis laborem ominatur fructuosum futurum: nec vanus augur fuit; fructuosissimus enim toti societati, Dei beneficio, Ribadeneiræ labor exstitit. De aliis, inquis, non audet hoc dicere: Unde hoc nosti? An quia hoc non dixit Ribadeneiræ? Atqui multa sæpe non dicimus, non quia non audeamus, sed quia non velimus. Porro aliis itidem Ribadeneiræ industriam multum emolumenti attulisse, testantur cum alia, tum quod liber hic non semel in Germania, Flandria, Italia & Hispania latinè sit excusus: & in Germanicam, Italicam & Hispanicam quoque linguam translatus; & à tam latinè doctis, quàm à latinè ignavis cupidè lectus, non sine admiratione rerum ab Ignatio gestarum. Pergis, *Quam ridiculum autem est, quod scribit, primam legem historiae esse veritatem, quam profitetur se scripturum.* Quid tu hic ridiculum vocas? An tritum illud dictum: *Prima historiae lex est veritas?* At tu citius ridiculus fueris, quàm hoc omnium approbatione firmatum verbum. An ridiculum ducis, quod Ribadeneira profitetur veritatis studium? Si præstare veritatem ridiculum non est; cur ridiculum sit veritatem promittere? Verba Ribadeneiræ hæc sunt: *Quoniam historiae prima lex veritas est, hoc in primis profiteor, me nihil inexplorati scripturum, sed res mihi notas, certas, testatè ac litteris proditurum.* An nullus unquam histo-

ricus

ricus veritatis pollicitationem historiae suæ præmisit? Testor Iesum & sanctos angelos eius, inquit S. Hier. in S. Hieronymus scripturus vitam S. Paulæ Romanæ; ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit et comes admirabilis feminae, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui; sed quidquid diciturus sum pro testimonio dicere. Et S. Athanasius initio vitæ S. Antonij profitetur se in primis veritatis rationem habiturum, ut alios præteream, ne rem probationis minimè indigam, videar probando facere improbabiliorum. Ais, *protestationem factam esse contrariam.* At cuius iudicio? Tuo videlicet, quod tam sanum est, ut tribus anticyris vix perferari queat.

*Ne dubitemus, inquis, asserti locupletes testes se & Ignatium ipsum:* Nec se dat testem, nec Ignatium; sed ait, se scripturum ea, quorum partem non exiguam ipse viderit, plurimorumque annorum cum Ignatio conuictu notauerit: An non hoc ad historiae humanæ veritatem facit; scribere quæ videris, quæque ipse sis expertus? Nec hoc facit Ribadeneira absque veterum exemplo: Possidius scriptor vitæ D. Augustini, vel maximè narrationi suæ fidem inde conciliare nititur; quod ea litterarum monumentis consignanda susceperit; quæ, ut inquit, per eum (Augustinum) didici & expertus sum, quàm plurimis annis eius inherens charitati: fuisse autem annos ferme quadraginta, quibus cum August. familiariter ac dulciter Possidius vixit; testatur ipse extremis

propemodum suę hystorię verbis: Theodoretus ita præfatur in suam de vita Sanctorum Patrum hystoriam. *Ex iis quę sunt dicenda; ipse quidem vidi nonnulla; quę autem non vidi, audiui ab illis, qui viderunt.* S. Athanasius præfatione in vitam S. Antonij, ait, se de Antonio commemoraturum ea; quorum ipsemet non pauca proprio experimēto didicerit: *frequentem enim, inquit, eum viftaui.* Idem alij tam sacri, quam profani scriptores nõ raro faciunt. An & isti se ipsos testes laudant? An & Possidius Augustinum ipsum testem veritatis adfert; cum ait se ea percensere statuisse; quorum partē ex ipso Augustino cognouerit. Quæso te, vnde cognouit S. Hieronymus totā illam de Malcho Monacho hystoriam? An nõn ex eo ipso, de quo hystoriam textit? Quid ergo mirum, si & Auctor noster referat nonnulla, quę ex Ignatij orę intellexerit? Nec his duobus, quamuis maximi pōderis, ad veritatis persuasionem, contentus fuit Ribadeneira: quod maiorem suę hystorię fidem conciliet, addit testes, qui Ignatium nouerunt; hac item in re veteres hystoricos imitatus, nominatim Theodoretum, qui, vt paulo ante dicebamus; ita scribit: *Ex iis autem quę dicenda sunt; ipse quidem vidi nonnulla, quę autem non vidi, audiui ab illis, qui viderunt; viris virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti, vt & eos viderēt, & eorum doctrina fruerentur.* Quę res tanti momenti est ad auctoritatē hystorię, vt ne D. quidē Lucas initio sui Euangelij eā præterire voluerit; professus se, q̄scripturus erat, accepisse ab iis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Tu

tu tamen testes, ab auctore productos, non finis à tuis calumniis intactos abire. *Addit, inquis, nescio quem Gonzalez, quem nemo nostrum, qui mortalis esset, audiuit.* At quis P. Ludouicus Gonzalez fuerit, nouit Italia, Hispania & Lusitania, fuit enim & genere nobilissimus, & virtute & doctrina insignis, & est ille ipse, quem Didacus Payua, Lusium Gonzalez à Camera nõ sine religiosissimi & doctissimi titulo nominat. Deinde num nullius, nisi quem noueris; testimonium fide dignum arbitraris? Nouistine testes, quorum testimonij vitur in sua Ecclesiastica hystoria Eusebius, aut Socrates, aut Sozomenus, aut Euagrius? fortē, vt illa apud poëtam, *oculos in manu* habebat; ita tu fidem habes in oculis. Quod cernis, credis; & nihil præterea. Adhęc, si Ribadeneira, Theodoreti exemplo; nullum testem nominatim expressisset; nihil certē amplius ab eo exigere potuisses; sicut neque ab aliis hystoricis exigis; si nomina testium speciatim nõ designent. Nunc cum plus præstiterit Ribadeneira, quàm tu vel meritò desiderasses, vel leges hystorię requirant, quę criminandi impotentia est, hoc solò nomine in testes inuehi; quod eos non noueris; quia contentus esse debuisses, vel inuitus; si tacitis nominibus hos testes Auctor noster laudasset.

*Adiungitur, inquis, alius testis, Ludouicus Consaluus; qui omnia ex ore Ignatij accepit;* Hallucinarius: abreptus fortassis nimio calumniandi calore P. Ludouicus Gonzalez & P. Ludouicus Cōsaluus vnus & idem est; non duo; ne tu nobis conduplices, quem simplicem & rectum, non du-

Didac. Payua Præfat. in explic. Orth. cont. Kénitium.

F 5 plicem

plicem & fallacem nouimus. Quod autem Ignatius patri Confaluo quædam de vita sua, & beneficiis à Deo acceptis exposuit; id non sine exemplo plurium sanctissimorum virorum fecit. Exposuit D. Augustinus vitam & conuersionem suam non vni Possidio, sed toti mundo, in pulcherrimis illis confessionum libris. *Tandem, vt veritati cedamus, accedit,* inquis, *Iacobus Laines Societatis præpositus; qui, vt Ignatij filius, multa vidit, multa notauit. Cederes veritati, si vlla veritatis cura te tangeret: Sed cereus in mendacium es; plumbeus in veritatem, fidem non metiris rebus; sed arbitrata tuo; vel potius libidine. Ex his fontibus,* inquis, *Auctoris historia manauit.* Omnino ex his fontibus, quorum nos ed minus pœnitet, quod magis vobis displicere videmus: Quod Tertullianus de Nerone, hoc Tertul. Apolog. c. 5. nos de vobis, paululum immutatis verbis. Talibus damnatoribus nostris etiam gloriamur. *Qui enim scit vos: intelligere potest non nisi grande aliquod bonum à vobis damnari.*

Subiungis. *Auctor, vt mendaciorum parcus videretur, ea scribere noluit, quæ incertis auctoribus, aut non satis locupletibus dici poterant.* Quid tu hîc habes, quod calumniaris; præter tuam calumniandi effrenem cupiditatem? Annon laudi datur cuius scriptori; in quocunque argumento versetur; si incertis & fabulosis abstineat: certa & testata secutus? Cur igitur in Ribadeneira reprehendis, quod alteri, in quem odio & furore non sis inflammatus, necessariò laudi dabis?

his? Annon laus vel potissima historici est, vt non tam scribat, quàm vera scribat? *Pulcherrimam,* inquis, *rationem addit; quod cum in omni re mentiri turpe sit, tum in Sanctorum vita referenda turpissimum.* Rides hoc dictum; ideo, quia tantum abest, vt mentiri apud te sit turpissimum, vt ne turpe quidem sit, nam si vel turpe esset, nunquam tot mendaciis singulas libri tui pagellas resperisisses. Et quî, oro, turpissimum non est, mendaciis velle cœlitum gloriam illustrare; perinde sanè ac si quis tenebris veller splendorem Solis adaugere? Dicis, *Auctorem his verbis testè indicare, Ignatium, nec esse nec fuisse sanctum, quando impudentissimè mentitus est de eo.* Tu quidem, more tuo, Ribadeneiram de Ignatio mentitum asseueras, sed non probas. Accusari potest mendacij etiam innocens, conuinci non potest nisi nocens. Interim innocens hoc quasi priuilegio fruitur, quod mēdacij non sine mēdacio accusatur: Quod nū hoc loco Ribadeneiræ acciderit, candido lectori arbitriū pmitto. *audet,* inquis, *reliquas legendas mendacij arguere.* Quas verò *Legendas?* Vide, oro, mi Misene, ne dū cœco nimis impetu, nimis mendacem reddere vis Ribadeneiram, tu ipse mendax efficiaris. Quo enim vel minimo verbulo Sanctorum historias mendacij arguit? Deinde, si *Legendas* Dinorum mendacij, quod absit, argueret; idem quod tu faceret. Quo igitur iure tibi hanc culpam donas, eodem & Ribadeneiræ eandem ignoscere deberes, ne videaris tibi clemens & mitis; aliis durus & immitis. *Hoc,* inquit, *salsum, de iis*

Eccles. 11.

de iis qui viuunt, ait se parcius locuturum: de mortuis paulò plenius, hoc est, paulò impudentius. Monitum Sapientis est: *Ante mortem ne laudes quenquã*: Idem præcipiunt poëtæ. Quid igitur peccauit Ribadeneira, cum id se facturum promisit; quod & facri & profani scriptores faciendum esse monent? Nam quod illud paulò plenius interpretaris; paulò impudentius; satis animaduerto, te reliquis Calvinistis non paulò, sed longo interuallo impudentiorem esse.

## CAPVT VII.

*Calumnia Miseni in caput primum & secundum libri primi vite Ignatij.*

Orig. li. 2:  
sont. Cell.

**I**N primo capite, inquis, nihil sanè notatu dignum occurrit. Nam facile credimus rem ita habere, ut narratur. Si credis, quæ auctor scribit de familia, ortu, educatione; rebusque Ignatij in militia gestis; cur fidem aliis derogas? Per absurdum est, ut rectè ait Origenes, eiusdem commentarij lectioni, prout odium dictauerit, vel credere, vel nõ credere. Imitaris hoc etiam loco Celsum; qui vbi commodum videbatur, veteri & nouæ legi fidem commodabat; vbi incommodum; fidem denegabat. In quem Origenes (cuius verbis & ego in te) *Quod si Celsus credit Euangelis, quoties ei videntur contra Christianos facere; iisdem asserentibus Iesu diuinitatem nolere credere: dicemus ei: heus tu, aut in vniuersum eis non crede, & criminari desine:*

448

aut si credis omnibus, quæ continent, admirare verbum Dei factum hominem, eo consilio, ut prodesset vniuerso humano generi. Addis: *Sed de superstitione monendum aliquid. Quæverò hæc superstitio?* Ait Auctor; Ignatium ex periculoso morbo conualluisse deprecatione S. Petri, quem præcipua quadam religione coluerit; quemque adesse, sanitatemque afferre sibi visus sit. *Multiplex, inquis, hic latet superstitio. Vnde enim scire potuit se, deprecante Petro, conualluisse.* Quæro ego vicissim exte. Vnde scire potuerit Constantia Constantini Magni filia, se, ope beatæ Agnes Virginis, ab incurabili propemodum morbo curatam esse. S. Ambro. Ita enim sanctus Ambrosius. *Constantia Regina, ferm. 90. Virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, ut à capite vsq; ad pedes, nulla membrorum pars liberata remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperanda salutis, venit ad tumulum Martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat: Quod dum faceret; repentina somni suauitate corripitur. Et vidit per visum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constante age Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Saluatorem tuum, per quem modò consequeris omnium vulnerum tuorum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana; & sic sana, ut nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret.*

Dices, ei apparuisse D. Agnetem. At Ignatio apparuit itidem S. Petrus, Hic tu, vnde Ignatius  
Petrum

*Petrum nouerat sibi adesse, & sanitatem afferret*  
 Quaram & ego; Vnde Constantia Agnem nouerat sibi adesse, & sanitatem afferre: Tu de Ignatio: *Fortasse miles ille ad statuam Petri procubuerat pridie; quæ per quietem illi visa est adesse.* Fortassis Constantia itidem ad statuam Agnes vigilans procubuerat, quæ per quietem visa est ei adesse. Sed ut propius interrogationes tuas excutiamus, vnde scire potuit Dorcas illa, se deprecatione D. Petri adhuc uiuentis à mortuis excitatam esse; cum, ut tu loqueris, *Christiani unicum habeant mediatorum, mediatorum & Aduocatum filium Dei?* Vnde Æneas ille Paralyticus precibus & beneficio beati Petri persanatus, nosse potuit; se, deprecante Petro, conualuisse; cum Christianis sit unicus *Mediator filium Dei.* Si dicas, experimento ipso hos ista cognouisse. Dicam & ego; Ignatium ipsa experientia depulsæ infirmitatis intellexisse; se interuentu beati Petri ex mortis faucibus ereptam esse; Quia peruigilium Festi Apostolici agebatur: quia ex intimis animi sensibus ad patronum suum diuum Petrum preces miserat; Quia denique D. Petri species diuinitus ei oblata fuerat.

Hic tu; *Vnde nouit Petrum esse.* Cedo & tu: Vnde nouit Paulus CHRISTVM esse eum, qui apparuit in via eunti Damascum? Nonne interrogauit, *Domine tu quis es?* Nonne simile quid potuit facere Ignatius, ut maximè ex aliis circumstantiis non cognouisset, quis ille esset, qui sibi apparuerat. Cum Ioannes Euangelista & Philippus Apostolus, Theodosio Magno, secundum

dum quietem apparuissent; simul etiam aperuerunt, quinam essent, & cuius gratia uenissent; ut scribit Theodoretus. Annon & hic idem accidisse credibile est; ut proinde stulta sit illa tua sciscitatio: *Petrus qui nunquam uiderat, quo pacto certus esse potuit de Petri presentia?* Quæso quid diceres; si quis ex te quæreret de Paulo; Christum, qui nunquam uiderat; quo pacto certus esse potuit de Christi presentia? Aut de Manue patre Sampsonis: Angelum, qui nunquam uiderat, quo pacto certus esse potuit de Angeli presentia? Quod responderes alteri proponenti tibi has quæstiones de Paulo & Manue; idem responde tibi ad quæstionem à te de Ignatio propositam: & aliam solutionem non desiderabis. Nam quod addis de *recauastro*, quasi Caluitiei nota ab Ignatio sit agnitus, uide ne non tam iocus sit, quam blasphemia; nam ut in cælo nullus Calvinista reperitur, ita etiam nullus caluaster. At non prætereunda est illa tua quæstio, quam secundo loco ponis, his uerbis concepta: *Cuius iussu præcipua Religione coluit Ignatius Petrum, cum Deum colere debuisset?* Soluta & hanc quæstionem alia quæstione, imitatus Saluatoris, qui Pharisæorum interrogationes soluit aliquando interrogationibus. Dic ergo, cuius iussu coluerunt veteres Christiani Martyres omni honoris genere, templis, diebus festis & celebrantibus; ita ut, Theodoro teste: *qui prospera erant ualitudine, conseruari sibi eam à Martyribus peteret, qui uero egritudine aliquam proficiscerentur, peteret Martyres sibi comites esse in via, uel potius itineris duces; qui*

Iudic. 13.

Theod. li. 8. ad Græcos.

uero

verò iam sospites redierant, gratias agerent, acceptū beneficium consistentes. Piè verò fideliterque precatos, ea maximè consequi, qua desiderant, inquit Theodoretus, testantur illa, qua votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirū adepta sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulacra suspendunt ex argento, auroue confecta. Gratiissimè namq; accipit eorum Dominus, qualiacunque sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur; quippe qui ea pro ferentis facultate meretur. Hec itaq; omnium spectaculo proposita testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt. Ad hanc quaestionem ex Theodoro cum responderis, tum etiam à me responsum ad tuam de Ignatio quaestionem expecta.

In secundo capite tractatur, inquis, *quaratione à seculi vanitate ad Deum conuersus sit Ignatius.* Ita est: Aut ergo verà fatere, quæ percentsentur, aut contrà accingere. In hoc capite, inquis, diligenter obseruandum initium conuersionis istius, quod deductum est non à lectione Scripturae sacrae, sed *legendarum, vulgo lugendarum vocatarum.* Ait Ribadeneira: Ignatio duos libros oblatos terendi temporis causa; alterum, qui vitam Christi; alterum, qui vitas Sanctorum continebat. Si tibi historiae Sanctorum sunt *lugenda;* cur, oro, saltem hoc nomine non perhorrescis dedecorare historiam Saluatoris nostri, collectam ex Euangelistis, veterumque Patrum monumentis? Deinde an nulla ad meliorem sanctioremque vitam rationem conuersio, laudabilis erit; nisi quæ ex ipsa

ipsa sacrarum literarum lectione immediatè, vt sic dicam, hauriatur? Laudat sanctus Augustinus, & quidem summoperè laudat duos milites in aula Imperatoris militantes; qui cum casu in vitam sancti Antonij à beato Athanasio scriptam incidissent, ita imitandi desiderio exarserunt; vt ab illo temporis momento, aulae & mundo multam salutem dicere; & sponsas nuper sibi desponsas deserere cogitarent; nec cogitarint modò, sed & re ipsa deseruerint. Quo exemplo, cum id Augustinus, ex familiari quodam suo intellexisset; quanto perè ad vitam in melius commutandam sit excitatus; nemo accuratius te docebit, quam ipsemet Augustinus, qui etiam auditis rebus gestis sancti Antonij, moras omnes abruptis; & à seculi vanitate ad vitam castam & integram, imo & ad monasticam sese transtulit. Num & Augustino obiicies conuersionem eius à *Lugendis* initium duxisse? Hæreticus quidam Iurisperitus, cum aliam quendam non ipsi nominis Iurisconsultum Caluinistam, funebri oratione laudandum suscepisset, non inter postrema eius encomia hoc ponit, quod ad lumen illud admirabile Euangelij, conuersus sit lectione colloquiorum Erasmi. Egregium profectò melioris vitæ initium; & dignum Caluinistica patella operculum: Tu tamen hic non rides: at cum ex Diuorum monumentis, Ignatium nostrum ad sanctiora consilia capefenda excitatum legis, rides; quasi verò ex Sanctorum historiis melior spiritus non spiret, quàm ex nouis ac priscis Lucianis.

S. Augusti:  
lib. 8. Cc-  
fels, cap. 6.



Ais, in conuersione Ignatij apparuisse luctam militis & Monachi, tandem Monachum vicisse, frustra mundo militem retinere conante. Totum hoc dicere licet de conuersione sancti Augustini, qualis enim lucta in eo extiterit, in iudone maneret, an mundo valediceret: & quomodo tandem Monachus vicerit (vtar enim hoc vocabulo, quandoquidem te eo oblectari video) frustra mundo Augustinum, Rhetoricæ profectorem, retinere conante; intelliges ex octauo Confessionum libro.

Scribit Ribadeneira, Ignatium quodã die diuinitus illustratum, animum intendere cœpiss; & tum demùm intellexisse, quantum interfit inter cogitationes de Deo, de Hierosolymitana professione, de vitæ asperitate festanda, de virtutis dignitate complectenda: & inter alias de mundo, iisque rebus, quæ in mundo regnant. Hic tu, quid credas, nobis patefacis; *Diem hunc,* inquis, *credo fuisse Calendas Maij apud Græcos.* Libenter credo te hoc credere; imò & hoc credo: cū legis vel audis illud, quod in lib. Iob scriptum est. *Quadam die cū venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan:* te credere, diem hanc fuisse Calendas Maij apud Græcos, aut certè apud Hebræos, aut apud Arabes. Sed quod ad Ignatium attinet, probabilius mihi videtur *diem illum quendam,* fuisse Calendas Iulij apud Latinos. Acciderunt enim hæc circa diem illum, qui Apostolorum Petri & Pauli anniuersariæ memoriæ dedicatus est, quæ scis circa Calendas Iulij apud Latinos celebrari; sicut & in Calvinisticis synagogis celebratur circa

Iob. 1.

circa Calendas Iulij apud Græcos, id est, nunquam. Quod addit, inquis, Ignatium nescio quæ præcepisse de spirituum diuersitate, nullius momenti sunt: *Quis enim nescit diuersos esse spiritus; spiritū Dei, & spiritum mundi:* Si nescis, vt verè nescis, quid Ignatius de spirituum varietate internoscenda tradiderit; cur vituperas? *non potes nullius momenti dicere, qui reuincis ignorare.* At omnes sciunt esse diuersos spiritus. Rectè, omnes id sciunt, aut saltem scire debent, sed generatim id sciunt; sicut omnes Christiani generatim sciunt, esse Angelos & Dæmones; at eum, qui hoc loco, hac vel illa forma; huic vel illi apparet, Angelum aut Dæmonem esse, non omnes æquè norunt, quo fit; vt quia Angelus Satanæ in Angelum lucis sese transfigurare solet; regulis opus fit; discernendi causa. Quod accidit in externa spirituum apparitione, idem fit in illa interna, & quæ sola mente perficitur; nam & in hac sæpe Angelus Satanæ in Angelum lucis sese transformatur, & eò facilius, quod est subtilior, & à communi sensu remotior. Quare & hic discretionis dono opus est. Quod si donum hoc aut nullum est, aut omnibus commune, cur Apostolus *discretionem spirituum,* inter dona spiritus, & inter diuisiones gratiarum numerat, quæ vni obtingant, alteri non obtingant? Omnes sciunt esse bonum, & esse malum; Attamen vt solidus cibus non nisi perfectorum est; ita discretio boni & mali, nõ nisi eorū est, quæ pro consuetudine exercitatos habent sensus, vt ait A-

Tertul. Apolog. c. 1.

1. Cor. 11.

1. Cor. 12.

Hebr. 5.

Isai. 7.

postolus. Et ille Emmanuel *butyrum & mel comedit, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*: non ignarus utique generatim bonum & malum esse.

Dicit Ribadeneira: Ignatium lectione librorū priorum sese confirmasse. Quid tu? *Qui fuerint libri illi supra dictum: Quid enim prater Lugendas legeret miles ille barbarus?* Ergo iudicio tuo, *Lugenda* sunt vitæ à S. Hieronymo descriptæ, Vita, inquam S. Hilarionis, S. Pauli, S. Paulæ: Vita S. Antonij à S. Athanasio, Vita S. Augustini à Possidio, Vita S. Agnes ab Ambrosio, Vita S. Gregorij Thaumaturgi à Gregorio Nysseno, tot vitæ à Theodoro & à S. Gregorio Magno scriptæ? Nam quo minus ad alios auctores, his vel æo pares, vel supares, vel inferiores descendam, facit tua incredibilis improbitas; quam tamen lugere vel in perpetuum iubebo; si historias Sanctorum ab his tantis & talibus viris memorix commendatas pro fabulis habueris. Quid enim? Fortè Ignatius vitam Hilarionis lectabat. Fortè Dialogos sancti Gregorij; fortè alias vitas à probatissimis & antiquissimis auctoribus descriptas; quorum tantum abest ut vita sit *Lugenda*; siue à Latino, siue à Germanico Etymo, hanc vocem deriuare velis; ut tua tuorumque similibus criminatum petulantia, nō nisi lugendis illis orci suppliciis, ob hoc tam lugendum mendacium, expiari posse videatur. Si barbarus miles est, quisquis Sanctorum historias euoluit: ergo etiam duo illi milites in aula Imperatoris, tantoperè à sancto Augustino laudati, barbari fuere milites, quippe qui vitam S. Anto-

S. Antonij à S. Athanasio scriptam sedulo lectarint: eiusque lectione ita incensi fuerint; ut de mundo deserendo confestim salutaria consilia cœperint, nec tam in consultando, quàm in exequendo promptiores.

Ait Ribadeneira: Ignatium cœpisse cogitare, quibus suppliciis maculas suorum peccatorum deleret. Hic tu: *Si legisset Ioannis epistolam, potuisset discere, sanguine Christi emundari nostra peccata; non nostris castigationibus.* Miserum Ignatium, qui non viderit Ioannis epistolam, cum Lutherani aut Caluiniani alicuius commentis: ut disceret, sanguine Christi, non suis castigationibus peccata deleri. Emundat nos sanguis CHRISTI ab omnibus inquinamentis nostris, sed applicatur nobis per certa media: sicut & aqua abluit maculas corporis, sed applicata corpori: At media, quibus sanguis Christi nobis applicatur, sunt opera poenitentix, & alia virtutum exercitamenta: his tanquam manibus quibusdam sanguis Christi apprehendendus, & sordibus animi admouendus est, ut eas expurget & emaculet. Sciebat utique etiam sanctus Paulus sanguine Christi emundari peccata: Nihilominus *castigabat corpus, & in seruitutem redigebat; & mortificationem Iesu in corpore suo circumferebat*: vel peccatis expiandis, vel meritis adaugendis. Adiungis: *Societate hanc in superstitione natam & educatam esse, & in eadem finitum iri.* Quid ita verò? Quia Ignatius sub initium conuersionis suæ coram D. Virginis imagine in genua prouolutus, preces fudit. Si id facere *Superstitio* est, imò *Idololatria*; ut tu itidem vocas,

G 3 opor-

S. Hier. E-  
pitaph. S.  
Paulæ.  
Sophron.  
cap. 45.

oportet profectò beatam Paulam Romanam fu-  
isse Idolorum cultricem & supersticiosam; *quæ  
prostrata ante crucem, quasi pendètem dominum cer-  
neret, adorabat;* vt non aliquis è triuio, sed S. Hie-  
ronymus tantus ac talis vir, memoria prodidit.  
Narrat Sophronius in prato spirituali, Diabo-  
lum à quodam Eremita nihil aliud petiisse, quã  
vt imaginem diuæ Virginis, puerum Iesu ge-  
stantis, ex conclauì suo eiceret, & ab eius ho-  
nore in posterum abstineret: vt proinde ne-  
cesse sit, Diabolum ab idololatria & supersti-  
tione admodum alienum esse: si cultus ima-  
ginum beatæ Virginis supersticiosus est, & I-  
dololatricus. Hic tu vociferaberis, exemplum  
hoc ex *Lugenda* petiitum esse. At trecenti quin-  
quaginta Patres Concilij secundi Nicæni li-  
brum hunc minimè pro *Lugenda* habuerunt,  
Quibus igitur potius credendum, tibi vni &  
foli. At quali? An trecentis & quinquaginta do-  
ctissimis & sanctissimis Patribus?

Scribit Ribadeneira: Orante Ignatio cor-  
ram diuæ Virginis imagine, terræ motu facto,  
totam domum contremuisse. Hic tu: *terre mo-  
tus semper aliquid mali portendit; vt historia testan-  
tur.* Quàm peritè hoc dicas, nolo curiosius  
disquirere: Tantùm quero, vtrum motus ille  
terræ, quo carcer concussus est, orantibus Pau-  
lo & Sila; & ille, quo concussus est locus, in  
quo, tempore persecutionis, Christiani simul  
precabantur, aliquid mali portenderit: item  
*cùm à facie Domini mota est terra, à facie Dei Ia-  
cob.* Et cum, egrediente illo in conspectu populi sui;

terra

*terra mota est;* an aliquid infaustum motus ille  
portenderit; vel an ab aliquo, quod infausti  
& mali ominis esset, Propheta modum loquen-  
di petiuerit; vt lætitiã diei illius explicaret;  
quo populus ex Ægyptia seruitute euasit? Ad-  
dis. *Procul dubio ipsa terra cohorruiit ad ea mala,  
quæ ex hac secta prouentura essent:* Si terræ motus  
extitisset Luthero à Catholicis castris, ad per-  
fidia castra desciscente; non malus sanè vates  
esset, qui hanc tuam explicationem, ad illum  
terræ motum accommodaret. Nũc quo iure tu  
dicis, terram ad Ignatij conuersionem, ob mala  
inde enascitura cohorruiisse: eodem sanè dice-  
ret Celsus, Christo mortuo, trepidasse terram,  
perculsam quasi formidine eorum malorum,  
quæ ex Christiana Religione essent oritura:  
Quod tu igitur calumnianti Celfo responderes,  
hoc tibi calumnianti à me responsum puta. At  
conuersio Ignatij videtur tibi mala, & caussa  
malorum. An ideo mala est, quia malo vi-  
detur mala? imò malo videri malum, non ob-  
scurum bonitatis est argumentum: Et qui sunt  
illi, quorum iudicio conuersio Ignatij, & So-  
cietas ab eo instituta mala & perniciofa est?  
Dicam cum Tertulliano; *Lenones, perductores, a-  
quarioli, sicarij, venenarij, Magi, arioli; aruspices,*  
*Hæretici, prædicantes Lutherani, ministri*  
*Caluiniani. His infructuosos esse magnus fructus*  
*est.* Addo ego: his malum esse; magnum bo-  
num est; Quia talia monstra non nisi ab in-  
genti bono domari & excindi queunt. Sed  
quid ego hanc tuam terræ motus interpre-  
tationem refello, cùm tu ipse illam egregiè

Tertul. A-  
polog. cap.  
43.

G 4 refu-

Act. 16.

Act. 4,

Pfal. 113.

Pfal. 67.

refutes: *Erro*, inquis, *hic turpiter*. Tandem ascendisti tripodem, vix quidquam verius toto libro prolocutus es: Erras, & turpiter erras: nam si Ignatij conuersio mala fuit, & pestifera; etiam Augustini, etiam Antonij, etiam Hilarionis, etiam eorum, quos tantis laudibus celebrat Theodoretus, conuersio mala & pestifera fuit: Quia sicut Ignatius, ita & isti ex Ægypto, hoc est, à seculi vanitate ad Deum conuersi sunt; Et quemadmodum tu iam conuersionem Ignatij criminaris; ita tunc, tui maiores, Donatistæ, & alij criminabantur conuersionem Augustini, Antonij, Hilarionis & aliorum.

Sed iam à terræ motu transilis ad Deiparam Virginem: nescio quo impetu abreptus. *Orabant*, inquis, *Apostoli cum Maria; non adorabant Mariam presentem solum & viuentem*: Vnde scis Apostolos non adorasse; hoc est, non coluisse diuam Virginem cultu & honore religioso; & ea adoratione affectisse, quæ & in hominem conuenire potest? Ex Scriptura profecto mihi id nunquam demonstrabis; nisi per sollempne illud vestrum argumentum: *Non scriptum est; ergo non factum est*; Tunc arbitraris Apostolos fuisse Caluinistas; hoc est, aded omnis religionis obseruantia expertes; vt nescirent; quo loco matrem Dei ponere: quantum spei & fiducia in ipsius ad filium precibus collocare deberent? probabilissimum certè est, Apostolos vnicè à matre Dei efflagitasse, vt suis precibus nihil non effecturis, promissi Spiritus sancti aduentum maturaret. Pergis: *Ignatius non presentem*

*sentem sed absentem; nõ ipsam, sed statuam eius adorauit, vt idololatra*: Grande crimen. Ignatius inuocauit B. Virginem iam receptam in cælum: An tu nunquam inuocas Christum in cælum iam secundum humanitatem receptum? An nõ sapias ea, *qua sursum sunt, vbi Christus est in dextera Dei sedens*? Deinde falsum est, Ignatium, non coluisse & inuocasse ipsam virginem, sed statuam; Nam qui imaginem colit, is colit primario Prototypum; cum honor imaginis ad Prototypum transeat; sicut cum tu ciuili honore imaginem tui principis colis (neque enim opinor, conspues aut pedibus concalcabis) cultus ille permanat ad ipsum principem. Nec qui D. Virginem coram imagine inuocat, inuocat ipsam imaginem: sed coram imagine, tanquam virginis representatrice; ipsam virginem: quod tam alienum est ab Idololatria, quàm non aliena à te est calumniandi impotentia.

Nunc solita leuitate reuolas ad terræ motum: Dicit Ribadeneira; hac domus, in qua Ignatius erat, concussione, Deum fortassis voluisse significare; Ignatij preces sibi fuisse gratas, & ad impetrandum efficaces. Hic tu: *Fortasse noluit, & voluit significare id, de quo ego dixi*; At iam ostendi, Deum nec voluisse, nec potuisse significare hoc terræ motu, quod tu significas; Quia quod significas calumpnia est, criminatio est, mendacium est. Addit Ribadeneira aliam significationem; Forte, inquit, quod in alijs Sanctorum historiis, legimus: Dæmon victus ab Ignatio aufugit, & frendens non obscura suæ

indignationis signa dederit. *Exempla*, inquis, *illa, vbi scripta, facta, aut picta sint, me laet: Forte in legendis.* Non mirum, ignota tibi esse hæc exempla. Quid non fugit, quem ratio & veritas fugit? Pluribus exemplis possem id, quod Ribadeneira asserit, non ex *legendis*, sed ex probatissimis historiis confirmare, sed satis erit duo non tam attulisse, quam attigisse. Primum sit ex D. Athanasio: apud quem sanctus Antonius ita loquitur de Dæmonibus: *Concusserunt aliquando Monasterium meum, & ego mente immobili Dominum deprecabar; Cur domum Antonij concusserunt; nisi quia ab Antonio sese deuictos agrè ferebant.* Alterum sit ex D. Gregorio Nysseno in vita Gregorij Thaumaturgi; vbi refert, quomodo Dæmones signo sanctæ Crucis à Diacono superati; cum aliud non possent; totum conclaue; ingenti terræ motu excitato quassarint. Ais, *Quid si Diabolus latus ex Orco emisit aliquot legiones, qua in Hispania & Italia Iesuitas colligerent, quorum opera etiam, si opus esset, in regibus necandis vri posset.* Iesuitas à Diabolo collectos esse, non sit verisimile; quia haud tanto conatu conaretur nunc eosdem dissipare & perdere, tua & similibus hæreticorum opera; longè verisimilius affirmares, Dæmonem, Ignatij conuersione territum; euocasse ex Orco aliquot suorum legiones; quæ Martinum Lutherum iam insanientem (contigerunt enim hæc circa annum Domini 1522.) vt porrò insanire pergeret; incitarent; aliisque plures partim flagitiosos

Mo-

Monachos, vt Oecolampadium, Bucerum, Munsterum, Martyrem, Pellicanum, Capitonem; & similes; partim improbos Sacerdotes & Clericos eidem adiungerent; qui, velut agmine facto, Ignatio, posterisque Ignatij sese obiectu suo opponerent: iam enim tunc Diabolum præsentisse; & qua est solertia; diuinasse; quorsum conuersio Ignatij euasura esset. *Saneæa de causa Spiritus illa Dæmoniace & Angelica paratura, vt verbis Tertulliani vtar, qui nos ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus est, de mentibus vestris aduersus nos preliatur, occulta inspiratione, modulatis & subornatis ad omnem & iudicandi peruersitatem, & seuiendi iniquitatem.* Iesuitam, qui Regi interitum machinatus sit, aut sua, aut aliena manu; nullum mihi monstrabis: At Caluinistas, qui Reges & Principes trucidarint, tam facile tibi nominabo, quàm facile vulpes comest pimum.

Ait Ribadeneira: Ignatium generosa quadam indignatione statuisse; sese flagellis & ieiuniis prius conficere; quàm iter Hierosolymitanum iniret. *Quis non rideret, inquis, legens Ignatium generosa quadam indignatione se conficisse: Vis scire, quis legendo hæc non rideat? Paucis dicam. Quisquis tui dissimilis est, Quisquis Caluinista non est.* Ais, *eum hoc fecisse more Lacedæmoniorum;* Non est ita: Christiani nō sunt imitatores Lacedæmoniorū; sed Christi, Apostolorum; & eorum Christianorum; qui anteauctis seculis piè & sanctè vitam egerunt.

Tertul. A-  
polo. c. 27.S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.

runt. At Lacedæmonij flagellis sese concidebant: Primum non soli Lacedæmonij; sed & alij. Secundo, hoc agendo malè non egerunt; quin potius naturalis rationis instinctu, id egisse censendi sunt, docentis & monentis, corpus flagris domandum, & spiritui tanquam nobiliori parti subiciendum, eiusque immoderatas cupiditates, ne honestatis limites transcendât, frangendas. Quod si castigationem istam naturâ suâ bonam, bono itidem fine ornassent, & non ad gloriam vel suam vel suorum numinum retulissent; dicerem quod de anima Ethnici Deum vnum agnoscentis ait Tertullianus, *Lacedæmonios naturaliter fuisse Christianos*. Sed ut videamus te non frustra Lacedæmonem profectum esse, græcari incipis: *Quasi verò*, inquis, *ἡντινὸν π* fit in serui illa castigatione, qua olim in mancipia uti solebant: Si nihil generosum est in hac castigatione; Quia, ut tu dicis, seruilis est: Ergo nihil generosi fuit in flagellatione & morte Christi; quia vtraque seruilis fuit, nihil generosum fuit in illis suppliciis Pauli; cum ter virgis cæsus est: & cum quinquies à Iudæis quadragenas, vna minus plagas accepit; quia fuerunt supplicia seruilia. *Lepidè Demonax*, inquis, *conspicatus aliquando seruum ab hero Spartano flagris cedi, cessa*, inquit, *seruum tibi honore parem efficere*. Idem, opinor, dixisses tu, & quidem lepidè, Pilato, si adfuisses, quando Christum flagellauit. Idem dixisses, & quidem lepidè, tribuno, qui Paulum flagellare volebat. *Si hac*, inquis, *est generositas Hispanica, na viles animas o-*

2. Cor. 11.

A. 22.

portet

*portet esse καὶ δολοπραπέης*. pari modo dices; si hæc est generositas Christi & Pauli, constanti & forti animo ferre plagas, nã viles animas fuisse oportet. Quod autem Hispanos *viles & seruales animas* vocas; agnosco conuicium ex odio Catholicæ religionis, quæ apud Hispanos maximè floret, depromptum. Interim istæ viles & seruales animæ bonam partem mundi ditione tenent; & veteri orbi nouum adiecerunt; & indies magis adieciunt; dum vos illustres Caluini animæ, nescio quibus in latebris antiqui orbis hæretis & latetis.

Memor deinceps Ribadeneira, quomodo B. Virgo vnà cum puero IESV, Ignatio, & quidem vigilantem apparuerit. Quid Misenus? *O impudentem*, inquit, *& ineptum scriptorem*. *Hæc poteras occultare intra cellas Iesuiticas & adolescentibus obtrudere credulis, stupidis, fanaticis: Quæ insania te cœgit, putidas hæc ineptias publici iuris facere?* Exclamare & conuiciari, Misene, non est historiam Auctoris nostri refutare. Dic ergo sine conuiciis, quid neges. An factum esse, quod Auctor scribit; an fieri potuisse: Si hoc, tunc tolle omnes visiones piis hominibus vel in veteri vel noua lege oblatas, & vel in Sacris litteris, vel in Ecclesiasticis probatorum scriptorum monumentis consignatas. Si enim hæc in diuinam potentiam non cadit, non video, quomodo alix siue Dei, siue Angelorum, siue aliorum cœlitum apparitiones, à diuina potentia effici potuerint: Si concedas fieri potuisse; sed negas factum esse, oportet,

vt

vt huius tux negationis aliquam causam probabilem reddas: Nam si ea tantum de causa neges apparitionem illam esse factam; quia non lubet credere; non Ribadeneiræ; sed tibi fidem derogabis. Quid enim certum, quid verum ex tota antiquitatis memoria remanebit; si hoc tantum nomine repudiandum sit: quod huic vel illi calumniatori non videatur vero consentaneum? Refert D. Gregorius Nyssenus D. Virginem & D. Ioannem Evangelistam apparuisse sancto Gregorio Thaumaturgo, eique multa fidei nostræ mysteria explicasse. Fac, Misene, me tui similem calumniatorem esse; & vitam illam Thaumaturgi à Nysseno scriptam, exagitantam & lacerandam susceperisse, eo modo, quo tu vitam Ignatij calumniis profcindendam tibi delegisti; si ad historiam illam Nysseni apponam tua verba: *O impudentem & ineptum scriptorem: Hac poteras, Nyssene, occultare intra cellas monasticas, & adolescentibus obtrudere credulis, stupidis, fanaticis; que insania te coëgit putidas hasce ineptias publici iuris facere? An ob id orationi Nysseni fidem detraxero? Cum Celsus Epicureus visiones illas Angelorum, tempore Resurrectionis Christi tanquam fictitias reiiceret; Respondit Origenes. Oblatas sepe miraculosas visiones hominibus legitur & in Græcorum historiis, non eorum tantum, quorum scripta vanitatis suspecta sunt, vt fabulis similia, sed in illorum, quoque, qui inter graues ac veraces Philosophos habiti res compertas*

Orig. lib.  
5. contra  
Celsum.

man-

mandarunt litteris. In hoc genere quadam legimus apud Chryssippum Solensem de Pythagora, & apud quosdam recentiores, qui heri & nudius tertius commentati sunt, vt Plutarchus Chæronensis in commentariis de anima; & Pythagoricus Numenius in secundo de Immortalitate anime, nisi forte quoties Græci talia narrant; præsertim Philosophi, non libet ridere, carpere, pro figmentis habere ac fabulis: dum verò homines Deo sacrati, quibus piacularare est vel in tormentis adigi, vt de Deo mentiantur, dicunt se vidisse visiones Angelorum, vani habendi sunt, & indigni fide, nec sermones eorum in veris censendi sunt. Hæc Origenes. Nescio quæ tua sit de visionibus, aliis interdum diuinitus obiectis sententia, nisi quod forte parum aberrauero, si te de omnibus parum honorificè vel sentire, vel loqui dixerò; hoc mihi liquet, te Ignatij visiones ideo tantum numerare in fabulis, quia sint Ignatio Iesuitarum parenti oblata, & ab auctore Iesuita scriptis prodita. Sic Celsus celestes visiones Christianis factas, eo solo titulo respuebat, vt commentitias, quod Christianis dicerentur factæ, & à Christianis scriptoribus litteris mandata.

Sed vt tuæ in Philosophia peritiæ specimen nobis aliquod edas, causam naturalem huius visionis Ignatio oblata patefacis. Interdum, inquis, miles ille proculdubio adorabundus prom-

cubue-

*ubuerat ad idolum Mariæ gestantis puerum.*  
 Huius species per quietem illi oblata est: Sed huic  
 tuæ tam acutæ rationi obstat; quod visio hæc  
 Ignatio vigilanti sit ostensa: Vigilanti, inquit,  
 Ribadeneira, non ergo dormienti & somniant-  
 i, vt tu vigilans somnias, nisi forte & hic Ma-  
 gistrum tuum Epicureum Celsum sequeris;  
 qui negasse videtur homini vigilanti vllas vi-  
 siones offerri posse: In quem Origenes ista:  
*Quemadmodum in somniis creditur multis obuersa-  
 tas visiones diuinas vel palam, vel per anigmata,  
 premonentes de quibusdam futuris ad vitam per-  
 tinentibus, idque in confesso est apud omnes, qui  
 admittant prouidentiam: Ita consentaneum est  
 vim illam, quæ format intellectum in somniis, vi-  
 gilanti quoque posse easdem formas imprimere ad  
 ipsius utilitatem, aut eorum, qui visionem audi-  
 turi sunt; quod pluribus deinceps confirmat  
 Origenes. Deinde licet visio hæc obrigisset  
 Ignatio secundum quietem, an ideo falsa es-  
 set? Angelus domini apparuit Ioseph in so-  
 mniis. Theodosio Magno dormienti apparue-  
 runt duo Apostoli Philippus & Ioannes Eu-  
 angelista. Forte & isti interdum ad idolum  
 procubuerant: Ioseph quidem ad idolum ali-  
 cuius Angeli; Theodosius ad idola Philippi  
 & Ioannis. Aliud est, mi Misene, somniare,  
 aliud cœlestibus visionibus illustrari, hoc nun-  
 quam, illud tibi perpetuo contingit, nisi forte  
 sis ex stirpe Neronis, qui nunquam somniasse  
 fertur.*

Orig. li. 1.  
 cōtra Cel-  
 sum.

Matth. 2.  
 Theod. lib.  
 5. Hist. Ec-  
 clest.

Ab hac visione, ait Ribadeneira, Ignatium  
 castitatis integritatem vsque ad extremum spi-  
 ritum, diuino beneficio, conseruasse: *Quod  
 nos, inquis, credimus factum, si modo factum est;  
 non ex visione, sed fortasse aliis ex causis, medicor-  
 um collegio notis: Cur non crederes factum;  
 cum tu ipse suprâ scripseris, te nouisse quos-  
 dam, qui ad extremam vsque senectutem cas-  
 tissimè vixerint. Si hoc, te teste, potuerunt  
 præstare quidam seu Caluinistæ, seu Luthe-  
 rani; sine vlla corporis afflictatione, sine cili-  
 ciis, flagellis & ieiuniis; quæ id non potuisset  
 Ignatius, tot corporis castigationibus propem-  
 modum confectus? Præterea cur hoc fieri  
 non potuit vi & munere cœlestis illius visio-  
 nis, hoc est, diuino beneficio, quia & hæc ip-  
 sa visio diuinum beneficium erat; an putas  
 Christum; qui sub imagine infantis Ignatio  
 cum sua matre apparuit, tam potentem non  
 esse, vt possit per sua dona aliquem castum  
 efficere, nisi à medicorum collegio opem &  
 subsidium petat? Num illi castissimi, quos  
 supra laudasti; Medicorum herbis & succis cas-  
 titatem obtinuerunt? Inter cetera argumen-  
 ta virtutis & efficacæ, qua Christiana religio  
 pollet, numerat Origenes etiam hoc, quod  
 quidam ex Christianis, amore eximie puri-  
 tatis, & quo puriores ad diuinum cultum ac-  
 cedant, ne consueta quidem & legitima vtan-  
 tur venere. Et Tertullianus, cum flagitia  
 Christianis ab Ethnicorum vulgo obiecta a-  
 molitur; ostendit quosdam tam senes, quam*

Orig. lib. 1.  
 cōtra Cel-  
 sum.

Tertul. A-  
 pol. cap. 9.



pueros ex Christianis, aded procul ab omni luxuriæ specie remotos esse, vt omnem impuritatis suspicionem *virgine continentia* depellant. Quæro ex te; vtrum istos, de quibus Origenes & Tertullianus, arbitreris, concessu Dei, & vi Christianæ gratiæ; an verò beneficio alicuius Aesculapij, aut Podalirij castam vitam exegisse?

Ait Ribadeneira, Ignatium illustra CHRISTI & D. Virginis tum facta, tum dicta, memoriæ causa, in librum huic vsui paratum retulisse, & CHRISTI quidem dicta vel facta, aureis, Deiparæ puniceis, reliquorum sanctorum variis coloribus exarasse. Quid ad hæc calumniator? CHRISTI facta, *Beata Virginis, & Sanctorum ex sacris litteris miles ille prophanus discere haud potuit. Vnde igitur illa sumpta? Quis facta MARIÆ descripsit?* Cur verò non potuit ex sacris litteris? Vnde hoc nosti? An quia tunc historia Euangelica in Hispanicum sermonem non erat translata? At quo auctore hoc tibi constat? An quia ne Euangelia quidem diebus festis prælegi & explanari solita, vulgari lingua extabant? At ne hoc quidem perspectum habes, nisi male sano tuo cerebro indice. An non Ignatius adhibere potuit, qui Euangelicam historiam ex latino, vernaculâ linguâ, redderet, cuius ille insigniora dicta & facta scripto exciperet? An nusquam quidquam de CHRISTO, diua Virgine & Sanctis exstat, nisi in

sacris

sacris litteris; vel in commentariis Græcis & Latinis? An nescis etiam communi lingua de CHRISTO, diua Virgine & cœlicibus varia variis ætatibus conscripta esse, & etiamnum conscribi, consentanea sacre Euangeliorum historiæ, & priscais patrum monumentis? Subiungis. *De aureis litteris, quæ addit, de puniceis & aliis, tam puerilia sunt, vt mirer chartas fuisse oppletas eiusmodi nugæ.* Maluisses videlicet fabulas AEsopi, aut Dialogos Luciani; aut colloquia Erasmi, aut nœnias Amadisij eiusmodi characterum vario ornatu, & ornata varietate ab Ignatio descriptas esse, & hoc, tuo iudicio, non puerile, sed planè virile factum fuisset. An nescis multis in Bibliothecis, hodie quoque extare, ab Imperatoribus olim & Principibus calamo exaratos libros facta CHRISTI & D. Virginis & Sanctorum continentes, aureis & omni colorum varietate collucentibus litteris insignitos?



## CAPVT VIII.

*Refelluntur calumnia Miseni in tertium, quartum & quintum caput.*

**I**N tertio capite recenset Auctor profectio-  
nem Ignatij in montem Serratum. Hic Misenus: *In tertio capite nihil admodum ἀξιόλογον*, hoc est, vt quis merito interpretari potest; nihil admodum calumniis obnoxium, vel ipsius calumniatoris testimonio, alioquin planè falsum est, quod asserit: Plurima enim in eo capite sunt ἀξιόλογα, hoc est, memoratu & obseruatū dignissima; Addis; *nisi forte alicui lubeat audire encomium, quo Ignatium frater ornat*: Omnia in te, inquit, magna sunt; Ingenium, iudicium, animus, nobilitas, gratia Principum, ciuium beneuolentia, rei militaris vsus, prudentia: ad hæc florens & firma ætas, magna exspectatio omnium. Hæc & alia Auctor. Adicit hanc censuram criminatorem. *Egregia laudes & fide digna, quippe à fratre, quem hominem nullius coloris nouimus, profecta.* Memineris, Misene; quid supra sponte tua concesseris. Falsus es vera esse, quæ Auctor scribit de vita rebusquæ Ignatij ante conuersionem; cum adhuc Regi militaret & mundo. Si ea vera sunt, vt certè vera sunt, tuo itidem concessu; confiteri cogeris vel inuitus, has etiam laudes, quantumuis à fratre profectas, verissimas esse. Deinde, quo ingenio, quo iudicio, quo animo, qua prudentia Ignatius fuerit, testatur & testabitur seculis innumerabilibus

Cap. 7.

libus societas, quam instituit, & tempus quo instituit; & aduersarij, quibus oblectantibus, instituit, & ad eam, quam videris & lugeris, magnitudinem prouexit; vt proinde alio testimonio non egeant istæ laudes, quàm illo, quod vestris oculis, propalam, ingenti cum dolore vestro, obuersatur. Tertio, an nullæ laudes genuinæ quæ à germano profectæ? Mihi certè vel eo veriores videntur; quo fratrum quoque gratia rarior, cuius gratiæ absentia facit, vt non rarè citius extranei agnoscant; quibus quis dotibus excellat, quàm consanguinei. Laudat S. Ambrosius fratrem suum Satyrum, & quidem largiter. S. Gregorius Nyssenus æquè pleno ore prædicat S. Basilium fratrem, & sororem suam Macrinam. S. Gregorius Nazianzenus celebrat fratrem suum Cæsarium. An & istæ laudes falsæ erunt, ea de causa, quod sint à fratribus profectæ?

In monte Serrato, inquit Ribadencira, singulis noctibus verberibus grauer se afficiebat. *Verbera illa, credo, tolerabilia fuerunt*, inquis. Omnino, tolerabilia fuerunt, Quia Ignatius amore Dei, & vitæ melioris, patientissime illa tolerabat; paratus grauiora adhuc & atrociora subire: *Si me adhibuisset*, inquis, *ita tractassem hominem, vt deinceps eiusmodi castigationibus facile abstineret.* Affirmanti hoc libentissime credo, imo hoc etiam credo (& vt credam, ingenium geniusque tuus efficit) si Pilatus te adhibuisset; quando flagellauit Christum, te non defuturum fuisse tuo officio; pronus in verbera penedisses. Et multo libentius cum carnificibus Christum

Deut. 25.

flagellaffes, quam cum Simone crucem baiu-  
 lasses, licet Simon voceris: Et si Iudæi, cum S.  
 Paulum flagris conciderunt, tua opera & mini-  
 sterio vti vel voluissent, vel potuissent; tu supra  
 plagas triginta nouem vel quadraginta, quas  
 lex præscribebat, addidisses non vnam vel alte-  
 teram congiarij seu auctarij loco; sed ad cente-  
 simam vsque ascendisses, vt quàm egregius li-  
 ctor & validus virgator esses, planum testatùm-  
 que faceres. Mentiris autem cum addis; *Fa-  
 teri Ribadeneiram nesciuisse Ignatium eo tempore,  
 quid charitas, quid humilitas, quid patientia, quid  
 sui contemptio esset, sed hoc tantum optimum illi  
 visum, vt corpus affligeret;* non dicit hoc Riba-  
 deneira, sed, minimè inuestigasse eum, quid  
 charitas, &c. esset; quod non est nescire; quid  
 sit charitas; quid humilitas; quid cetera; sed  
 his aliud quiddam præponere, vsu saltem &  
 exercitatione, nempe corporis per inediam &  
 flagra afflictationem, quod putaret à tirone pos-  
 sissimum exigi, vt in hac palæstra desudet & al-  
 geat: Id enim ab alijs itidem sanctis, sub primor-  
 dia conuersionis, factitatum videbat. Hic tu:  
*nunquam legimus in scriptura sacra, spòte sua sibi ele-  
 gisse tales afflictationes homines sanctos, sed à Deo im-  
 missas patienter tulisse.* Quid ergo sibi vult Apo-  
 stolus, cum ait, *Castigo corpus meum, & in serui-  
 tutem redigo:* Non ait; *Deus castigat,* idque pati-  
 enter tolero; sed; *ego castigo corpus meum:* Quid  
 sibi vult Beatus Dauid, cum ait: *Humiliabam in  
 ieiunio animam meam:* Et, *cum mihi molesti essent,  
 inquebar cilicio; & posui vestimentum meum ciliciū.*

1. Cor. 9.

Psal. 34.

Psal. 68.

Psal. 6.

Et,

*Et, lacrymis meis stratum meum rigabo;* num & i-  
 sti voluntarium quoddam malum sibi elegerunt;  
*quod fascinati superstitione ad maximã Dei gloriam  
 fore iudicarint;* vt tu de Ignatio ais? Nolo hic,  
 ne longum faciam, repetere, quæ de Antonio  
 in hoc afflictationis genere Athanasius; de Hi-  
 latione, & Paulo, Hieronymus: deque alijs  
 sanctis patribus Eremitis & Stylitis tradat The-  
 odoretus: cum quibus, opinor, satius erit, esse,  
 te iudice, supersticiosum, quàm tecum Calui-  
 nisticè religiosum. *Dei honor,* inquis, *non auge-  
 tur nostris pœnis, sed rectè factis & exercitijs pietatis:*  
 quasi verò pœnæ vltro susceptæ nõ sint exercitia  
 pietatis. Si pœnæ non sint exercitia pietatis; cur  
 iubet Apostolus, vt minister Dei exhibeat sese,  
 præter cetera, *in signem in plagis, in vigilijs, in ie-  
 iunijs?* nisi forte Apostolus velit, vt minister  
 Dei in iis sese exerceat, quæ non sunt pietatis  
 exercitia: aut nisi *plage, vigilia, & ieiunia* apud  
 te non sint pœnæ.

2. Cor. 6.

*Sed pergamus,* inquit Misenus, *cum Ignatio; qui  
 cum Mauro quodam in itinere disputauit de Ma-  
 ria Virgine; & cum refutare forte ex verbo Dei ho-  
 minem non posset, pugione confodere voluit aduer-  
 sarium.* Quod Origenes de Celso conquestus  
 est; hoc & ego conqueror de Miseno. *Vide hic  
 quoque,* inquit Origenes, *Celsi malitiam, vt non  
 amplectatur veritatem Euangelistarum, qui potue-  
 rant silentio præterire, quæ isti videntur digna oppro-  
 brio; sed tragicè accuset textum Euangelij, addens,*

Orig. li. 2.  
cõtra Cel-  
sum.

H 4

qua

qua *ibi non inueniuntur; non enim scribitur, lamentatum fuisse Iesum: & transcribit quidem illud: Pater si fieri potest, transeat calix hic: nec tamen apponit, quod mox sequitur, ad ostendendam ipsius insignem erga patrem pietatem & magnanimitatem: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Facit hic Celsus, quod solent auditores scripturae diuinae malitiosi & impij, nam & illi non dissimulant se audisse, imò frequenter nobis exprobrant illud: Ego interficiam; sed non meminerunt huius verbi; Ego uiuificabo. Hæc Origenes in Celsum; cui utrum Misenus in alio quidem argumento, sed tamen in calumniis versans, sit similis, lector iudicet, cum percurreret rei gestæ seriem, eo modo, quo à Ribadeneira prodita est his verbis: Pergentem cæpto itinere Ignatium, & rectà Montem Serratum versus progredientem, Sarracenus quidam, siue Maurus affecutus est. Erant, per id tempus, in Hispania Tarraconensi, adhuc aliqui ex antiquis eius gentis reliquiis; cum vnâ irent, incidit, (vt fit) illis sermo de virginitate beate Virginis Mariae, quam cum in conceptu filij concederet Maurus, à partu negaret, ad eamque rem naturales rationes aliquot afferret, neque ad veritatem flecti posset ab Ignatio, celeriter præcessit, solumque Ignatium reliquit, hærentem diu, multumque dubitantem, utrum ab se pietas Christiana exigeret, vt Maurum consequeretur, & pugione confoderet, quod de beatissima & immaculata Virgine coram se ignominiosè locutus fuisset.*

Homo

Homo quippe militaris, fallaci veri honoris imitatione olim delusus, dedecori sibi esse ducebat, si quid à religionis Christiana inimico, se audiente, de inuiolata sacrosancta virginis integritate impunè detraberetur. Quae quidem cogitatio in speciem pia, diu multumque rudem tunc Christi militem torst, in eamque liberationem tandem induxit, vt vbi ad biuium (vnde è via publica ad oppidum vicinum Maurus declinarat) constitisset; habenas mule, qua vehebatur, permitteret, & si ad locum, vbi Maurus erat, diuerteret, questum illum, atque inuentum interficeret, sin rectà pergeret, omitteret. Atque ita diuina prouidentia factum est, vt iumentum lata facillique via prætermissa, suum iter sequeretur, vt omnes intelligant, quibus initiis, quibusque progressibus, Deus militem suum ad extrema perduceret. Nam, vt ait D. Augustinus, anima virtutis capaces ac fertiles præmittunt saepe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodata, si fuerint præceptis exculta. Vnde & Moyses interficiens Aegyptium, adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnae fertilitatis signa fundebat. Hæc Ribadeneira. Lectoris nunc arbitrium esto, annon longè alia sit forma huius historiae, quam ea, quæ à Miseno fallaciter & inuidiosè est depicta.

Non poterat, inquis, probare Virginitatem Mariae ex verbo Dei. Maurus ille concedebat, vt videtur, Mariam mansisse virginem tam cum cõcepit, quã cum peperit: in quo Calvinistis profectò longè melior & religiosior fuit; Nam quid

H 5 Beza

S. August.  
li. 2. contra Faust.  
cap. 20.

Beza, Martyr, Fortunnatus (& fortè tu ipse) de virginitate Virginis in partu sentiant, notius est; quàm vt à me commemorari debeat: Tota controuersia erat de Virginitate à partu. Hanc ab Ignatio velles probatam ex sacris literis: Quæso te; Si tibi cum illo Mauro contentio fuisset, ex quonam sacrae Scripturae loco hanc virginitatem demonstrasses? Quo sacrarum literarum testimonio Mauro persuasisses, Deiparæ virginitatem incolumem constituisse ante partum, in partu, & post partum? profectò nisi ad verbum Dei non scriptum, hoc est, ad Apostolicas traditiones confugisses, nunquam perpetuae virginitatis hostem & oppugnatorem conuicisses. Quod si neita quidem Virginitas Virginis in partu adstrui potest ex Scriptura, vt tuorum Magistrorum pertinacia cedat, & cæcitas illustretur; quanto minus ostendes ex scripto verbo Dei, virginitatem post partum, si quis eam contumaciter inficiari persistat. Aut si tam doctus es, vt ex scripto Dei verbo, virginitatem in partu, & post partum efficaciter & perspicue demonstrare queas; vt nullus aduersariis pateat amplius tergiuersandi, & testimonia eludendi locus, demonstra eam prius tuo Bezae, aliisque Caluinistis, & tum demum nobis persuadebis, te eum virum esse, qui Saraceno Religionis nostræ mysteria persuadere possit, etiam virginitatem in partu, hanc enim Maurum istum negasse credibile est. At quod Ribadeneira ardorem Ignatii exemplo Moysis excusat, id nimirum tibi displicet. *Quasi, inquis, omnia scripta sint in sacris ad imitationem, non etiam plurima ad vitiationem.* Nec Ribadeneira dixit, Ignatium

tium rectè facturum fuisse, si Matrum illum occidisset; sed ostendere voluit, idem euentum fuisse Ignatio, quod Moysi, si ex zelo religionis, bono quidè in specie, sed *sed non secundum scientiam*, id quod facere decreuerat, perpetrasset; posito, quod Moyses, trucidado Ægyptiū illū, peccarit. Non. n. ignoro, nec ignorauit auctor noster, varias esse de hoc Moysis facto patrū sententias.

Ait Ribadeneira. Ignatium voto castitatis sese obstrinxisse in itinere ad montē Serratū, quod putaret, inquit Misenus: *vt quondam Indorū sapientes, coniugium esse παρά φύσιν καὶ παράνομον, præter naturā & iniquū.* Caluinarius vt nouus Iuuenianus: nō ea mens Ignatio; nō vlli probo. Coniugium cū A- Hebr. 13.  
postolo honorabile factus est Ignatius, *τοῦ ἁγίου ἁμα-  
culatū;* Sed cū eodē Apostolo, castitatē, & quidem votiuā, nuptiis prætulit, quantumuis licet nuptiatorib. istis reclamantibus. *Neg. nos,* inquit S. Hieron. & nos cū illo, *Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptiis detrahimus, nec Taciani principis Encratitarū errore decepti, omnē coitum spurcum putamus: sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus.*

In quarto cap. docet Ribadeneira, quid Ignatius in mōte Serrato egerit. Præter cetera, ait, eū ibi optimo cuidā cōfessario totius viræ crimina, per triduum, ex scripto confessum esse: Hic tu: *Deum immortalē, quantus catalogus fuit scelerum & flagitiorū, quibus enumerādis triduum insumptum fuit.* Primūm, si tu, Misene, ab ineunte æuo, crimina tua repeteres, fortè nec octiduum tibi fatis foret; quantam enim scelerū & flagitiorum Iliadē; adde, si vis, & Odyssæam, congereres, si paulò

accuratius in vitam tuam inquireret. Secundò, cum triduum audis, non totum illud triduum spatium intellige, sed partem ex quouitrium illorum die. Hæc enim mens Auctoris fuit; & bona, quia communi loquentium consuetudini consona; cui tu malâ tuam & vulpinam mentem admiscere noli; aliorum rapiendo verba; quam Auctor verborum velit. Tertio, non est cogitandum, totum illud spatium ex tribus diebus desumptum; soli peccatorum enumerationi datum; aliquid item, & quidem non parum, procul dubio impensum fuit instructioni, & medicinæ antiquis vulneribus per salutaria consilia adhibendæ. vt taceam, Ignatium fortassis pleraque toto illo tempore confessum; quæ tu susque deque habes: & propter quæ, ne manum quidem verteret, & quorum ne dignareris quidem veniam à Deo exposcere. Quarto, sit ita, vt tu fabularis: an nescis illud Apostoli: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri*; Quod si tibi mens amens non esset, in Ignatio diuinæ dexteræ potentiam admirari & suspicere debebas; cuius vis tanta enituit, vt hominem, ætate opibus & gratia florentem, derepentè immutaret, & ad tam austeram & seueram viuendi rationem suscipiendam permoueret; qualis, vel tuo iudicio, fuit illa in monte Serrato, & alibi locorum. Superior vitam poenitentia lachrymis expiata, nec potest iure, nec debet obiici illis, qui ad meliorem frugem sese serio recipiunt: alioquin obiicias Magdalena prostibulum, Matthæo telonium; Paulo Ecclesiæ diuexationem;

1. Cor. 6.

nem: Petro abnegationem; omnibus discipulis communiter fugam, & Magistri inter lupos rapaces desertionem.

Ait Ribadeneira, Ignatium iussisse gladium & pugionem, quibus mundo meruerat, ante aram Deiparæ suspendi: In quæ verba Misenus. *Videmus, inquit, quæ sint donaria Iesuitarum & anathemata. Proculdubio indicatum est, hanc sectam, idololatricam defensuram esse, & gladius, & pugionibus, aut, si illi desint, igni, rota, laqueis.* Imò verò indicatū est, arma militiæ nostræ non fore carnalia, sed spiritualia; nam in Ignatio, parente nostro, nos omnes, arma illa Martia ad D. Virginis postes & tholos fiximus, nunquam illa reflexuri: Caluinistarum est armis, bombardisque euangelizare pauperibus: perfidiæque ferro aperire viam.

2. Cor. 10.

Caput quintum continet vitam Manresæ, ab Ignatio institutam. Ex mōte Serrato, inquis, Manresæ venit, vbi in Xenodochio alterum Diogenē Cynicum agit. Quid ita verò? Quia, vt Auctor scribit, caesariem solutam & impexam reliquit, caput diu noctuque semper nudum habuit; vngues & barbam excrescere per incuriam fuit. Si hoc est agere Cynicum; oportet profectò e-gregium fuisse Cynicum Ioannem Baptistam, qui à puero fuit in desertis, vsque in diem ostensionis suæ ad Israel, habens vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: nam quod comam pexuerit, barbam totonderit, vngues refecuerit, caputue noctu vel interdium texerit; non credemus, nisi Misenus, vel ex Evangelica,

Lucæ 3.

Matth. 3.

1. Reg. 21.

S. Hier. e-  
pist. 22.

gelica, vel ex alia probatæ fidei historia id probauerit. Egregium Cynicum fuisse oportet Dauidem Regem, virum illum secundum cor Dei, quando immutauit os suum coram Achis Rege Geth, & collabebatur inter manus ducentium & impingebat in ostia portæ, desluebantque saliuæ eius in barbam. Egregium itidem Cynicum fuisse oportet sanctum Hieronymum, qui in vasta illa Syriæ solitudine moratus est, hoc quem ipse depingit, habitu: *Horrebant, inquit, sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopica carnis obduxerat, quotidie lachryma, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa harenria colidebant.* Denique Cynici personam præclare quoque sustinuit Magnus ille Simeones, vt innumerabiles alios sanctitate, & miraculis clarissimos viros præteream, qui vt Theodoretus refert, primum quidem ferreæ catenæ viginti cubitorum sese alligauit; ne vltra præscriptos limites pedem efferre posset: deinde in columna, cuius altitudo triginta sex cubitos exæquabat; totam vitam traduxit; tanta miraculorum celebritate, & virtutis opinione, vt omnium nationum concursus ad eum visendum fieret: *Non solum confluunt, inquit Theodoretus, qui nostram habitant regionem, sed & Ismaëlitæ, & Persæ, & Armenij, qui sunt eis subiecti, & Iberes & Homeritæ, & qui illis sunt interiores. Venerunt autem multi quoque, qui habitant extrema Occidentis; Hispani, inquam, & Britanni, & Galli. De Italia enim superuacaneum est dicere: Aiunt enim,*

*nim, Roma eum fuisse aded omnium sermone celebratum, vt in officinarum omnium vestibulis & porticibus, ei paruas posuerint imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes.* Hæc Theodoretus: Cùm his ergo talibus ac tantis, fatius, opinor, fuit, Ignatium esse Cynicum; quam cum Miseno Epicureum.

*Redit, inquis, Ignatius ad superstitionem. Qui tandem? Quia ter se diebus singulis acriter verberabat. Hic tu; fortasse leuiter; vtinam dorso tuo vel semel obtingerent eiusmodi verbera, nõ dubito, quin experientia doctus, à leuitate tua & calumniandi procacitate desisteres. Ceterum si propter verbera sibi inflicta Ignatius supersticiosus est: hanc itidem superstitionem communem habet cum aliis Deo charissimis & gratissimis viris, nominatim cum sancto Hieronymo; qui tentationum procellis ingruentibus, ait, se non prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Quod si numerus ternarius superstitionem apud te olet; oportet, vt & ille Davidis septenarius superstitionem redoleat, cùm ait, se septies in die Domino laudes & grates cecinisse: Septē horas, inquit Auctor, fixis humi genibus in oratione ponebat Ignatius. Tu addis: Si credere fas est. Memoriam prodidit sanctus Athanasius magnum Antonium sæpissimè in oratione pernoctasse. Et Theodoretus de Simeone suo tempore adhuc inter mortales agente, totam noctem & diem vsque ad nonam orat perpetuo; An & hic glossam tuam appones? Si credere fas est; quam cum Celso tuo facile etiam adiicies ad illa Euangelistæ de CHRISTO verba:*

verba. *Et erat pernoctans in oratione Dei. A superstitione, inquis, redit Ignatius ad vitam Cynicam, quia quotidie cogebat stipem, aqua & pane vitam tolerabat.* Primum; si pane & aqua vitam sustentare est Cynicum agere; tunc S. Antonius Cynicus fuit, de cuius cibo & potu ita Athanasius: *Sumebat panem & salem potumque aqua perparuum.* S. Hieronymus Cynicus fuit, qui suum & aliorum Eremitarum victum describens: *De cibo vero & potu, inquit, taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, ut coctum aliquid accepisse luxuria sit.* Nescio num his Cynicis etiam annumeraturus sis Ioannem Baptistam, qui adhuc inuicatiores viuendi ratione usus, locustas & mel syluestre escam sibi esse voluit. Quod si stipem cogere, & precario vitare Cynicum efficit; vide oro, ne Christum facias Cynicum; quem mendicasse grauisissimi quique Auctores senti-

Vide Bel-  
lar. lib. 2.  
de Mona-  
chis. c. 45.  
& Suarez  
3. p. B. Th.  
tom. 2. d.  
28. Sect. 2.  
Orig. lib. j.  
cont. Cels.

unt. Ut autem tu hic Ignatio mendicitatem, & cynicam quandam imitationem exprobras; Ita eadem exprobrabat olim Celsus Christo discipulisque Christi, de quo ita Origenes: *Addit Celsus, Iesum cum discipulis vagum turpiter ac sordide cibos corrogare solitum, quam calumniam copiose refellit Origenes.*

Porro ut te grata calumniarum vice recrees; Iterum, inquis, ad superstitionem Ignatius: *Quare? Quia carnibus & vino semper abstinuit; omnibus diebus, exceptis Dominicis, ieiunauit: humi cubitans, maximam partem noctis vigilans.* Si isthæc superstitionum reddunt, fateor, neminem in mundo à superstitione remotiorem degere, quam Calvinistas,

uinitas, quibus nihil horum curæ vel cordis; imo quibus omnia hæc quam maximè procul à cura & corde. Interim nosse debes, Ignatium in hac sua superstitione habere non quosuis socios, quod ad ieiunium attinet, sed vitæ sanctimonia præstantissimos; & à sanctissimis itidem viris laudatos, ut sanctum Paulum primum Eremitæ cultorem, cui, ut eius encomiastes Hieronymus ait: *cibum & vestimentum palma præbebat.* Et alium Monachum, de quo ibidem sanctus Hieronymus; qui triginta per annos clausus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit: Et alium, de quo idem sanctus Hieronymus, qui quinque caricas per singulos dies sustentabatur. Et sanctum Hilarionem; qui quindecim tantum caricas post solis occasum comedere solebat, teste eodem sancto Hieronymo: *Ut alios innumeros silentio præteream; de quibus Theodoretus & Athanasius.* Quibus addo Ioannem Baptistam; quem tuo iudicio, superstitionum fuisse oportuit: qui in eremo à carnibus & vino abstinuit. In chameunia seu humi cubatione eundem Ioannem Baptistam, imo ipsum CHRISTVM in deserto morantem, imitatus est, nisi fortè putas Baptistam aut Christum, cubile molli lecto instratum in ipso vastæ solitudinis horrore habuisse. Suprà audiuimus, quid de se Hieronymus scribat; quo strato fessa membra refocillaret; *Si quando, inquit, repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa herentia collidebam.* Quod autem Ignatius die Dominico non ieiunauit, id videlicet antiquissima



omnium Christianorum cōsuetudine fecit: qui Apostolicam traditionem secuti, diebus Dominicis ieiunium soluebant. *Die Dominico ieiunare*, inquit Tertullianus, *nefas ducimus*. Sed probat Misenus noster ex Plutarcho, supersticiosos esse, qui faciant, quæ Ignatius fecit, nam inter notas hominis superstitionis numerat Plutarchus *in publico sedere sacco indutum, vel centonibus sordidis circumamictum, item in luto nudum, sese volutare, & peccata quadam à se commissa & errata patefacere*. Maluissèm te, Misene, naturam superstitionis, seu notas superstitionis ex sacris litteris; aut ex Christianis Doctoribus, quæ ex Plutarcho describere. Ceterum quando ita vis, sic sanè, ut vis: Quæro tamen ex te, vtrum Ioannes Baptista veste ex pilis camelorum contexta indutus, & zona pellicea cinctus, supersticiosus fuerit: Item num illos inter supersticiosos numeres, qui olim cœlestis numinis placandi gratia sacco sese induerunt, & capita cinere asperserunt? Proculdubio supersticiosi erant, qui, ut Apostolus ait: *Circumibant in melioris, in pelibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*; Supersticiosus erat sanctus Hilarion, de quo sanctus Hieronymus: *Sacco tantum membra cooperitus, & pelliceam habens Ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur*. Vbi vides, Misene, sanctum Antonium Hilarioni materiam superstitionis subministrasse, Misenum vtrumque, qui Plutarchum nō legerint; quo sibi à tam pernicioso superstitionis

Tertul. lib.  
de corona  
militis.  
Plut. li. de  
superstit.

Hebr. 11.

perditionis vitio, cauerent. Miseriorem & superstitionis adhuc magnum illum Antonium; qui tunicâ B. Pauli primi Eremitæ sibi vèdicarit, quâ in sportarum modum, de palmæ foliis ipse Paulus sibi cōtexerat; & quam Antonius dieb. sollempnibus Paschæ & Pentecostes semper induere solebat. S. Benedictus supersticiosus fuit, qui ut libidinis ardorem extingueret, in præacutis senticetis corpus volutauit; & supersticiosior adhuc D. Gregorius, Magnus ille doctrina & sanctitate Pontifex; qui factum hoc Benedicti litteris ad posteritatis memoriam transmisit. Superstitiosi & illi qui facti dolore cordis, accederunt ad Ioan. pœnitentiæ præconem, *confitentes peccata sua*. Quia peccata sua exponere, superstitionis est, si Misenum audimus. Miser Misene: Noñe tu ipse paulò antè dixeras ex Plutarcho, superstitionem esse *πρόθεσις* *Λέβδης ἐγγεγεννημένον*, *affectionem ex falsa persuasione innatam seu exortam*. Si sancti viri omnia hæc nō falsa opinione delusi; sed Dei, regni cœlestis, & virtutis amore subierunt, & tolerarunt; qua fronte, vel secundum Plutarchum, hos tam eximios viros superstitionis arguere audebis, quos ipse Plutarchus, nil dubito, ab omni superstitionis nota absoluisset, si quo sine; quoue consilio, quiduis agerent, intellexisset.

Aliis verbis definit idem Plutarchus superstitionem in hunc modum. *Ἐστὶν ἔμπαδὸς καὶ δὲυς πομπικὴ ὑπὸ βλάβης ὄσα ἐκταπνύντῃ καὶ συντελεῖσθῃ τὸν ἀνθρώπου*: *Superstitio est opinio plena affectibus, & suspicio effectrix timoris; qui hominem abicit & conterit*. At nec secundum hanc definitionem effugies, Ignatium, aut quemuis

Matth. 3.

alium ex sanctis illis Athletis superstitionis condemnari posse. Quis enim illis generosior? Quis animo magis imperterritus: & ad omnes tam mundi, quam carnis & Dæmonis insultus magis impauido? Quis bonæ spei & fiducia plenior? Quis ad omnes casus fortuitos constantior & erectior? tantum abest, ut hæc pietatis & Christianæ Religionis exercitamenta, mentis vigorem & alacritatem fregerint, & eliserint. Christiani Doctores aiunt, superstitionem esse vitium *oppositum Religioni per excessum, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam religio, sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Hæc superstitionis descriptio magis ad tuam rem faciebat, quam illæ Plutarchi. Poteras enim dicere, Ignatium coluisse numen eo modo, quo non debebat; ac proinde fuisse supersticiosum: Sed verisimile est, Ioannem Baptistam, & veteres Ecclesiæ Patres, quorum per vestigia Ignatii gradiebatur, melius nouisse, quo modo & quo cultu Deus sit colendus, quam sciat Misenus iste; cui in cultu diuino etiam id, quod ne satis quidem est, nimium est. Ait Ribadeneira, Ignatium singulis diebus Dominicis peccata sua confessione eluisse. *Quod sane mirum est,* inquis, *quod enim fieri potuit, ut in tanta sanctitatis specie delinqueret Ignatius.* Mirum hoc tibi non fuisset; si illius dicti in mentem

S. Aug. li. 1. cont. epist. Pelag. c. 4. *Septies in die cadit iustus. Multi baptizati fideles sunt sine crimine, inquit sanctus Augustinus, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim*

*xerim; quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus aduersum nos inflentur & dirumpantur insania, Et alibi: Sine peccato, qui se viuere existimat, non id agit, ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat.* Sed hæc non capis, qui inter venialia & mortalia peccata discrimen nullum agnoscis; aut si agnoscis, falsum agnoscis.

S. Aug. li. 14. de ciu. Dei, c. 9.

Ait Ribadeneira, Ignatium rerum spiritualium adhuc fuisse rudem; & tamen multos sermonibus suis inflammasse. Hic tu, *non est cuiusuis alium incendere; qui ipse non ardeat.* Rectè. Sed Ignatium diuini amoris igne arfisse scribit Auctor; Quid igitur mirum, si & alios inflammauit, ignisque ignem peperit, nisi fortè putas, charitatis ardorem maiorem esse non posse; quàm cognitionem; nec euenire, ut qui scientia minus valet; charitate valeat plurimum, cuius ignes si semel voluntas excipiat; non modò in se, sed & in aliis, communionem quadam, ingentes diuini amoris flammæ excitat. Sed hic tu Auctorem nostrum inconstantiam arguis. *Dicit, inquis, Ignatium parum in virtutis actione fuisse versatum, & tamen paulò post addit, sanctæ vitæ exemplum prabuisset alii.* En contradictionem, cui tollendæ nullum ingenij acumen sufficiat. Ait auctor, Ignatium parum in virtutis exercitatione versatum esse: Quia tiro erat, quia nouitius erat, quia iam primum ad spirituales militiam accesserat, ut quis autem non parum in virtutis actione versetur, tempore eget, & diuturniore vsu. Potest tamen tiro illis ipsis, quæ ut tiro exercet, virtutibus

bus documentū edere, quis, qualisq; sit futurus, & aliis sanctę vitę exemplum præbere, hoc ipso, quod in primo suo tirocinio ad virtutis & sanctę vitę præscriptum strenuē & alacriter sese exercet.

## CAPVT IX.

*Examinantur calumnia Miseni in sextum  
& septimum caput.*

**S**exto capite exequitur Ribadeneira scrupulos, quibus Ignatius excruciat, & tentationes, quibus à Deo probatus fuit. Die quodam, ait auctor, versantem in xenodochio aggressus est Dæmon: Hic Misenus, *diē illum perquam scire velim? Quid si scias: num credes auctori? Miror*, inquis, *illum in fastis non esse notatum.* Miraris proculdubio etiam cur ille dies non sit in fastis notatus, de quo Genes. 39. *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum.* Sed nondum tua sciendi cupiditas expleta est. *Scire etiam hoc velim*, inquis, *qua specie Diabolus apparuerit Ignatio.* Magnum te noscendi Diaboli desiderium tenere videtur. Non ambigo, quin ex Matthæo, Marco, & Luca sæpius quodque scisciteris, quamam forma Diabolus apparuerit CHRISTO; fortassis si quis oram tuorum bibliorum seu legeret, seu relegeret, huiusmodi quæstionem ad marginem notatam inueniret; quando, vt præ te fers, omnia quæ legis, scholiis illustras.

Quid Ribadeneira ad tuam de Diaboli specie quæstionem responderet, equidem non satis perspectum habeo. Ego; vt tibi meam sententiam

sententiã explicem, si vllus coniecturæ, probabilissimis argumētis adiutæ locus datur, arbitror, Diabolū specie Caluinistæ Ignatio apparuisse. Id aded ex verbis, quæ prolocutus est, colligo. *Quid tu, aiebat, in his sordibus, in hoc pedore iaces? Et quid cum abiectis hominibus sedens, generis tui nobilitatem obscuras?* Verba Caluinistæ hæc sunt, dehortantis ab asperiore vitæ instituto; & ad illecebras & oblectamēta mūdi subdole cohortantis. *Fortasse*, inquis, *hac licentiã poeticã exponuntur, vt & sequentiã, de nescio qua tentatione, alio die, qui itidem reticetur.* Hæc eadem, si apponeret, tanquam scholium Celsus aliquis ad contextum Euangelistarum; nonne diceres, illum ea tantum de causa narrationi fidem derogare, quia credere non luberet; si lubuisset; credidisset. Idem tibi à me responsum habe; aut vna cū hac auctoris nostri historia reiice tanquam figmentum poëticum, quidquid sanctus Athanasius, & quidquid sanctus Hieronymus tradit de diabolis, specie aspectabili à sancto Antonio & à sancto Hilarione visis. Quod si hos duos tantos viros, tanquam mēdaces reieceris, minus iam ægrè feram, te reicere Ribadeneiram, qui, repudiatis duobus illis sanctissimis & præstantissimis patribus; non nisi cum suo dedecore & ignominia sempiterna, à te poterat, tanquam verax, approbari. Quæ autem est ista tua impudentia, cum diem auctori nostro dicis; dicamque scribis, quod non semper definitè & signatè diem nominet, sed quadam die hoc vel illud accidisse affirmet? An non hoc

vſitatiffimū eſt omnis generis ſcriptoribus tam ſacris quā profanis. An ideo S. Hieronymus & S. Athanaſius & Theodoretus minus fidei merentur; quia crebrò hoc loquendi modo vtuntur: *Quadam nocte, quadam die hoc vel illud accidit.* Sed de hac re iam actum eſt ſuprà. Nec repetere Apologiam & deſenſionem, niſi calumniator iteraret calumnias. Idem mihi cum iſto accidit, quod Origeni cū Celſo, de quo Origenes: *Quoniam eadem iterum atq; iterum repetit, cogit nos quoque ſimiliter facere, ne videamur criminationem aliquam ſilentio praterire.*

Orig. li. 2.  
cont. Celſ.

Ridet deinde Ignatium ob ſcrupulos, quibus angebatur, dum identidem menti occurreret, num hoc vel illud confeſſus eſſet. *O inep- tum, inquit, hominem, & planè ἀθεόλογον. Delicta quis intelligit?* Fateor, Ignatium non fuiſſe verſatum in Theologia Caluiniana, cuius nō eſt conſcientias ſcrupuloſas, ſed *cauteriatas & ſtigmaticas* efficere, quod non mirum: Quia cauteriatum & ſtigmaticum auctorem habuit; Si Caluinianis myſteriis Ignatius initiatus fuiſſet, aut nullos ſcrupulos ſenſiſſet: aut ſcrupulis facili ſumptu parabile pharmacum reperiſſet.

Sed quæris, *delicta quis intelligit?* Certè tu non intelligis. Quia ſi intelligeres, ſaperes, & nouiſſima prouideres. Peccata, quæ quis non intelligit, hoc eſt, quæ memoriā fugiunt, nemo in confeſſione explicare iubetur: Omnes officij ſui partes expleuit, qui malefacta, quæ menti poſt ſedulā inueſtigationem, memoria ſuggreſſit, Sacerdoti patefacit: ne tu hic nobis, neſcio quam carnificinam, & tormenta pluſquam

quā Acherontica comminiſcaris, *inuenta*, vt inquis; à *Monachis*. Quod ſi ad eò nullus, vel certe ſenis dolor, ob commiſſa piacula ſuſcipiendus eſt; cur Petrus Apoſtolus egreſſus ex loco, in quo peccarat, fleuit amarè? cur idem, vt veteres tradunt; audito galli cantu in lacrymas reſolutus, negationem illam perpetuo deplorauit? Cur Dauid, cur alij lamentis & queſtibus ſeſe dederunt; ſi peccatis abolendis & obliſcendis ſatis eſt hæc Caluiniana ſecuritas, vel potius audaciſſima confidentia? Quod autem ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacare, & flagellis in corpus ſuum animadnertere, denuo ſuperſtitioni adſcribis, facis, non quod Chriſtianum, ſed quod Caluinianum decet. Sed probas hæc & ſimilia ex ſuperſtitione proficiſci: *Quia ſunt ridicula*; opera autem, & dicta, & facta ſuperſtitionis ridicula ſunt, auctore Plutarcho, ex quorum numero, vt idem teſtatur, ſunt *incantationes, magia, & circumcuſationes, & tympanorum pulſationes, & impura purgationes, & ſordida expiationes, & barbara vetitæ, ad templa caſtigatōnes, & leſiones ſeu probroſe illuſiones.* Incantationes & veneficia ſpecies ſuperſtitionis eſſe, ſciremus, quantumuis neque à te, neque à Plutarcho id didiciſſemus. Alia, quæ commemoras, ſuperſticioſa itidem fuiſſe non abnuo: tum quia ſuſcepiebantur in eorum gratiam, qui Dæmonia non numina erant; tum quia erat cultus inanis & ſuperfluus. Quid enim colas idolum, quod nihil aliud eſt, quā vitæ & rationis vacuum ſimulacrum? Hoc nego: Si quid veri

Dei cultores & Christiani agunt, cuius simile egisse videantur Ethnici, id hoc solum nomine vanum & superstitiosum esse; alioquin baptismum vt superstitiosum tolle, tolle Sacramentum Chrismatis (quod vos Caluiniani iam dudum sustulisti;) tolle ipsam sanctissimam Eucharistiam, tolle resurrectionem, tolle denique totam veterem legem, vt superstitutionis plenissimam: Quia diabolus, vt Tertullianus ait, *tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos; expiationem delictorum de lauacro repromittit; & sic adhuc inicitur Mithrae, signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit: & sub gladio redimit coronam: quid, quod & summum Pontificem in vni nuptiis statuit: Habet & virgines, habet & continentes. Ceterum si Numa Pompilij superstitutiones reuoluamus: si sacerdotalia officia, insignia, & priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Iudaica legis imitatus est? Hæc Tertullianus.*

Duas igitur ob causas, reperiuntur apud Ethnicos & veri Dei ignaros quædam similia iis; quæ apud veri numinis gnaros & Christianos in vfu sunt posita. Prima causa est, æmulatio Diaboli, cuius sunt partes *interuertendi veritatem;* vt inquit Tertullianus, qui ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis æmulatur. *Omnia, inquit idem Auctor alibi;*

*aduer-*

*aduersus veritatem de ipsa veritate constructa sunt:* Tertul. A-  
*operantibus æmulationem istam spiritibus erroris.* polog. cap.  
*Ab iis adulteria huiusmodi salutaris disciplina sub-* 47.  
*orta, ab his quadam etiam fabula immissa, qua disti-*  
*mitudine fidem infirmarent veritatis; vel eam sibi*  
*potius euincerent; vt quis ideo non putet Christianis*  
*credendum, quia nec poetis, nec philosophis, vel ideo*  
*magis poetis & philosophis existimet credendum; quia*  
*non Christianis. Qua ratione factum est: vt plu-*  
*rima olim Iudæorum; & post Christi aduen-*  
*tum, Christianorum dogmata, & instituta, cæ-*  
*remoniæ, ritus, consuetudines & actiones repe-*  
*rentur apud infideles. De dogmatis audi Ter-*  
*tullianum. Ridemur, inquit, Deum prædicantes* Tertull.  
*iudicaturum. Sic enim & Poëta & Philosophi tri-* loc. cit.  
*bunal apud inferos ponunt. Si gehennam commine-*  
*mur, proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphle-*  
*gethon apud mortuos amnis est. Et si Paradisum no-*  
*minemus, Elysijs campi fidem occupauerunt.*

De institutis & cæremoniis idem liquet ex supradictis Tertull. verbis, & de baptismo, de confirmatione, pœnitentia, Eucharistia, de virginitate, de Pontifice summo monogamo, de aliis. De moribus & actionibus id vel hoc vnicum exemplum demonstrabit. Iudæos habuisse, & Christianos etiamnum habere certa ieiunia in cinere, sacco, vel cilicio, &, si necessitas postularat, vel postulet, alia itidem non stata indixisse & indicere, nemo ignorat.

Idem

Tertul. lib.  
de præ.

Tertull. li. de ieiuniis. Idem mos olim Ethnicis. *Omnem ταινειοφθύνων Ethnici agnoscunt, inquit Tertullianus, cum supet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, Magistratus purpuram ponunt, fascēs retro auertunt, precem indignant, hostiam instaurant. Apud quasdam verò colonias annuo ritu saccis velati & cinere conspersi, idolis suis supplicem inuidiam obiciunt, balnea & tabernacula in nonam vsque clauduntur. Niniuiticum credo institutum.*

Altera causa cur quedam apud Ethnicos veræ religionis similitudines & imitationes reperirentur, non est æmulatio cacodæmonis, sed in se naturalis instinctus rationis, ducens hominem ad id, quod rectum & conueniens: quamuis plerunque accideret, vt id quod per se bonum & laudabile esset; prauis aliquibus circumstantiis vitiaretur. Quo ipsius naturæ ductu & impulsu, quidam abdicarunt se omnibus suis fortunis; quidam cœlibem vitam egerunt, quidam à carnibus & vino perpetuè sibi temperarunt, alij societatem & conuiuium hominum auersati in solitudinem sese abdiderunt, alij vt libidinem domarent, inedia & verberibus sese confecerunt, alij alia rectæ rationi suapte natura cumprimis consentanea factitarunt. At quid hoc loco Hæretici? Quàm primum vident ab orthodoxis aliquid vel credi vel agi, quod ipsis minus arrideat, statim cum veteri & trito illo suo aduolant: *Hoc superstitiosum est: Quia ab Ethnicis sumptum est. Hoc friuolum est, & inane: quia Ethnicis simile quiddam prestiterunt.*

*runt.* qua in re sua spe & expectatione minimè fallitur Dæmon. Nam præter ceteras causas, multa etiam de vera Religione ad Ethnicas superstitiones transtulit, eo consilio, vt postea à Miseno, & à similibus calumniatoribus irriderentur, & ludibrio haberentur, vt iam antea ex Tertulliano audiuimus. Quam finem consequitur idem cacodæmon, præter suam expectationem: quamuis non præter voluntatem in illis, quæ Ethnicis, vi solius luminis naturalis agunt: Nam & hæc hæretici tanquam superstitiosa repudiant, præsertim si carni & sanguini minus sint iucunda, cum tamen, si saperent, potius contrarium colligere deberent, vt rectè Tertull. monet, cui cum obiectum esset; *Montanistas, ad quos iam se transtulerat, imitari ieiuniis suis purificationes & expiationes Ididis & Cybeles: admitto, inquit, testimoniatem comparationem. Hinc diuina (religio) constabit, quam Diabolus diuinorum emulatur imitatur. Ex veritate mendacium struitur, ex religione superstitio compingitur: Hinc tu (Misene) ed irreligiosior, quod Ethnicus paratior.* Fufius hæc persecutus sum, vt refutarem ea, quæ hic Misenus de Sacerdotibus Baalitis; Iaponicis Bonziis; & de sacrificulis Ididis fabulatur: cum quibus Ignatium, & nos Ignatij filios, omnesque Catholicos Sacerdotes comparat; quamuis supra itidem non nihil hac de re dixerimus, sicut & alibi dicemus: Quia quo minus omnia suo loco opportunè collocentur; facit aduersarij petulans procacitas; qui quæuis conuicia quouis loco iacit, prout furor imperat & impellit. Nunc Ignatium reuifamus.

Ad

Ad sacratissimam Eucharistiam, inquit Ribadeneira, de more, quasi ad sacram anchoram, confugiebat. Hoc loco Misenus nihil adfert præter meta mendacia, nolo enim vocare commenta: quia mitior vox est; quam pro improbitate Miseni. *Ad Eucharistiam*, inquit, *in Italia & reliquis nationibus Pontificiis, lenones, meretrices, masculorum concubitores confugiunt, tanquam ad probatum antidotum, quippe, quo sumpto, omnia peccata euanescent.* Nemo admittitur ad SS. Eucharistiæ mysterium; nisi per poenitentiae aditum: peccata sacerdoti exponenda sunt; firmiter propositum melioris vitæ concipiendum; satisfaciendum, poenæ iniunctæ subeundæ, aliæque præstanda; sine quibus arceatur quis à cœlesti illa mēsa; cum quibus nemo arceatur. Quia & Christus his conditionibus præditum, neminem à se exclusit. At quod ais; *sumpto Eucharistiæ sacramento omnia peccata statim euanescere;* non orthodoxam doctrinam tradis, sed tuam mentiendi impudentiam prodis. Sacramentum hoc viuentium est, non mortuorum. Alimentum enim est, viuere oportet eum, qui alitur; nam nutritio viuentis proprietas est, non mortui. Quomodo igitur hoc salutari cibo nutrietur, qui vitæ est expers, hoc est, qui peccatis mortalibus & capitalibus irretitus est? Tantum abest, vt talia flagitia vsu & sumptione Eucharistiæ euanescent, vt potius augefcent: *Probet seipsum homo*, ait Apostolus; *Et sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Addis:

Addis: *Es, bibe, lude, scortare per septem dies, octauo confuge ad Eucharistiam, & sic ab omni labe mundus eris.* Hæc non sunt nostra axiomata, sed tua mendacia. Non nostram doctrinam, sed Caluinisticam his verbis depingis. *Es, bibe, lude, scortare per septem dies, octauo die crede, & sic ab omni labe mundus eris:* At quid octauo die? Imò dum edis, ludis, bibis, scortaris, crede & saluus eris. Cetera superi curent: Si enim electus es, Spiritum sanctum, eiusque gratiam nunquam amittes: Si autem electus non es, nec ad sempiternam illam gloriam prædestinatus, quidquid agas, quidquid moliaris, Spiritum sanctum nunquam acquires. Quod si David Spiritum sanctum *nec in adulterio, nec in homicidio amisit, sed consopit tantum, eo modo, quo intellectus in ebriis non deperditur, sed sepelitur tantum;* & ignis sub cineribus non extinguitur, sed latet; cur non electus itidem Caluinista, Spiritum sanctum retineat; licet sit mœchus, homicida, sicarius, helluo, lusor, scortator? sepeliat non nihil Spiritum sanctum; Quid tum? Postea caput altius efferet. Clamet Smidelinus, *non vellem mille florenos, imò ne totum quidem terrarum orbem accipere, vt talia auditoribus meis proponerem;* Forte vnum florenum, imò forte nihil acciperet, & his similia vel maiora faceret. Estne hic Christianismus, vt tuis te, Misene, verbis interrogem, an officina vel latibulum omnis spurcitiei & iniustitiæ? Respondeat hic Misenus.

Beza col-  
loq. Mom-  
pelgar. fol.  
463. & seq.

Smidelin.  
colloq. Mō  
pelg. loc.  
cit.

Ait

Ait Ribadeneira, Ignatium variis conscientia scrupulis exagitatum, & quo se verteret, nescium, his verbis inter cetera Deum compellasse. Quod si vel catulum præceptorem mihi & perturbatæ mentis pacificatorem dederis, ego verò non recuso, libenter illum ducem; illum vitæ magistrum; te auctore, sequar. In quæ verba Misenus: *optat*, inquit, *insanus ille Hispanus vel catulum sibi præceptorem. Nonne habuit Moysen & Prophetas; nonne Evangelistas & Apostolos?* Moderatius, mi Misene, moderatius, ne sæui, ne insanus videaris, dum Ignatium insanitæ accusas. Non ita concepit preces Ignatius: *Da mihi catulum*; sed, si dares mihi catulum præceptorem, libenter illum, te auctore, sequer. An tu talem magistrum non sequereris; si tibi, iussu diuino, obtingeret? *Non*, inquis, *sequerer illum: Quia habeo Moysen & Prophetas, Evangelistas, Apostolos.* At quo iussu hos habes; si habes; nisi iussu & voluntate Dei? An igitur censēs, eum, qui vt omnipotens, ita etiam omnisciens est, nō posse te docere ministerio catuli? Forte ob stuporem tarditatemq; animi tui Magistro asino opus habes; vt olim Balaam: quia sagacitas & acumen catuli videtur hebetudinem ingenij tui lōgè excedere. *Quasi verò*, inquis, *Deus vnquam promiserit se velle nos per catulos docere. Audiant hic discipuli Iesuitarum, quo præceptore secta sit instituta.* An non Salomonis ore nos docet Deus sedulitatem per formicam? An non Christus diuina sapientia docet nos per volucres cœli; per flores & lilia agri; an non docet nos per serpētem prudentiam,

dentiam, per columbam simplicitatem? An non per granum Sinapis regnum Dei & Ecclesiam; an non alia per alia? An non per exiguum terræ vermiculum docet nos Deus suam potentiam, bonitatem & cetera de genere eodem? *In-* Job, 12.  
*terrogamenta*, ait Iob, *& docebunt te: & volatilia, cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ & respon-*  
*debit tibi: & narrabunt pisces maris.*

Ait Ribadeneira, Ignatium quādā vice vehementissimam cogitationem inuasisse, vt excellula, vbi erat, sese præcipitem daret. Hic Misenus, *vinam fecisset, Ecclesia non multum detrimenti passa esset.* Proculdubio idem optas; cum legis illud Diaboli ad Dominum: *Mitte te* Matth, 4.  
*deorsum*: Forte quod nunc in occulto coquis; proferes aliquando in publicum, vt videamus illum locum Euangelistæ hoc Miseni Scholio illustratum: *vinam fecisset: Ecclesia non multum detrimenti passa esset.* Ait Ribadeneira, Ignatium statuisse non prius sumere cibum, quàm mentis quietē à Deo impetraret, ac proinde septem integros dies ieiunium permanisse, nihil vt omnino gustaret. *Quid est aliud tentare Deum, si hoc non est*, inquit Misenus. Credo profecto hoc tentādi genere, Deum nunquā à te aut tentatum esse aut tentatum iri: Procul abest ab hoc peccato Calvinistica professio. Deinde forte etiam B. Dauid tentauit Deum, cum firmo proposito, Psal, 131.  
*hæc decreuit: Votum vouit Deo Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dederō somnum oculis meis & palpebris*  
K *meis*



*meis dormitationem: Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Forte itidem S. Hilarion tentauit Deum; tentationemq; hanc, vt grande Hilarionis miraculum, scriptis prodidit Hieronymus. Cum enim quodam loco Hilarionem, nullo modo abs se dimittere vellent, decreuit, inquit S. Hieronymus; *publica omnes voce contestans, non cibi se, nõ potus quidquam sumere, nisi dimitteretur, & post septem dies inedia tandem relaxatus discessit.*

De ieiuniis, inquis, septem dierum fides penes auctorem esto. Iam primum audisti ex Hieronymo, Hilarionem septem integros dies ieiunasse. An & hic fidem penes auctorem esse cupis; non penes te? Ipsemet Hieronymus de seipso testatur; se cum in Eremito versaretur, *repugnantem carnẽ hebdomadarum inedia subiugasse.* Tradit Theodoretus Simeonem Styliten aliquãdo *quadraginta dies* ab omni cibo & potu abstinuisse. Scribit idem Theodoretus Maranam & Cyram, sanctissimas fœminas, cum Hierosolymam orationis gratia abiissent, in toto illo itinere, quod viginti dierum erat, nihil gustasse, sumtoq; postea cibo in sancta vrbe, totidẽ diebus redeundo cibi expertes fuisse. Sed hæc sunt supra fidem Miseni, cui, vt Tertullianus ait, *Deus venter est & pulmo templum; & aqualiculus altare; & sacerdos cocus, & sanctus Spiritus nidus, & condimenta charismata; & ructus prophetia.*

Septimũ caput continet diuinas illustrationes, quæ Ignatio post varias probationes & tentationes obtigerunt. Quod enim aliis sanctis Deiq; amicis

S. Hier. in  
vita S. Hilarionis.

S. Hier. Epist. 22. ad Eustoch.

Tertul. lib. de ieiuniis.

amicis accidit, vt post varia tentationum & molestiarum corporis & animi experimenta, cœlestibus solatiis recrearentur; id itidem nostro Ignatio euenit: Cum quodam die, vt auctor est S. Athanasius, magnus ille Eremita, Deiq; cultor Antonius, à Dæmonum turba mirum in modũ diuexatus esset; *non oblitus est,* inquit S. Athanasius, *Iesus colluctationis serui sui, eidem protector factus est.* Ergo cum eleuaret oculos, vidit desuper culmen aperiri, & diductis tenebrũ radium ad se lucis influere. Post cuius splendoris aduentum, nec Dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplo deletus est. Illico præsentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem, quæ ei apparuerat, loquebatur dicens. *Vbi eras bone Iesu, vbi eras? Quare non à principio adfuissti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est dicent, Antoni, hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum.* Hæc S. Athanasius. Ait Ribadeneira; Ignatium die quadam cœpisse ita in Deum intellectũ ferri, quasi sanctissimam Trinitatem, specie quadam visibili id significare exterius, quod interiorius percipiebat, cerneret; & ex hac illustratione mirabilem in animo Ignatij voluptatẽ exitisse. Hic ait Misenus: *quandam hanc diem fuisse trigesimam secundã Decembris.* Non dubito, quin cum scholia scribes in caput tertium & decimũ quartum libri primi Regum super illa verba: *Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco. Accidit in die quadam, vt diceret Ionathas filius Saul,*

S. Athan. in vita S. Antonij.

dicturum te, *quandam* hanc diem, fuisse trigessimum octavum mensis Casleu. Pergis. *Notum est hoc mysterium* (Trinitatis) *superare omnem vim rationis, nec ad hoc explicandum opus nobis est Hispano milite.* Non dixit Ribadeneira, Ignatium hoc mysterium ratione & cogitatione comprehendisse, sed speciem quandam eius ei obiectam esse, significantem exterius, quod ipse percipiebat interius, non quod per ullam speciem aspectabilem; sanctissima Trinitas secundum suam essentiam representari queat, sed quod possit adumbrari, eoque modo efformari, cuius oculi corporei, vel etiam oculi mentis in hac vita sunt capaces, nisi forte putas sanctissimam Trinitatem nec totam, neque in hac vel illa persona sese posse piorum aspectui conspiciendam offerre. Quod si hac persuasione teneris; tunc nobis exponas velim, quomodo Ioannes Baptista viderit *spiritum Dei descendentem quasi columbam de caelo*, superque Christum residentem: & quomodo ipsa Pentecostes solemnitate, spiritus sanctus visus sit ab Apostolis, & aliis sub specie visibili ignis. An non & in veteri testamento, Deus saepius sub specie aliqua sese videndum Prophetis & aliis obtulit? An non ipse Dei filius humana sub imagine in terris apparuit; & cum hominibus versatus est? Quod autem optas, ut liber ille, quem Ignatius eo tempore de SS. Trinitatis mysterio scribere coepit, in lucem proferatur, inutile votum est: tum quia tibi Hispanici sermonis ignaro, nihil prodesset, tum quia, more tuo, non intelligens, quae legeres, criminandi & conuiciandi materiam & occasionem quaereris. Si canis

Ioan. 1.

Act. 2.

Matth. 7.

pete-

peteret *Sanctum & porcus margaritas*; num petitioni satisfaceres? Non opinor, reueritus monitum illud Christi: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conuersi dirumpant vos.* Non video tibi facturum iniuriam, si inter hos canes & porcos te numeret. Statim enim sibrunt Ignatij, ut & vitam, Scholiis tuis contaminaret, & forte non tantum virus Calulatanum, sed & Ariani aliquid veneni euomeret.

Alio tempore, inquit Ribadeneira, modus eius menti obiectus est, quo mundum Deus contudit: quem longo post intervallo cum haec eadem ipse Pater narraret, se non satis affirmabat explicare posse. *O impostorem vanum*, exclamat Misenus. *Ceterum quid attinet respondere*, (ut ar enim verbis Origenis in Celsum) *ad maledicta, conuiciaque*, quae in Ignatium iaculatur ut scelestum & impostorem. *Hoc non est disputatoris, & eius, qui pollicetur vtilissima Scholia; sed plebeium & indignum Philosopho vitium, & furoris indicium: Quia deberet rem propositam examinare candidè, & quantum fieri potest, nihil alienum ab ea dicere.* Haec Origenes de Celso: Ego de Miseno: Sed quare impostor Ignatius? *Nalium alium*, inquis, *modum scimus creationis, quam qui in litteris sacris proditus est.* Nec Ignatius alium sciuit, sed hunc, qui in litteris sacris proditus est, clarius & perspicacius, & ut sic dicam, penitius sciuit, quam tu scias & similes; qui cum

Orig. li. 1.  
contra Celsum in fine.

verba alicuius mysterij percipitis, subito ipsum mysterium vos percepisse putatis, magno sanè errore; nam scientia & cognitio rerum diuinarum gradus habet, alios aliis excelsiores. Quod ni ita esset, non orasset Apostolus pro Colossensibus, ut crescerent in scientia. nec dixisset B. David: Da mihi intellectum, quia utique iam antea aliquem habebat: nec dixisset; reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Quid ergo mirum, si Ignatius cœlesti beneficio clariorem intelligentiam procreationis rerum assecutus est, quam tu, vel vulgus Calvinisticum. An nescis Apostolum alieubi emittentem quandam scientiam nominare?

Coloss. 1. 7

Psal. 118.

Philip. 3.

Ait Ribadeneira: Ignatium quodam die cum corpus Domini populo adorandum proponeretur, mentis oculis clarè vidisse, augusto illo atque tremendo sacramento Dominum Iesum Christum, verum Deum atque hominem verissime contineri. Quid ad hæc Calvinianus spiritus: cui hoc loco vnguis in vlcere? Hui, inquit, quantum blasphemiarum coaceruatam paucissimis lineis. Inspiciamus ergo propius hæc blasphemias. Primum, inquis, qua auctoritate panem pro corpore Domini adorandum proponis. Nemo panem adorandum proponit: Quia id, quod sub specie panis, facta consecratione, continetur, corpus Christi est, non panis. Hoc corpus sub specie panis adoramus, & adorandum proponimus; ab ipsa sacra Scriptura, à ratione ipsa & à tota antiquitate edocti. Quid

vis

vis amplius? Deinde cur appellas, inquis, Sacramentum tremendum? Quia ita appellarunt veteres, nominatim S. Chrysoctomus, non modo propter rem significatam, sed & ideo; quia cum horrore & tremore ad hoc tantum mysterium accedendum est; quia quod Angeli videntes horrescunt, inquit Chrysoctomus; neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur; huic nos vnimur. Si angeli horrescunt videntes, cur non multo magis nos manducantes? Sed hac actio, inquis, consolationis plenissima est; non ergo incutit horrorem vel tremorem Christianis. Fateor non esse, quod quis horreat aut tremat in cœna Calvinistica. Est enim actio cōsolationis plenissima sumere buccellam panis non sine boni meri haustu, præferim si quis esuriat & sitiât. Nosse tamen debes, Misene, duplicem esse horrorem, sicut & duplicem metum: Alter ex reuerentia, amore & admiratione proficiscitur: Alter ab auersione & timore seruilis alicuius supplicij emanat: ille propriè filiorum est & amantium; hic seruorum & mancipiorum, nihil integre & sincerè, sed omnia subdolè & fallaciter facientium; ac proinde in perpetua verberum formidine versantium. Prior ille horror consolationem non impedit, sed parit & auget: posterior impedit; At non hic, sed ille ad hoc sacramentum afferendus est.

Tertium mendacium est, inquis, Christi corpus in sacrosancto Eucharistia sacramento contineri. Atqui mendacium hoc, si mendacium est,

S. Chryf.  
Hom. 60.  
ad Antio.

Gregor. de  
Valent.  
tom. 4.  
Bellarm.  
tom. 2.

commune nobis est cum Christo, cum Aposto-  
lis, cum priscis patribus, cum tota Christi Ecce-  
lesia: Quorum omnium testimonia protulerunt  
duo ex nostris Theologi Gregorius de Valen-  
tia, & Bellarminus. Tu lege & vide, num tu me-  
tiaris, an Ribadeneira. *At, inquis, corpus Chri-  
sti continetur in caelo, non ergo in Sacramento; aut fit  
in Sacramento; non in caelo.* Hoc videlicet impie-  
tatis vestrae caput est; quasi contineri in vno lo-  
co; sit esse in eo tantum loco, non alibi; aut  
quasi corporis essentia id simpliciter exigat;  
vt ita vno loco contineatur; vt in alio simul  
non existat: Continetur anima in manu, &  
tamen simul est capite: nisi fortasse caput Miseni  
animae sit expers. Illud acutum; cum hoc con-  
tinendi verba dogma transubstantiationis euer-  
ti dicis: *Corpus Christi continetur, inquis, in Eucha-  
ristia, hoc est, in pane, vt volunt Iesuitae. Ergo pa-  
nis manet: ergo non fit transubstantiatio:* At quis  
Iesuitarum, imo, quis Orthodoxorum vn-  
quam asseruit, corpus CHRISTI conti-  
neri in, cum, aut sub pane: hoc est, in, cum, aut sub  
panis substantia? Non nostra haec est assertio, sed  
Lutheranorum deliratio. Quod si qui ita lo-  
quuntur, vt dicant, sub pane contineri cor-  
pus Christi; illi panem non vsurpant pro substan-  
tia, sed pro speciebus panis: *Postremo, inquis,  
summa blasphemia est dicere Christum, vt Deum, conti-  
neri in Sacramento.* Vereor vt summa blasphemia  
fit, hanc doctrinam appellare summam blasphemiam.  
An non enim vbicunque CRISTVS est; ibi vt  
Deus

Deus est. Si ergo in Eucharistia Christus est, o-  
portet, vt ibi sit vt Deus: Quia Christus, qua ho-  
mo; nusquam est, nisi simul vt Deus: Si ibi est vt  
Deus: ergo continetur ibi vt Deus, nisi rursus ad-  
vmbrailes verborum pugnas deuoluaris, illud-  
que solum in aliquo dicas contineri; quod ita in  
in illo est, vt non sit alibi. Quam notionem non ha-  
bet vocabulum continendi, ex impositione Sapi-  
entium, sed insipientium, hoc est, ex vestra: qui  
vestrae haeresi non modò sacra oracula, sed & ipsa  
rerum vocabula inferuire vultis. Quare nihil  
mior illam tuam exclamationem, vel potius  
criminationem: *O caelus, audes tu dicere, Deum con-  
tineri re aliqua? Haccine est Theologia vestra?* Imò  
haec est Theologia nostra, Nam Theologia tua;  
quae tradit, Deum non contineri in qualibet re,  
atheismum nobis olet: Deus enim non est; qui  
non continetur in omnibus rebus.

Testatur Ribadeneira, Ignatium orationi in-  
tentum sapissimè, & diu quidem, interiore ani-  
mi obtutu Christi humanitatem vidisse. Tu in-  
teriore animi obtutum interpretaris *notitiam  
intuitiuam*; Scholasticè planè. Arbitrabar haec-  
enus, te vix habere *notitiam abstractiuam*; nunc vi-  
deo te *intuitiuam* quoque praeditum esse, quando  
quidem tam perspicaciter intuitus es, Ribade-  
neiram hic de *notitia intuitiuam* loqui. Fateor non  
intellexissem hunc Ribadeneirae locum, nisi tu  
interpres accessisses. Subiungis: *Nisi veritus esset  
ne mendacij conuinceretur, proculdubio dixisset, Igna-  
tium non secus ac Stephanum Protomartyrem legi-  
mus, oculis corporis vidisse humanum Christi corpus.*

Omnino si id accidisset; non veritas fuisset id Ribadeneira literis prodere. Tu quo argumento mendacij eum conuiciffes? mentiendo, opinor, vt soles, at mendacij nemo conuincitur mendaciis, sed veritate: *Quis credat*, inquis, *miserum illum Hispanum posuisse acie mentis sua penetrare caelos caelorum, atque ibi intueri filij Dei humanitatem.* Idem dicebant Iudæi; cum audissent ex sancto Setphano: *Ecce video caelos apertos, & filium hominis stantem à dextris DEI;* propterea, vt tu modò, *exclamantes voce magna, continuerunt aures suas; & impetum fecerunt vnanimiter in eum.* Itaque hoc loco, Misene, non *Caluiniſas*, sed *Iudaiſas*: nisi quod *Caluinizare & Iudaiſare* paulatim vnum & idem fiunt. *Nisi Iesuita*, inquis, *probent, caelos fuisse apertos Ignatio, non credam.* Agnoscis Ignatij visionem fuisse *intellectualem*, non, vt ita dicam, *ocularem*, hoc est, intellectu perfectam, non oculis: Quid ergo caelis apertis opus est? An tu intellectum, nisi per aperta penetrare posse negas? An intellectus acumine suo pertingere nequit: nisi quo dux oculus præcesserit? Miserum intellectum, tenuisque nimium potentia; si Christum absentem, & ab oculorum aspectu remotum intueri non valeat. *Præterea quæri possit*, inquis, *cur, cum humanitatem videris, non etiam videris gloriam Dei.* Si, vt tu interpretaris, Ignatius humanitatem CHRISTI vidit *notitia intuitiua*, omnino oportet, vt etiam viderit gloriã, in qua est humanitas Christi, quæ

Actor. 7.

quæ vtique est & ipsa quædam Dei gloria. Quia notitia non censetur *intuitiua*, nisi res videatur perfectè, & eo modo, quo est. Itaque aliam causam non video, cur quæras, quæri posse, cur gloriam Dei non viderit Ignatius, si humanitatem Christi vidit; quàm quia nescis, quid sit rem *intuitiua notitia* cognoscere. Aliquando, ait Ribadeneira, *beatissimam Virginem* vidit. *Non addit diem*, inquis. Quid tum? An ideo falsum, quod scribit? Lege Historicos sacros & profanos, nominatim sanctum Hieronymum in vita sancti Hilarionis, & sancti Pauli Eremitæ, & sanctum Athanasium in vita sancti Antonij, & sanctum Gregorium Nyssenum in vita sancti Gregorij Thaumaturgi, & Theodororum in historia religiosa; annon sæpissimè, omiſsa certi diei designatione, sine vllò veritatis dispendio, ita loquuntur: *Aliquando hoc vel illud accidit.* Tu hic rursus contendis non fuisse *veram visionem, sed somnium*: Sed per somnium hoc somnias: eaque de causa falsò, de quo satis iam alibi.

Egregiè autem Sycophantæ partes agis, cum ais, Ribadeneiram scribere: *Biblia sacra si inter-ciderint; posse nobis restitui ex visionibus Ignatij.* Os & frontem hominis. Hæccine auctor noster? En, Lector, ipsa Ribadeneiræ verba. Quibus quidè visis ita in fide ac spiritu cõfirmatus, & cœlesti lumine cõpletus est, vt sæpe hæc secū reputans, illud etiã statueret, si aut sacrarum literarum monumentis consignata mysteria fidei non essent, aut certè, si sacra Scriptura (quod fieri

ferri non potest) intercidisset, sibi tamen ita esse certa, penitusque infixa, ut ex illis tantum, quæ viderat, non dubitaret, & rectè ea intelligere, & aliis tradere, & pro illorum defensione etiam mortem oppetere. Aliter, Misene, *olent sues, aliter Catull, aliter tua mendacia; aliter Ribade-neiræ dicta.* Nec verbum addo.

Aliam Ignatii illustrationem refert auctor his verbis. Egressus diè quodam Manresa ad templum, quod ab oppido mille passibus abest; diuinarum rerum contemplatione suspensus, paululum confedit in via, quam fluvius præterlabitur, faciemque conuertit ad flumen: ibi mentis ei oculi aperti, atque illuminati sunt, non ita quidem, ut speciem aliquam aut in sensus cadentem imaginem videret, sed ut permulta, tum quæ ad fidei mysteria pertinent, tum quæ ad scientiarum cognitionem, optimè intelligeret: taura tamque clara luce, ut ab eo res ipsæ, nouo quodam lumine, cernerentur. Hæc quomodo tu refutas? duobus validissimis scilicet argumentis. *Falsissima sunt*, inquis. Qua ratione probas? nulla penitus, sola tua asseueratione & auctoritate Lectorem contentum esse oportet: Ipse videlicet dixit, falsa sunt; & falsa sunt. Alterum, his verbis continetur. *Qui eiusmodi phœtæus & nugæ fidem habent; non mirum est ab eis adorari truncos & stipites.* Ecce quàm præclarum argumentum, quo illustrationem hanc Ignatii funditus subruit: *Qui tales*, inquit, *nugas credunt, truncos & stipites* (hoc est, ut Catholicus loquitur, sacras imagines) adorant. Ergo falsa est illa

Ignatii

*Ignatii Illustratio.* Nō miraberis, Misene; si aliquādo argumenta tua vestiant formā Dialecticæ; sic enim taculentius, quid valeant, apparet.

Interim tamen scire velim, exte, an existimes neminem posse diuinitus ita illustrari, ut rerum tam celestium, quàm naturalium cognitionem aliquam adquirat? Vix arbitrōr te aut tam stupidum; aut tam impium fore, ut abnuas: Si enim Deus hominem erudire potest ministerio hominis, cur non & cœlitum; & sui ipsius opera, sine alterius interuentu? S. Antonius literas non didicerat, inquit sanctus Athanasius, ingenio fissimustamen & prudentissimus, & spiritualium rerum intelligentissimus erat: à quo edoctus, nisi à supremo illo Magistro? Mysterium SS. Trinitatis melius & clarius cognouit, diuina illustratione adiutus, D. Gregorius Thaumaturgus; missa ad se cœlitus Deipara Virgine, & Ioanne Baptista, ut testatur S. Gregorius Nyssenus, qui non dormiēti; sed vigilantī exposuerunt, quidnam sit verè de altissimo illo Religionis nostræ mysterio sentiendum, aliisque à Doctoribus Christiani populi explanandum.

S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.

Ceterum valde hallucinaris, Misene, quod putas, eo consilio, has illustrationes de Ignatio scriptis mandatas, ut ipsius *extraordinaria vocatio* confirmetur; De qua tu *extraordinaria vocatio* loqueris, num de conuersione eius à vita mūdo dedita; ad vitam sanctiorem, & à mūdo abhōrrentem? Atqui hæc non est *extraordinaria vocatio*; sed planè *ordinaria*. Quia fermè quotidiana. Perpetuò enim videmus nonnullos, gratiā diuinā excitatos, ex luto fecis emerere

gere

gere, & supra firmam virtutum petram pedes suos statuere. Si conuersionem hanc Ignatij extraordinariam vocas ratione modi; fateor, extraordinaria fuit, sed hoc modo multorum aliorum vocationes extraordinariae sunt; Quia in multis peculiare aliquid elucescit; quod frustra quæras in aliis. Sic vocatio Pauli extraordinaria fuit; Vocatio item Matthæi, Petri, Andree; Sancti Augustini, S. Pauli Eremitæ, S. Hilarionis, vt alios præteream. Si loqueris de vocatione ad religionem; neque hæc extraordinaria fuit: Quia singulis prope diebus videmus non paucos mundo valedicere; & Religionis portum subire. Si loqueris de vocatione ad instituendam nouam religionem; neque hæc extraordinaria fuit: Quia legitima auctoritate, & ab ordinario Magistratu, potestate sibi facta, familiæ nouæ fundamenta posuit, & ad eam, quam lamentamini, magnitudinem prouexit. Si loqueris de vocatione ad Sacerdotium, & docendi munus, neque hæc extraordinaria dici potest. Nam à legitimis & Catholicis Episcopis Sacerdotij dignitate ornatus est, & missus, quoquo versum, salutaris doctrinæ gratia. Non ergo satis dispicio, quam tu extraordinariam vocationem Ignatio affingas: Vestrum est, ô Misene; vt *extraordinarios* homines; ita & *extraordinarios* ministros esse. Optas, vt omnes Ignatij illustrationes in lucem edantur. Sed quo sine? *Haberemus*, inquis, *proculdubio*; quo nos *oblectarem*, *suauiter Hispani videntes somnia patris, & visa in cerebro nata melancholico*. Omnino eandem voluptatē caperes, quam olim Celsus ca-

pie-

piebat; cùm visiones & illuminationes Prophetis & Apostolis, & aliis in noua & veteri lege factas, legeret. *Suauiter Hebræa deridens somnia legis, & visa in cerebro nata Melancholico*. Nam qualis olim Celsus in Christum & Christianos; talis hodie tu es in Ignatium & Iesuitas. Talem proculdubio voluptatem caperes, qualem capit araneus, cum odoratissimis & gratissimo succo turgidis floribus insidet; exfugens inde non venenum; quod nullum in flore, sed materiam veneni, per noxiam illam & perniciosam naturam conficiendi. At quod visiones has melancholiæ adscribis; mirari subit, cur nemini vestrum obtingant? Nam nullos inter vos esse melancholicos, cras credam, hodie non credo. Deinde dic, quæso, num visiones, & illuminationes Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, itidem ex atra bile processisse censeas; illas dico visiones; quæ non *Lugendis*, sed probatis probatorum auctorum monumentis testatæ sunt. Si cum Celfo respondere lubet, vt sanè lubet, in promptu tibi erit responsio. Cur enim non affirmes? Apparitionem Christi post resurrectionem à mortuis, factam Magdalenzæ repudiauit Celsus, non aliam ob causam, quam quod eam viderit mulier, vt aiebat, *fanatica; & si quis alius fuit magica istius vanitatis sectator: Quosdam enim vigilantes somnare, suæque sponte spectris inanibus deludi*. Quas criminationes satis superque dissoluit Origenes.

Orig. li. 2.  
côtra Celsum.

Scribit

Scribit Ribadeneira, speciem quandam Ignatio sapius oblatam, iucundam aspectu, quam tandemprehenderit esse dæmonem. *Ne scilicet dubitaremus*, inquit Misenus, *quo Doctore profecerit Ignatius*. Fortè S. Antonio, S. Hilarij, S. Martino, ideo toties apparuerunt Dæmones, ne dubitaremus, à quibus Magistris sanctissimi illi viri, doctrinam suam hauserint. Eadem species: sed deformior, eidem Ignatio Lutetiæ & Romæ sæpius sese conspiciendam obtulit. *Hic notandum primum*, inquis, *Romæ Diabolum esse deformiorem, quam alibi*. Iocaris tu quidem mimi instar; sed ridentem dicere verum quid vetat? Planè Romæ deformior est Diabolus, quam apud vos: propterea Romæ odio habetur: à vobis tantum non adoratur, certè omni officiorum genere colitur. Quod si vobis Diabolus non videretur tam formosus & venustus, non utique ei corpora cum animabus consecraretis. Ad hæc cum in Genesim & Apocalypsin scholia vtilissima euulgabis; iam ex hoc tuo libro, scholiū mutuari poteris, quod eò transferas his verbis: *Notandum, Diabolum esse deformiorem in Apocalypsi, quam in Genesi. Quia in illa est multiceps Draco: in hac serpens.*

Ait Ribadeneira, Ignatium baculo hanc serpentis speciem à sese abegisse: *Notandum*, inquis, *baculo posse dæmonem abigi*: Planè baculo; & illo quidem, quo verus noster Dauid (cuius vetus ille umbra erat) dæmonem depulit, baculo nimirū crucis; quo baculo, cum primis monebat S. Antonius Monachos; ut dæmonem abigerent.

Nec

Nec dubito Ignatium ad hunc itidem baculum confugisse. Quod autem Ignatius Diabolum specie serpentis ad se arreptantem, baculo, quem manu ferebat, abegit; quid mirum? num si tibi serpens occurreret, manu eum fugares, relicto baculo?

Refert Ribadeneira, Ignatium octo continuos dies in exstasi versatum esse; mente penitus ab omni sensuum officio abstracta. Hic iste, *Si ego affuissem*, inquit, *fuste iligno dolassem latera, & lumbos militis istius: ita credo facile ad se redisset*. Nihil prorsus de hactua humanitate dubito; quin & firmiter mihi persuadeo, te si sanctum Paulum alicubi iacentem, & sensuum officio destitutum reperisses; cum ad *tertium cælum raptus est*, prorsus eodem modo, cum illo acturum fuisse: Arripuisses ilignum vel salignum fustem, & eo vsque latera & caput eius contudisses; donec ex tertio cælo detractum Paulum restituissem Paulo. Nunquam promptius tibi assentior, quam cum talia de te ipse prodis. Nec multum moramur siue tibi hæc Ignatij exstasis videatur credibilis; siue incredibilis. Quid enim credas, qui Caluino credis? Nam quod ais, *Deum modò in Ecclesia nihil extraordinariè agere*; nescio quorsum collimes. An vis nihil agi à Deo in Ecclesia, quod erga te tuique similes non agatur? Falleris, Misene, falleris. Non capiunt pectoris tui angustiarum immensos illos bonitatis diuinæ thesauros. Capiunt alij te aptiores, Deo cogniti. Nouit enim Deus quibus & quando benignitatis suæ fontes recludere

L  
debeat,

2. Cor. 12.

S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.



debeat, licet alioqui diues in omnes, sed tamen in quosdam munificentior, occulto suo consilio & iudicio, quos ceteris mortalibus vel ut virtutis exemplar, vel ut morum, & omnis honestatis magistros proponere cogitat. Reliqua quæ in hoc caput & in verba Ribadeneiræ effutis, mera sunt conuicia ex immani partim in nos, partim in Clericos & Monachos odio effusa, ac proinde responsi non indiga, quandoquidem, ut Celsus Christum, ita hic Ignatium, *ma- uult calumniis, quàm argumentis impetere.*

Orig. li. 2.  
cont. Cels.

### CAPVT X.

*Calumnia Miseni in caput octauum,  
nonum, & deci-  
mum.*

**O**CTAVO capite agit Ribadeneira de libro exercitiorn, quem Ignatius sub ipsa conuersionis suæ primordia conscripsit, qui quantum adiuuenti Christiana Reipublica attulerit, inquit Misenus, *sat is Iesuitis constat, mihi non constat.* vtrumque verum est; & nobis constare, & tibi non constare. Nec nobis duntaxat fructus huius libri constat; sed & aliis quàm plurimis in toto Christiano orbe cognitissimus est, qui vsu harum spiritualium exercitationum ita permoti sunt, & diuini amoris flammis inflammati, ut mûdo vel nuncium penitus remitterent, & abdicata à se omnium rerum mortalium cura in monasteria & variorum religiosorum hominum cœtus sese abde-  
rent:

rent: vel certè vitam prius laxam, & solutam, ad Christianæ legis disciplinam componerent; quod fati ostendit, librum illum non sine diuini Spiritus afflatu ab Ignatio compositum esse, ut signum docti est facere doctum, ita iudicium bonitatis est reddere bonum. Hoc unico argumento refutauit Origenes varias calumnias Celsi in Christum, & in Christi Euangelium. Vtrumque calumniabatur Epicureus ille, ut improbum, flagitiosum, noxium & perniciosum; eo modo, quo tu iam Ignatium, & librum exercitiorn improbum, flagitiosum, noxium, & perniciosum non semel pronuncias: Pauca ex Origene adferam, tu ipse tibi, Misene, tuisque calumniis refellendis accommoda; *Quantum ad hoc attinet;* ait Origenes, *quod ante paucos annos IESVM exortum ait, respondebimus, his ipsis annis, quibus IESV placuit disseminare verbum suum, tantum effecisse, ut in multis huius nostri orbis regionibus mirificè affecerit non paucos Græcos & barbaros, sapientes & insipientes, ita, ut ad mortem vsque decertarint proprietate Christiana, ne illam abnegarent, id quod in nullo vnquam dogmate factum narratur à scriptoribus. Non enim absque fauore numinis fieri potuit. Equidem non ut ad gratiam loquar, sed experientia doctus, ausim affirmare, ne corpora quidem agrotorum, sine ope diuina, restitui sanitati pristina. Quod si quis etiam animas liberaret à vitiorum colluue, libidinibus, iniquitatibus, contemptu numinis, & experimentum  
L 2 huius*

Orig. lib. 7.  
cont. Cels.

huius operis in centum, verbi gratia, hominibus daret, certè nemo hunc verisimiliter diceret, absque diuino auxilio centum illis indidisse rationes tam validas, ad liberandum a tot vitiis. Hæc qui prudenter considerauerit, fatebitur, nihil inter homines in melius instaurari absque Deo. Quanto magis, inquirenti apparebit id insidentibus IESU Domino, multis qui se verbo eius dedunt, pristina vite rationem mutantibus, si animaduertat in quantis impuritatibus, in quantis iniquitatibus & cupiditatibus fuerint singuli priusquam decepti, vt Celsus eiusque similes blaterant, recepissent hanc doctrinam perniciosam, vt istis videtur, vita hominum; tum post eam receptam, quanto æquiores sint redditi, grauiiores, constantiores: aded vt quidam ex ipsis, amore eximia puritatis, & quo castiores ad cultum diuinum accederent, ne concessa quidem & legitima vtantur venere. Hæc qui secum reputauerit, intelliget Iesum ausum maiora humanis viribus, & quod aggressus est effecisse. Hæc Origenes; quæ, quid mirum, conuenire itidem in Ignatium, eiusque doctrinam moribus emendandis præscriptam; cùm eam ab alio non didicerit, quam à spiritu Christi; eiusque euangelio. Vt autem iisdem Origenis verbis, te, Mifene, alloquar: *Quid tam egregium Lutherus fecit, aut Calvinus aut Zuinglius? Quis doctrina eorum, aut exemplo factus est vel vno pilo melior?* Quid, quod ob tam insignem mutationem Origenes contendit; amplectendam fuisse Christi doctrinam, vt hominum Societati longè fructuo-

Orig. li. 3.  
cont. Cels.

fructuosissimam, licet à verò aliena esset. Idem tibi de spiritali institutione exercitiorum Ignatij dictum existima: *Isti accusatores Christianæ Religionis*, inquit Origenes, *non animaduertunt quot è passionibus eximantur, quàm multi è vitiorum colluue, quàm multorum efferati mores mansuescant per occasionem prædicationis, amplectenda erat ad doctrinam communicandam facilitas, non sine gratiis, pro nouo compendiosoque multorum vitiorum remedio; ipsa doctrina probanda, si non vt vera, certè vt humano generi vtilissima.* In eandem sententiam Tertullianus ad omnes Ethnicos: *Falsa nunc sunt, inquit, qua tuemur; & meritò præsumptiones, attamen necessaria: inepta; attamen vtilia: siquidem meliores fieri coguntur, qui iis credunt, metu aeterni supplicij, & spe aeterni refrigerij.* Hæc Tertullianus.

Orig. lib. 3.  
cont. Cels.

Tertul. A-  
polog. cap.  
49.

Ceterùm cùm tu ipse confitearis tibi non constare, quis sit ille liber exercitiorum, & quos fructus ferat; Iesuitis autem id perspectum esse, cur tibi potius nescienti, quàm illis scientibus credis? cur à calumniis non abstines? Cur tanquam perniciosum repudias & subsannas, quod ignoras? Cùm ergo *propterea oderis; quia ignoras quale sit, quod odisti, cur non liceat eiusmodi illud esse, quod non debeas odisse?* Sed mauius nescire, quia iam odisti; aded quod nescis, præiudicas id esse, quod si scias, odisse non poteras. Sed ais, non omnes effici meliores à Iesuitis per spirituales istas exercitationes. Nec doctrina quidem Euangelij omnes meliores fiunt; non vitio Euangelicæ doctrinæ, sed

Tertul. A-  
polog. c. 1.

Luc. 8.

suo: Quia vel aures, & animos salutaribus institutis claudunt: vel ad aures quidem admittunt; non autem ad animos: vel si & ad animos, habiles non sunt fouendis & conseruandis cœlestis culturæ feminibus, vel quia faxis rigent, vel quia spinis horrent, vel quia *volucres cœli* sparsa semina absumunt. Amicus illeruus, qui Roma reuersus, se tantum scelerum Romæ paucis diebus vidisse narravit; quantum vix multis annis patratum sit in Sodomis; valde sese apud me suspectum reddit, tum de veritate, tum de vita & moribus, ne dicam, quod iure optimo possem, largiter esse mentitum. Mirum dictu, Hæreticos cum Romam veniunt; præter lupanaria & prostibula nihil penitus cernere: Quia fortassis ad hæc diuertunt, hæc sapius, quàm templa obeunt; ad hæc oculos apertos; ad alia omnia clausos afferunt. Hæc opera tenebrarum filij, diligenter inquirunt, vespertilionum more, quibus odio opera diei & lucis: amoris & voluptati, opera noctis; quid quod vt noctuæ, statim cæcutiunt ad quæuis virtutum exercitia, quæ Romæ propemodum infinita, & si vel casu in ea incurrunt, oculos quàm primum auertunt, & ad fornices conuertunt. Sed de Roma suo loco pluribus,

Porro quæ Ribadeneira differit de vitæ electione magna cum cura & deliberatione facienda, ea tu ex *Xenophontis prodico*, vel ex *decimo Politicorum libro Platonis desumpta tradis*, imitatus & hic tuum Celsum, dicitare solitum, ea quæ ad mores pertinent Christianis, cum ceteris

teris philosophis communia esse, nec magni quidquam, aut noui nostræ disciplina inesse: cui Origenes; ideo diuinitus euenisse, vt Ethnici quædam naturæ instinctu similia Christianis, & veri Dei cultoribus agerent; vt omnibus constaret, recta, & laudabilia esse; quæ Christiani agerent, omnibusque contrariis sententibus, hoc est, tibi & tui similibus, occasio excusationis præriperetur. *Introducentes iustum Dei iudicium*, inquit Origenes, *exploderentur vna cum ipsis peccatorum penis, nisi communis omnium sensus presumptionem de morali disciplina haberet insitam. Quapropter non est mirandum eundem Deum, eorum, quæ per Prophetas & Salvatore docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, vt in diuino iudicio, omnis homo sit inexcusabilis, habens mentem legis scriptam in corde suo, id quod subobscure subindicat sermo fabulosus; vt Greci putant, dum inducit Deum tradentem Moysi præcepta scripta proprio digito, eaque mox contracta per malitiam eorum, qui vitulum confluxerant; ac si diceret peccatorum superfusione ea esse abolita. Iterum verò scripta Deum dedisse in excisis per Moysen lapideis tabulis, nimirum Prophetico sermone preparante animam, post primum peccatum ad secundas Dei literas.* Hæc Origenes. Ex cuius verbis; quod te iam sæpius docui; & sapius adhuc docebo, intelligis, si quid intelligis, nullius momenti esse hoc tuum argumentum. *Ethnici Philosophi verbo &*

Orig. lib. 1.  
cont. Cels.

*exemplo docuerunt cautè, meditaturè & circumspèctè de statu vitæ deliberandum, certumq; viuendi institutum non temere & præcipiti consilio, sed prudenter & consideratè amplectendum esse: Malè igitur & supersticiosè Christiani & Iesuitæ agunt, qui verbo & exemplo suadent & docent nihil per incogitâtiam inchoandum; cuius te serò nequidquam pœniteat: sed rationibus in vtramq; partem discussis consultò quarendum; Quod vitæ sc̄labor iter: Si sciperes, Misene, contrarium inde concluderes; Vt quædam poma, aut pira discimus grati saporis esse: quia ab auib; præceteris appetuntur, & arroantur, quas natura recto tramite, ad id quod bonum est, ducit & rapit: ita rectè intelligimus, quædam esse bona & laudanda, quæ Ethnici factitarunt, eo quod illa ex lege illa naturæ in omnium animis insculpta fecerint.*

Capite nono recensetur grauis morbus, in quem Ignatius incidit. *In hoc capite, inquit Misenus, nihil obseruatione dignum animaduertere potui, nisi hoc, Ignatium multis sceleribus sese obstrinxisse. Valde te libenter commemoratione scelerum Ignatij oblectas. Iam dixi aliquoties, vitia præterita vitæ, non posse meritò alicui, post feriam pœnitentiam, vitamq; rectius sanctiusq; institutam, vitio dari; alioqui sanctissimos itidem homines calumniaris oportet, vt sceleratos, multisq; flagitiis contaminatos. Eratis aliquando tenebræ, inquit Apostolus; nunc autem lux in Domino. Fortè cum primam S. Pauli ad Timotheum epistolam legis, in ea quo-*

Ephes. 5.  
1. Tim. 1.

quoque nihil obseruatione dignum reperis, nisi hoc, Paulum multis sceleribus sese obstrinxisse; quippe, qui *primum peccatorem* sese nominet, & quasi primas inter sceleratos sibi vendicet; & vt hic amplecteris; quod Iesuitæ fatentur, suum patrem multorum scelerum, sua ipsius confessione fuisse reum: ita & in Paulina illa epistola libentissimè amplecteris; quod sanctus Paulus non modo inter primos peccatores nomen suum profiteretur, sed *primum peccatorem* simpliciter sese nuncupat absque pari. Nescis, Misene, nescis; aliter viros sanctos, aliter Calvinistas peccata putare. Quæ vix peccata sunt, ipsi scelera credunt, veri virtutis custodes, rigiditq; satellites, & si quæ olim in adolescentia, nondum meliorem vitæ rationem ingressi, admiserunt, ea perpetuis lachrymis expiare conantur, minimè sibi blandiri, minimè errata sua extenuare consueti. Hieronymus de S. Paula. *Ita leuia peccata plangebatur, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.* At quod miraris, quomodo Ignatius in Hispania *hiemalem cœli asperitatem* sentire potuerit, cum cœlum in Hispania *sit mitius*: Posses, opinor, eadem ratione mirari, quomodo Petrus Apostolus, ea nocte, qua Christus captus est, frigore adeo sit affectus, vt sui calefaciendi gratia, ad ignem accesserit, cum in Iudæa cœlum sit mitius. Deinde si quos videris aliquando Germanos in Hispania brumæ tempore versatos, sciscitari ex illis licebit an non ab Hispanico frigore, ita quis accipi queat, vt fornaces Germanicas desideret; aut si hos consulere piget: ne pigeat

S. Hier. in  
Epitaph.  
S. Paulæ.

Ioan. 18.

Strab. li. 3. faltem consultum adire Strabonem: qui tibi admirationem tuam facile eximet.

Decimum caput continet navigationē Ignatij Hierosolymam. Hic tu, in decimo capite, inquis, redit ad mendacia. Arbitror erratum irrepsisse typographicum, scribendumque; in decimo capite redeo ad mendacia, si tamen redire dicendus es, qui à mendaciis nunquam abiisti. Primum, inquis, exponitur consilium eius de navigatione Hierosolymitana, ad quam se accinxit, Deo fretus, aspernatus omnia media humana. Recitas nobis tua commenta, non Ribadeneiræ scripta: non dixit, non scripsit Ribadeneira, Ignatium aspernatum esse omnia media humana; Qui enim potuit? Sed quædam vitæ seu solatia seu adiumenta. Ait Ribadeneira: Isabellam Rosellam, præstanti virtute matronam, Barcinone, in publica concione, vidisse caput Ignatij, tum adhuc sibi ignoti, circumquaque fulgere & clarissimos radios emittere: Hic iste: simile quid apud Liuium, inquit, puero dormienti, cui Servio Tullo nomen, accidit, & Ascanio apud Virgilium. Hic quoque in memoriam mihi reuocas Celsum; qui cum miracula Christi aliter inficiari & refutare nequiret, calumniatus est similia à Magis & præstigiatoribus patrari posse; ac proinde nihil præter ceteros eximium præstitisse Christum: Age credamus, inquit Celsus, hac à te gesta; confestimque commune hoc ei facit cum præstigiatoribus, non mi-

Liuius lib. 1. Decad. 1. Virg. 1. Æneid.

Orig. li. 1. cōtra Celsum.

nora miracula pollicentibus; ait Origenes, cumque Ægyptiacis circulatoribus, paucis obolis mirificas illas

illas artes venditantibus, & ex hominibus demonia profligantibus, morbos exsufflantibus, animas Heroum euocantibus, cœnarumque sumptuosarum & eduliorum opiparorum inanem speciem exhibentibus, animaliumque spectra, que moueri videntur cum non moueantur reuera; interrogat ergo, an quia hac illi faciunt, credendum est nobis illos esse Dei filios; an potius dicendum artes has esse hominum nequam & infelicitium? Hæc Origenes de Celfo, quem tu nobis ad viuum repræsentas nouus Caluini de grege Celsus. Sed nosse debes, non eneruari miraculorum fidem, eò quod similia vel à Magis, operâ Dæmonum, videantur esse aliquando facta, vel ab Ethnicis conficta. Vera sint, quæ narrat Liuius historicus; vera sint, quæ canit Virgilius poëta, an propterea falsa erunt, quæ de Ignatio traduntur; falsa sint, quæ illi narrat, an propterea falsum erit, quod Ribadeneira scribit? Excitatus sit ignis ille circa tempora pueri dormientis & Ascanij, operâ Dæmonis, aut fuerit Magi alicuius ludibrium, an propterea splendor, qui circa caput Ignatij emicuit, commentitius erit, & inanis oculorum delusio? præsertim cum non dubiis Auctoribus compertum sit, talia sæpius sanctis euenisse. Vnico Sulpitij testimonio contentus ero, qui de S. Martino. Quodam die cum in altarium, sicut est solemne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus enicare; ita vs in sublime contendens, longius collum, crinèmq; flamma produceret. Si quis Ethnicus descensionem illam Spiritus sancti; in specie ignis, sessionemque supra singulorum capita; similia aliqua descen-

Sulpit. Di. al. 3.

Act. 2.

scendentis ignis historia eludere & eleuare velit, quibus, quæso, armis te defendes? quomodo aduersarij tela depelles? Scis quid Celsus de columba super Christum delapsa fenserit & scripserit? Pudeat te, non dicam tuæ impudentiæ; sed impietatis, cum expeditissimam viam monstres, omnia miracula, quantumuis diuinis testata monumentis explodendi & exhibilandi. *Sed cur, inquis, à sola Isabella, flamma illa visa in publica concione? Quæram & ego, cur flamma illa supra caput S. Martini à perpaucis inspecta in frequenti populi confessu? Ita enim Sulpitius: Hoc (miraculum) licet celeberrimo factum die, in magna populi multitudine viderimus, vna tantum de Virginibus, & vnus de Presbyteris, tres tantum viderunt de Monachis. Ceteri, cur non viderint; non potest nostri esse iudicij. Hæc Sulpitius. Quod si non desinas percontari, cur sola Isabella; percontare etiam, cur Christum solus Saulus viderit, cum prostratus in terram vocem illam audiit: Saule, Saule quid me persequeris? Nam viri illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Percontare, cur, vt grauissimi quidam auctores volunt; solus Ioannes Baptista columbam descendentem super Christum conspexerit.*

Act. 9.

Post hæc ridet Ignatium, quod noluerit ad navigationem commeatum in nauim inferre, nisi iussus à confessario; ne Deo diffidere videretur, factumque puerile vocat. Ridet in super; quod

quod Ignatius paucos obolos, quos offitiam emendicarat, in publico, iuxta nauium stationem, reliquerit. Rides procul dubio etiam, & quidem suauiter; cum legis illud Domini ad Apostolos: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris; non peram in via.* Nam Caluiniistica religio tum Deo fidit, cum non modo peram; sed & integram cellam penariam secum gerit, vt pote cui, vt Tertullianus ait; *Agape seu dilectio in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.* At quid, quæso, caussa, cur tam ægrè feras paucos obolos ab Ignatio in littore relictos? Quos clamores sustulisses, si in mare obolos illos abiecisset, sine spe inueniendi. Laudatur tam à profanis, quam à sacris scriptoribus Crates Thebanus, qui proiecto in mare non paruo auri pondere, abite, dixit, *peffum, mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Nescio quæ tua fit de hoc Cratetis facta sententia; si probas, cur improbas quod Ignatius fecit, non amore terrenæ Philosophiæ, sed cœlestis? Si improbas, cerebrum sanius tibi possumus optare, non dare.

Ait Ribadeneira, Ignatium multa passum, cum Roma Venetias proficisceretur: *Quid calumniator? Credo, inquit, innumerabilibus aliis idem vsu venisse in Italia peregrinantibus, præsertim pestilentia grassante.* Totus in hoc elaboras, ne quid vel Ignatius egisse vel tulisse, vel ne saltem solus quid egisse vel tulisse videatur, quod ei non fit cum ceteris commune; more Celsi, qui & ipse, quando aliter non poterat, gloriam Christi

Matth. 10.

Tertull. li. de ieiuniis.

Hier. li. 2. contra Iovinian.

Christi se depressurum putabat, si miracula, vel præclare facta, ab aliis itidem patrata diceret. Quocirca cum de flagellatione & cruce Christi aliquid ex Euangelio audis vel legis; hoc tuum scholium magno tibi vsui erit. Cur enim ad oram Euangelij non annotes? *Credo innumerabilibus aliis idem vsuuenisse*: quod certè verissimum erit scholium: Innumerabiles enim flagellati & crucifixi sunt ante Saluatorem nostrum.

In itinere quod Ignatius Roma Venetias habuit; ait Ribadeneira, Ignatio Christum Dominum apparuisse: Hic Misenus noster ex Latino criminatore, repente Græcus Sycophanta factus, *φῶν τῆς ἀναιδείας*, inquit, *Ἰαὴ ἰμπυδενσίαν*. Hæc vnica videlicet calumnia, putat sese totam illam apparitionem euertisse. Sed quid vlla in re certum & exploratum erit, si hæc refutandi ratio, vt legitima, approbetur? Apponat quis ex infidelium numero hanc Miseni exclamationem ad illa loca, in quibus Dominus post resurrectionem discipulis apparuisse legitur. Apponat ad illa, quæ Christum à S. Paulo conspectum testificantur, vociferetur cum Miseno tubicine, *φῶν τῆς ἀναιδείας*, an propterea fidem scriptoribus illis derogauerit? An hac exclamatione tanquam securi quadam veritatis radices exciderit? Ais; *addere debuit Auctor, vigilantine, an per quietem se CHRISTVS ei obtulerit, in terræne, an in cælo eundem conspexerit*. Hæc adiuncta, si adiunxisset Auctor, num fidem adhibuisses nar-

ranti?

ranti? An non in promptu fuisset calumnia seu vigilantini, seu dormienti hunc visionem oblatam scripisset? Si dormienti, somnium dixisset; si vigilantini, phrenesin aut melancholiam. Ita in vtrumque semper paratus es, siue Christus dicat, censum esse dandum Cæsari, siue non; siue iubeat mulierem in adulterio deprehensam absolui, siue condemnari, pedicas vestras non effugit, nisi artem arte eludat; & tertium quiddam vobis inexpectatum respondeat. Quod autem tam sollicitè quæris, num intra an extra cælum CHRISTVS Ignatio sit visus; respondebo si tu prius responderis, num Christus cum Paulo nocte quadam astitit, eidem visus sit in cælo, an extra cælum: Si dicas extra cælum, cur non & Ignatio? Si dicas intra, cur non & Ignatio? siue visio oculis, siue mente & intellectu sit perfecta, non enim aliam mens Paulo, quam humana, nec alij oculi, quam humani fuerunt, qui si ad supremum vsque cælum euehi potuerant, cur non & oculi & mens Ignatij? Et si Christus ad Paulum descendere, vel, vt rectius loquar, si manens in cælo Paulo potuit esse præsens in terris, atque adeò simul & eodem tempore duobus in locis versari; cur non & Ignatio adesse, simulque in cælis ad dextram sui patris confidere potuisset?

Miraculum illud de Senatore Veneto, qui cælesti voce monitus Ignatium in plateis pernoctantem perquisiuit; reperiuntq; domum suam perduxit, liberaliterq; habuit: his verbis refutat Misenus: *q̄b̄, si nostri homines tale aliqd de Luthero.*

Act. 23.

Act. 9. 23.

vel

vel de Zuinglio confingerent; fannis exciperentur & Iesuita. Nullis profecto, Misene; nullis omnino; quin potius admiraremur curam & prouidentiam diuinam erga Lutherum & Zuinglithon & Tigurini Ministri, id non siluissent; sed nullum fuit periculum, ne quid huiusmodi illis eueniret; diligenter cauerunt sibi ne pernoctarent in plateis, amore certè Christi: quid fecerint amore alicuius Cynthiæ aut Delix tibi dispiciendum committo.

Porro cum Misenus in tota nauigatione Venetiis, vsque ad portum Ioppensem vix inuenisset in Ignatio, quod carperet, inuenit tamen quiddam, suo iudicio ad calumniam valde idoneum: Ait Ribadeneira, nautas statuisse Ignatium exponere in insula quadam deserta, quod liberius vitia quædam turbæ nauticæ reprehenderet. Hic iste quærit, vbinam sit ista insula deserta, in quo pelago? In eo quod est inter Venetias & Ioppen. In hoc mari insulas desertas esse, docebunt te cum alij, tum Petrus Bellonius in suis obseruationibus, sed tu, nisi quod nescis, carperes, Misenus, vel si mauiis, Suffenus non esses.



## CAPVT XI.

*Diluntur mendacia Miseni in caput vndecimum & reliqua.*

Vndecimo capite exponit Ribadeneira, quid Ignatius Hierosolymis egerit. Inter cetera ait, eum diligenter in commentariolo quodam annotasse, quo die Venetiis soluerit; Quando Ioppen peruenerit, & quando sanctam Ciuitatem sit ingressus; vt vel ex hac tam diligenti, inquit, obseruatione & curiosa annotatione temporis facile conici possit, quanta Ignatij iam tum esset in Deum pietas, quanta in consiliis factisque omnibus meditatio. Hic iste; *Quo quid possit esse ineptius?* Hæc ipsa tua nota longè profectò est ineptior, quàm accurata illa temporis annotatio ab Ignatio instituta. *Hanc diligentiam, inquis, etiam ab Ethnicis vsurpatam videmus.* Non semel iam te monui, nullius ponderis esse argumentum hoc: *Ethnici hoc vel illud fecerunt; Ergo Christianus illud agendo nullam meretur laudem, sed potius vituperationem.* Quis paulo studiosior, & in rebus suis accuratior, Hierosolymam proficiscens, non notat singulos quosque dies, quid memoratu dignum viderit, quid tolerarit, quò deuenit? Inspice peregrinantium ὁδοποιεῖν seu itineraria & diaria & calumniari desine. Cur autem hoc loco rantopere tibi displicet temporum & dierum certa designatio; cum alibi eam seuerissimè ab Auctore nostro exigas, non contentus, si dicat: *quadam die, vel aliquando hoc accidit; diem*



nominari postulas, ni id faceres, non raro ob-  
mutesceres, destitutus criminandi & mentien-  
di materia. *Quod dicit, inquis, loca sacra ex im-  
pressis Christi vestigiis miram redolere pietatem, id  
caute legendum; præsertim à Calvinistis; ne for-  
te conuertantur & Hierosolymitanam peregrina-  
tionem suscipere cogitent. Si enim, inquis,  
simpliciter intelligas, proculdubio in sensum incidēs  
superstitiosum, tuo videlicet iudicio, & Calui-  
nistarum; non iudicio veterum & recentiorum  
rectè sentientium; quorum innumeri, omnibus  
ætatibus, ad sacra illa Christi admirandis ope-  
ribus nobilitata loca abierunt per mille maris,  
terrarumquæ discrimina; Longum est nunc ab  
absensu Domini, vsque ad præsentem diem per singulas  
ætates currere, inquit S. Hieronymus, qui Epi-  
scoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in do-  
ctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam,  
putantes se minus religionis, minus habere scientiæ,  
nec summam, vt dicitur manum accepisse virtutum,  
nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus pri-  
mum Euangelium de patibulo coruscauerat. Et pau-  
lo post. Quicumque in Gallia fuerit primus huc pro-  
perat. Diuisus ab orbe nostro Britannus, si in religio-  
ne processerit, occiduo sole dimisso, quarit locum fa-  
ma sibi tantum & scripturarum relatione cognitum.  
Quid referamus Armenios, quid Persas, quid Indias,  
quid Ethiopum populos, ipsamquæ iuxta Egyptum  
fertilem Monachorum; Pontum & Cappadociam,  
Syriam, Cælen, & Mesopotamiam, cunctaque Orientis*

exami-

*examina; quæ iuxta Saluatoris eloquium, dicentis;  
Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & a-  
quila, concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis  
virtutum specimen ostendunt. Hæc S. Hieronymus.  
Si ergo loca illa, quibus, vt idem S. Hierony-  
mus ait: totum mysterium nostrum vernaculum est;  
nihil pietatis redolent, quis eo tot hominum  
myriadas omnibus seculis traxit? Locus, inquis,  
nihil à Christo pietatis percepit: Hoc ipso loca illa  
perceperunt à Christo pietatem, quod accepe-  
runt vim excitandi in fidelium animis pieta-  
tem. Habere loca illa hanc vim norunt hodie  
omnes illi, qui ea religiose inuiserunt & obie-  
runt. Nouimus & testimonio veterum. Audi  
quid S. Hieronymus de S. Paula memoriæ pro-  
diderit, cum sacrosancta illa loca obiret, quan-  
tisquæ pietatis facibus ex aspectu & tactu reli-  
giosissimorum illorum locorum fuerit inflam-  
mata; Cum peruenisset Hierosolymam, inquit san-  
ctus Hieronymus; prostrataquæ ante crucem quasi  
præsentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa  
sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem  
ab ostio monumenti amouerat Angelus; Et ipsum  
corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi siti-  
ens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi  
lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris ef-  
fuderit, testis est cuncta Hierosolyma: testis est ipse  
Dominus, quem rogabat. Inde ingrediens ascendit  
Sion, qua in arcem, vel speculam vertitur. Osten-  
debat illi columna, Ecclesia porticum sustinens,*

S. Hier. E-  
pistolaph. S.  
Paulæ.

M 2

infecta

S. Hieron.  
Epistol. ad  
Marcellâ.

infecta cruori Domini, ad quam vinculus dicitur & flagellatus. Atque inde Bethleem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus praesepe domini sui; me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in praesepe Dominum, magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, vt viderent verbum, quod factum erat, & iam tunc Euangelista Ioannis principium dedicarent: In principio erat verbum, & verbum caro factum est; paruulos interfectos; Herodem saeuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Egyptum. *Μιχτὺς* gaudio lachrymis loquebatur. Salue Bethleem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de caelo descendit. Salue Ephrata, regio vberissima, atque *εὐερωπέε*, cuius fertilitas Deus est. De te quondam Michæas uaticinatus est: Et tu Bethleem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit princeps in Israël: & egressus eius ab initio à diebus aternitatis. Et ego misera atque peccatrix, digna sum iudicata deosculari praesepe, in quo Dominus paruulus vagiit? Orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hac requies mea, quia Domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam. Parauit lucernam Christo meo. Anima mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi. Quod Paulæ viduæ, idem

Ignat-

Ignatio, & plurimis aliis, loca illa insistentibus contigit. Iam ergo cogita, Misene, num aliquid pietatis & sanctitatis loca illa à Christo acceperint. Si creaturæ per Dei verbum et orationē 1.Tim.4. sanctificantur; vt Apostolus Auctor est; cur non fuisset sanctificata terra illa trita & calcata ab æterno illo verbo, quod in principio erat; & quod tandem caro factum est, & in nobis habitauit? Obiicis: Ita etiam Pilati pratorium & Caipha Palatium habuisset aliquid sanctitatis: in quibus tamen summa administrata est iniustitia. Omnino quidquid Christus in illis ædibus attigit, quod voluntate sua sceleratum non esset; id sanctitatis particeps effectum est, quippe natura sua innocuum, nulla libera peruerfitate impeditum, quo minus contactu Seruatoris redderetur sanctum. Nec obstat improborum hominum iniustitia, nam & in cruce summa iniustitia administrata est, si spectes Iudæos & Pilatum, qui Christum infontem in crucem egerunt, & tamen crucem tactu & sanguine Christi sanctificatam, & ex numero rerum profanarum exemptam esse, nemo negat, nisi inimicus crucis, cuius finis interi-  
tus & gloria in confusione.

Ceterum Ignatius, perlustratis terræ sanctæ locis; quamuis vehementer optaret in palæstina morari, iussus est redire in Italiam à ministro Prouinciali Ordinis sancti Francisci. Causa huius dimissionis, inquit Misenus, reticentur. Præstitisset te hoc loco reticere, quàm

loqui : non enim excidisset tibi mendacium. Quid? reticenturæ causæ? An non disertis verbis affirmat Ribadeneira, id à patre illo, Ordinis D. Francisci Prouinciali, imperatum Ignatio, ne pio quidem, sed præcipiti consilio deceptus, in ea mortis vel seruitutis pericula incideret, in quæ permulti alij, simili pietatis specie adducti, incurrissent? Vbi erant oculi tui; quando hæc de reditu Ignatij legebas? Forte peregrinabantur in Hispania; vel odio Hispanorum ad hanc causam caligabant, vel cæcutiebant. Id vt suspicer, faciunt causæ duæ de hoc reditu, quas ex tua pharetra depromis. *Proculdubio Turcarum Imperator, inquis, nidulari in istis locis Hispanos vetuit edicto.* Qua fronte asseris sine vlla dubitatione factum esse, quod num factum sit, non nisi mentiendo indubitanter asseuerare potes? Vidistine illud edictum contra Hispanos à Turcarum Tyranno propositum? Legistine alicubi? Constantinopoli, opinor, ad Valuas Sophiæ. Habésne auctorem (præter tuum cerebrum; cuius non magna apud me auctoritas) qui huius decreti meminertit? Addis & alteram causam his verbis: *vel metuit sibi Prouincialis Minister ab Hispano homine, cum sciret Pontifices semper Hispanorum Regi esse addictissimos, atque ita facile fieri posse, vt Hispanus sibi præferatur.* Si prima causa extra omnem dubitationem vera est, vt tu affirmas, secundæ huic nihil loci relinquatur, aut si cum prima consistit; non dicere debebas sub disiunctione, *vel metuit*

*sibi;*

*sibi;* sed cum coniunctione; Et *metuit sibi;* nam vbi plures causas disiunctim reddimus; nullam nobis penitus exploratam esse indicamus. Sed quàm vana prior ratio, tam vana & posterior. Scilicet, Minister prouincialis metuere sibi poterat ab homine, eo tempore adhuc Laico, ne elementis quidem latinæ disciplinæ tincto, extra professionem S. Francisci viuente, & porro etiam extra illam viuere cogitante. Crede mihi, Misene, citius & facilius apud vos fit minister Hæreticus, quam in Ordine Minorum Minister Prouincialis. De vobis enim iam dudum hæc, non Montani prophético spiritu, sed spiritu Dei impulsus prædixit Tertullianus: *Ordinationes Hæreticorum temeraria, leues, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros.* Reliqua quæ de tuis subiungit, tu ipse videto.

Tertull. de  
præscript.

Cum Ignatius à monte Oliueti, quo nimio eius reuifendi æstu abreptus, inscius omnibus, sine comite & viæ Duce ierat, à quodam ad eum perquirendum missò, ad ceteros peregrinos, inter iam iam ingressuros, reduceretur non sine acri castigatione, verborumque iniuriis; ait Ribadeneira, Ignatium in toto illo itinere mirificis consolationibus fuisse recreatum; semperque CHRISTVM supra se astantem atque incedentem, & in Cœnobium vsque sibi veluti præeuntem, aspexisse. Hanc visionem solitis argumentis refellit Misenus. Primum vocat *mendacem fabellam.* Si causam huius

rei quæramus, silet nimirum, volens nos vnica sua affirmatione contentos dimittere, quasi vox Miseni, *lex esset*, cuius rationem negant inquirendam. Deinde iubet; *vt Iesuitæ sese huiusmodi narrationibus intra sua cœnobîa oblectent. Foris enim prolatas, mouere risum hilarioribus, videlicet Caluinistis; præsertim si eas, vt Misenus fecit, ipsis hilaribus legant. Tertio mandat, vt similia narrentur Italis & Hispanis ad superstitionem fictis. Germanorum enim ingenia esse pinguiora, quàm vt hæc mysteria capiant.* In his tribus responsis tota quàm Misenus affert, refutatio consistit: Quis igitur amplius dubitet, quin falsum sit, quod Ribadeneira scribit, cum tam perspicuis rationibus à Miseno falsitatis coarguatur; quas si Celsus aliquis aut Iulianus aut Porphyrius ad igneam illam columnam; quæ Hebræos antecedebat; deiiciendam admoueat; num propterea prosterneret? Dices fortassis, columnam illam niti auctoritate diuinâ nō humanâ: Apud nos certè, nescio num & apud te. Sed quid tum? An tu omnem fidem humanam è medio tolles, falsumq; eo solum nomine id quod literis consignatum est, arbitraberis, quod ab homine sit scriptum? Atqui si ita insanias: vide quàm sine mora debitas stultitiæ tuæ poenas luas. Primum enim tibi ante omnes ipse fidem adimes; hocquæ ipsum; vt credatur falsum esse, quidquid ab homine proditum est; non credetur; quia à te asseritur, qui, nisi fallor, homo es. Ad hæc minus ægrè feremus, has Ignatio diuinitus oblatas visiones à te reiici;

cunt

cum pari impietate, vt fabulas repudiare cogaris, alias quoque visiones à grauissimis auctoribus litterarum monumentis ad posteritatem transmissas. Apparuit Christus sancto Antonio, teste S. Athanasio. Apparuit beato Martino, teste Sulpitio. Apparuit ipsi Petro Roma discedere cogitanti, teste S. Ambrosio. S. Tharillæ, teste S. Gregorio, & ipsi S. Gregorio; teste Ioanne Diacono, & aliis quàm plurimis. Maximè autem memorabilis est illa Christi apparitio, quæ Valgio catechumeno obtigit, cum facta naufragio, omni humana ope destitutus, in vasto pelago oberraret cum naue naufraga; quem Christus cum Angelis miseratus inuisit; & quasi nauarchi munere functus, nauim exarmatam ad optatum portum direxit, de qua S. Paulinus his verbis: *Sape vidit armatos, videlicet de exercitu cœli, milites excubare nauigio, & cuncta nautici muneris administrare. Nec sanè nauem illam nisi Angeli nautæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipse enim Dominus nunc suo vultu coruscus, vt in Apocalypsi describitur, & coma fulgidus: nunc Confessoris & amici sui, Domini mei, communis patroni venerabilis, in puppi sedebat, sicut nautico vsu dicitur ad timones, vel potius pro timonibus, quos, cum anchoris pariter et nautis in illo naufrago littore amiserat: infelix feliciter, vt pro amissis omnibus viris & armis suis, aut Domini Martyrem, aut Dominum Martyris obtineret.* Hæc & id genus alia multa B. Paulinus: ille ab Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio Magno laudatus: ille, inquam, Augustini præconio ex opulentissimo diuite volun-

Athanas.  
in vita S.  
Antonij.  
Sulpit. in  
vita sancti  
Martin.  
Ambros.  
orat. cont.  
Auxent.  
Greg. li. 4.  
Dial. ca. 6.  
Diac. li. 2.  
vit. S. Gre-  
gor. c. 22.  
S. Paulin.  
epist. 34.

M 5

sate

S. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 10. *tate pauperrimus & copiosissime sanctus. Quid tibi videtur Misene, de his apparitionibus? Si veras credis, cur non & illam Ignatio oblatam, quæ nec maior est, nec mirabilior prædictis? Sin falsas arbitraris, facile feremus, vt cum tantis viris Ignatium & Ribadeneiram reiiciant Caluini- stæ, quibus quantum vitij est placuisse, tantum laudis est displicuisse. At quid dicitis ô nescij (lubet enim vos alloqui verbis Arnobij) etiam fletu & miseratione dignissimi. Ita non extimescitis, ne fortè hæc vera sint, quæ sunt respectui vobis, & præbent materiam risus? nec saltem vobiscum subobscuris cogitationibus voluitis, ne quod hoc die credere obstinata renuitis peruersitate, redarguat serum tempus, & irreuocabili penitentia castiget.*

Caput duodecimum est de reditu Ignatij in Hispaniã. Reperit Ignatius in Cypro tres naues; quarum vna vehebantur Turcæ; altera Venetis; in quam, cum Nauarchus Ignatium recipere nollet; coactus est conscendere tertiam, non satis aduersus maris procellas instructam. Nauis Turcarum vnâ cum vectoribus periit (auctore ita volente) inquit Misenus, imo te ita mentiente: non enim periit, quia Auctor voluit; sed auctor periisse scripsit, quia fluctibus hausta interiit. Historici munus est non scribere, quæ velit, sed quæ accidisse norit. Veneta scopulo illisa, saluis hominibus, naufragium fecit. Ignatij nauis euasit, ægrè tamen. Huic narrationi, inquis, quantum fidei habendum sit ex superioribus colligi potest mendaciis. Huic tuæ seu notæ,

seu

seu censuræ, quantum fidei habendum sit, colligi potest ex superioribus tuis mendaciis & calumniis. Quod enim vel minimum argumentum affers vel afferre potes, quo hæc vanitatis conuincas? *Bellum autem est, inquis, Ignatium Ferraria mendicis dedisse, cum ipse mendicaret. Bellum est apud vos Caluinistas, apud rectè sentientes factum cum primis laude dignum censeatur, priuare te, Dei & proximi amore, iis, quibus ipse egeas. Scis qua mercede S. Martinus pauperi nudo mediam, qua tectus ipsemet erat, chlamydem, largitus, sit. Noctè insecuta, inquit Sulpitius, cū se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum, vestemque quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad Angelorum circumstantium multitudinem audit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit.*

Scribit Ribadeneira, Ignatium, cum in Hispanorum Statio incidisset, & ad ducem adductus esset, nihil omnino responsi dedisse, nisi ad vnicam illam interrogationem, exploratorne es? Hoc Miseno displicet; vt pote Apostolico præcepto contrarium, iubenti exhiberi honorem, cui honor debetur. Gratias tibi debeo, Misene. Exemisti mihi hanc dubitationem seu admirationem; quæ non rarè animū subiit, cur Christus Herodi ne verbulū quidem responderit; licet interrogasset eum multis sermonibus, vt

Sulpit. in  
vita sancti  
Martin.

Luc. 23.

ait Euangelista; curque adeo nihil honoris & reuerentiæ ei habuerit, vt CHRISTVM  
non

P. Reg. 21.

non modò speneret, sed vt fatuum veste alba indurum illudèret: videlicet nondum scripserat Apostolus Paulus illam ad Romanos epistolam, qua iubet, deferri honorè, quibus debetur honor. ac proinde non mirum, si Dominus mandatum Apostoli nò obseruauit. Minus id adhuc mirù de Dauide, qui ad Achis Regem Geth adductus, aded nihil honoris Regi illi detulit, vt ex composito amentiam simularit, & in ostia porte caput impegit, saliuasque in barbam defluentes eiectarit. Minus, inquam, id mirum est; quia nò obigit ei tanta felicitas, quanta Miseno, vt ex epistola sancti Pauli ciuilitatem morum disceret. Pro infano ergo Ignatius à Duce illo Hispano dimissus est. *Si hac commendant Ignatium apud Iesuitas*, inquit Misenus, *non insanos eos, sed furiosos iudico.* Quod de Iesuitis asseris, id iure tuo affirmare poteris de omnibus, qui sacris litteris fidem adhibent. *Hæc si commendant in Dauide; hæc si in Christo, non insanos; sed furiosos eos esse iudico.* Quid enim fecit Ignatius, quod attinet ad hoc, quod iam tractamus: quod non prius fecerit Dauid & Christus Saluator noster? Quid commendant in Ignatio Iesuitæ, quod non omnes fideles commendent in Dauide & Christo?

Refert deinceps Ribadeneira; quomodo à militibus Ignatius malè sit acceptus. quod Ignatio accidit: idem accidit olim S. Martino; cum in militarem insolètiã incidisset, quamuis disparem ob causam. Rem his verbis prodidit Sulpitius: *Consequenti itidem tempore iter cum eo, dum diœceses uisitat, agebamus, nobis nescio qua necessitate*

*cessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per aggerem publicum, plena militibus uiris fiscalis rheda ueniebat; sed ubi Martinum in veste hispida, nigro & pendulo pallio circumtectum, conigua de latere iumenta uiderunt, paululum in partem alteram pauesacta haeserunt. Deinde funibus implicatis protentos illos, quibus, vt saepe uidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque egrè expediuntur, moram fecère properantibus; qua permoti iniuria militantes, precipitatis in terram saltibus se dederunt. Dein Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt: cum quidem ille mutus & incredibili patientia prabens terga cadentibus, maiorem insaniam infelicibus commoueret, magis ex hoc furentes, quod ille quasi non sentiens, uerbera illata contèneret. Porrd Ignatius dum ita cæderetur, & ludibrio haberetur à militibus, mente reuoluebat, qua ratione Christus ab Herode, eiusque exercitu exceptus fuerit. Hic Misenus: *Egregia sanè comparatio Christi & Ignatii; quorum ille pro mundi salute passus est; hic sua stultitia uel superbia meritas poenas dedit.* Non comparatur Ignatius cum Christo; nec uerbera & iniuriæ Ignatio illatæ cum uerberibus & iniuriis illatis Christo; sed exponitur, quid egerit Ignatius, Christi discipulus & imitator, cum uerberibus & contumeliis afficeretur. Magistrum uidelicet, & omnis patientiæ exemplar sibi ob oculos posuit; in id tota mente intentus, vt sese ad perfectissimum illum uiuendi simul & sustinendi typum conformaret. In quo, quid, oro, criminis admisisset, etiam si Ignati-*

Sulpit. Di-  
al. 2.

Ignati-

Ignatius merito suo verbera illa subiisset? Annon & is rectè facit; qui meritas pœnas persolvens, Christi intuitu ad patientiam mentisque æquitatem sese excitat? Satis prodis, quàm vehemens carpendi libido te teneat, cum carpis ea, quæ non sine virtute præstari, non sine scelere reprehendi possunt.

Caput decimùm tertium agit de primordiis studiorum Ignatij; quæ Dæmon importunis quibusdam illustrationibus de rebus diuinis turbare vel remorari conatus est. Hic tu: *Si diuina fuerunt, inquis, non fuerunt à Diabolo, aut si diabolica fuerunt, quo pacto diuina esse potuerunt?* Argutum dilemma, at non ex Ribadeneiræ verbis, sed ex tuis commentis exstructum. Neque enim auctor noster has illustrationes nominauit *diuinas*; quia erant à Diabolo; sed dixit fuisse de rebus diuinis: posse autem Diabolum immittere varias de rebus diuinis cogitationes & illustrationes, eo consilio, vt vel tandem decipiat & seducat, vel à maiori bono præpediat, non ignorant illi qui norunt, qua arte Dæmon sese in Angelum lucis transformare soleat; vt quod aiebat S. Antonius *affinitate virtutum nocens, facilius virus interferat, & innocentes quosque per speciem honestatis elidat*: Ait Ribadeneira, Ignatium suasu quorundam legisse libellum Erasmi de milite Christiano non sine damno spiritus, hoc animaduerso, à lectione illa destitisse: & postea ne quis in Societate auctorem illum legat, vetuisse. Tu huius decreti aliam causam

Athanas.  
in vita S.  
Antonij.

red-

reddis; quasi melius scias, quæ mens Ignatij fuerit; quàm ipsemet Ignatius. Ais: *Iesuitas non potuisse ferre, quod Erasmus liberius Clericos & Monachos exagitet*. Quis verò prudens ferat petulãtẽ illam leuitatem; qua auctor ille sacra iuxta ac profana irridet, vera Luciani soboles? Quis non metuat, ne si huiusmodi auctorem legendo terat, leuitatis & petulantię aliquid sibi affricet, virque illud ex Luciani officina depromptum aspiret, imo & inspiret; vt eos qui in sole ambulant, necesse est, vel innitos, à sole nigrescere; ita qui chartas Roterodami euoluunt, imbuuntur, etiam ignari, nescio quo omnia aspernandi ventoso spiritu: vt proinde Ignatius siue hac siue illa, quam ipsemet experimento suo didicerat, siue vtraque causã adductus, non nisi sapientissimè Erasmi lucubrationes à sua Republica excluderet; præsertim, cum videamus iudicium Ignatij à doctissimis quibusque hominibus indies magis comprobari. Quotus enim quisque est, ex illorum quoque numero, quos mansuetiores Musa tenet; qui Erasmo temporis aliquid impendat, vel suis in monumentis mentionem honorificam faciat, vel etiam eius meminisse dignetur. Non loquor de pædorribis & pædonomis Caluinisticis; sed de illis, qui hoc tempore primas inter litteratos tenuerunt; quorum non paucos Italia, Gallia, Germania, Belgium tulit: vix in eorum monumentis nomen Erasmi compareret, iusta numinis vindicta, decernentis, vt qui omnes spreuisset, ab omnibus itidem sperneretur & desereretur.

Scribit

Scribit Ribadeneira, Ignatium abiecto Erasmo vsum esse de imitatione Christi libello. *Quid libri sit*, inquit Misenus, *nos miseros Germanos latet? Quintum fortasse Euangelium cœlitus delapsum nactus est Ignatius.* Itane Germanos latet libellus de imitatione Christi, Thomæ de Kempis, qui vulgò Gerson dicitur; Latine & Germanicè toties editus, quem nocturna diurna que manu omnes illi Germani versant, quibus Deus & pietas curæ & cordi? Ostendis te valde peregrinum & hospitem esse in variorum auctorum notitia, si auctortam tritus & obuius tibi ignotus est; qui quidem liber non quintum Euangelium explicat; sed saluberrima rectè viuendi præcepta ex quatuor vſitatis, & à Catholica Ecclesia receptis Euāgeliis depromit. Quintum Euangelium vobis relinquimus, nisi fortè Lutherani quintum Euangelium sibi iure suo vendicant; Sextum Caluiniani habent, vtpote qui post quintum illum Euangelistam, eiusque Euangelium sint exorti. Crede mihi, Misene; si te lectioni Thomæ de Kempis dares, si ad aurea illius dicta & monita animum aduerteres, pauſò pòſt Misenus non fores; Metamorphosi non Quidiana, sed Christiana.

In capite decimo quarto, & decimo quinto exponitur, quomodo Ignatius Compluti & Salmanticæ sit in carcerem coniectus. Hic Misenus; *inter legendum vir cordatus risum tenere vix poterit. Quæ de causa vir cordate, hoc est, Caluinianæ? ita enim virum cordatum, non malè, opinor, interpretabimur. Quod periculum*, inquis, immi-

neat

*neat idololatra ab idololatra ac superſtitioso à superſtitioſis? Fateor, Catholico in inquisitionem cōiecto, tantum discriminis non impendet, quantum Caluiniano: nec iniuria: alter enim nocens est, alter innocens. At quod alicui orthodoxo, qui fortè ob suspiciones nouitatis ad illud tribunal rapiatur, & in carcerem compingatur, donèc ab innocentia liber abire sinatur, nihil incommodi subeundum sit; nihilque eueniat, quod patiētiz vberem materiam subministrat, id verò incredibilius est, quàm vt vel ipse credas, vel aliis, vt credant, persuadeas.*

Caput decimum sextum continet iter Ignatij ex Hispania Parisios, susceptum tempore difficillimo; studiorum gratia: In quo cum nihil haberet calumniator, quod conuiciis incesset: *discendi ardorem in pluribus aliis fuisse*, ait, & *hanc laudem Ignatio cum multis esse communem.* Quasi verò Ribadeneira nesciuerit, alios itidem litterarum causa multa tulisse sudasse & alſisse; aut quasi quis laudari nequeat ab eo; quod cum cæteris commune possidet. Laudamus S. Paulum ab insigni vitæ sanctimonia: Annon eadem præditi sunt alij itidem Apostoli? Laudamus S. Stephanum à constantia, qua mortem pro Christi doctrina pertulit. An solus ad extremum vsq; spiritū firmus ac stabilis in fide perſtitit? Laudamus Platonem, quod discendi cupiditate incensus, Ægyptum petiuerit, aliasque peregrinas nationes peragrari, num hanc laudem imminuit, quod in eius communionem multi alij sint admissi? vt traceam eum, qui fa-

N

ctum



etum alicuius candide examinat, semper peculiare & proprium aliquid reperire, quod in aliis licet quæras, nunquam tamen inuenias, siue id ex conditione personæ, siue loci & temporis, siue ex aliis adiunctis existat. Hactenus de tuis, Misene, in primū librum venenis nulli in-


*firmorum facile nocituris, si quis, ut cum Tertulliano dicam, hanc nostram ex fide præbiberit, vel etiam superbiberit portionem.*



FINIS LIBRI PRIMI.



APOLO-



# APOLOGIAE PRO VITA IGNATII LOIOLÆ

LIBER SECVNDVS,

CAPVT PRIMVM.

*Refelluntur calumnie Miseni in quatuor priora capita libri secundi.*

**I**N capite primo huius libri prosequitur Ribadeneira labores & fructum studiorum Ignatij: Inter cetera refert, quomodo sodalis malè fidi dolo fraudatus sit pecunia, quotannis ex Hispania mitti solita. *Res mira*, inquit Misenus, *quasi nulli alij acciderit, ut nummos amitteret.* Nec solus Christus nummos amisit dolo Iudæ, qui *sur erat, & locus* Ioan. 12. *los habens, ea, qua mittebantur, portabat.* Nec solus Paulus *virg'is casus est,* & in carcerem coniectus. Et tamen & hæc & alia, quæ illis, quamuis 2. Cor. 11. non solis, obuenerunt, diligenter litteris madata sunt. Non enim scriptoris est ea duntaxat de aliquo litteris prædere; quæ soli obtigerint; sed ea, quæ obtigerint, siue soli, siue non soli; quam-

uis, si invidia excæcatus non esses, facile vidisses, factum hoc vel inprimis dignum fuisse, quod silentio non præteriretur, cum insignem Ignatio, patientiæ, benignitatis & charitatis in illum hominem malè de se meritam, materiam subministrarit. Quo enim pacto Ignatius factum istud sui contubernalis compensarit, & qua ratione iniuriam illam ultus sit; docuisset te Ribadeneira, si non ad omnia illa; quæ quoquo modo ad laudem Ignatij faciunt, oclusas aures attulisses.

Lib. 5. c. 2.

Nec illud tibi placet; quod si herum, virum doctum, inuenisset Ignatius; cui famulari statuerat, voluerit eum loco Christi habere; condiscipulos autem loco Apostolorum: *Neg, enim, inquis, præceptores quoscuque sanè, etiam eruditissimos, Christi loco habere debemus, multò minus condiscipulos loco Apostolorum.* Quid igitur facies Apostolo, qui mandat seruis, *vt Dominis carnalibus obediant, sicut Domino. Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus, cū timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Si quis, cui operam nostram locamus, Christi & Dei loco habendus est, ex præscripto Apostoli, quanto magis præceptores, hoc velut honore dignandi sunt, præceptores, inquam, qui mores formant, & mentem scientia imbuunt, quibus, vt & parentibus, etiam Ethnicorum testimonio, pares meritis gratiæ nunquam reponi possunt.

Ephes. 6.

Quod

Quod autè in condiscipulis agnoscere Apostolos voluit; quid, quæso, reprehensione dignum continet? Annon satius, huiusmodi piis cogitationibus mentem occupare, quàm rebus vanis & ludicris, quæ non ad virtutem, sed potius ad vitia incitant? Nam quod ais, hæc & similia ad Idololatriam ducere, non satis intelligo, quodnam tu hic idololatriæ periculum intelligas. Illius autem certus mihi esse videor, Ignatium, si te condiscipulum nactus fuisset, non habiturum fuisse te loco *Simonis* Apostoli, quamuis *Simonis* nomine speciosus appareas, sed loco Iudæ Iscariotæ: nullius enim Apostoli personam maiore cum decore geris, quàm huius.

Ait Ribadeneira: Ignatio studiis philosophicis occupato, rursus Dæmonis astu, obortas esse cogitationes de rebus spiritalibus, quibus cursum studiorum feliciter inchoatum versipellis ille hostis remorari tentarit. *Ex quo spiritu, inquis, cogitationes illæ orta sint, quari possit.* Quid opus est quærere, ex quo spiritu sint ortæ; cùm ipse Ribadeneira fateatur, non ab alio ortas, quàm ab illo; qui nunc Ignatium per os & calammum tuum maledictis incessit. *Fuerunt ergo, inquis, cogitationes diabolicæ.* Omnino diabolicæ; quia à diabolo excitatæ; etsi nõ diabolicæ, si materiam spectemus, circa quam versabantur. Erant enim de rebus cœlestibus; ad quas quid mirum, si decipiendi causâ ipse Caco dæmon instiget: Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Porro Dæmonem ad pietatis exercitia partim internis cogitationibus, partim externis suasionibus, excitare posse et solere, testatur S. Antonius

S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.

apud S. Athanasium multorum annorum ysu edoctus. Solent, inquit, *Damones cum modulatione nonnunquã apparatus psallere; Prò nefas, ad bac & impuro ore sacra Scripturarum eloquia meditari: Dormientes quoq; excitant ad orandũ vt totius noctis somnum eripiant; plerofq; etiam, dum se in Monachorum nobilium habitu transferunt, Monachos coercent, & pristina, quorũ conscij sunt, peccata imputant; sed spernenda sunt eorum increpationes, & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoq; fraudulenta suggestio. Huiusmodi enim exhortamenta deprauatoria sunt itineris, quod ducit ad caelum. Idcirco cũ venisset Dominus in terras, & vera de eo Damones predicarent, (verè enim dicebant: Tu es Christus filius Dei viui) vociferantium ora clauderat, ne cum praconio veri, peruerfitatis venena miscerent; & vt nos eius exemplo, etiamsi profutura suaderent, in nullo hu commodaremus assensum. Et paulò pòst: Christus silentium, vt Dominus imperavit: vt nos Diabolo nihil credamus, & vincimus. Si orare compellunt, si ieiunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine iã agamus.*

Scribit Ribadeneira, Ignatium partim ex studiorum laboribus; partim ex volutariis corporis afflictationibus grauè morbũ contraxisse. Hic tu, veteri more, *quasi nulli vnquam studio sacò-rigerit, vt agrotaret vel eadem, vel aliis de causis. Primum, vix credo aliquem studiosum Lutheranium aut Caluinianum in morbum incidisse, ob corporis afflictationes vltro & spontè susceptas: nisi per huiusmodi afflictationes intelligere velimus potationes, quibus sanè nõnulli non*

modicè

modicè & animam & corpus affligunt. Deinde non solus Epaphroditus (quem Apostolus fratrem Philip. 1. & cooperatorem, & commilitonem suum vocat) propter opus Christi, hoc est, propter cõtintios in propaganda fide Christiana labores, *infirmatus est usque ad mortem*: Et tamen Apostolus id literis prodere non intermisit; probè gnarus, non ea tantũ scriptis consignanda, quæ alicui sint propria & singularia; sed & ea, quæ quis cum cæteris communia habet; si sint alioqui memoratu digna.

Creatus est Ignatius Magister Lutetiæ Parisiorũ, subito prius examine, quod *lapideũ* dici solet, vbi Misenus noster opportunã promendæ scurrilitatis occasionem adeptus, ait, examen hoc ita nominari, quod tantũ ad hoc admitterentur homines lapidibus, vel truncis, vel saxis similes; aut qui lapides adorarent. Scõmate hoc, Misene, non feris Ignatium, sed Academiam Parisiensem, parentem ferme omnium in Europa Academicarum, cui lapides & truncos Academicis honorib<sup>9</sup> insignire, adeo insuetum fuit, vt à seueritate in examinãdis candidatis adhiberi solita, examen illud *lapideum* sit vocatum. Quanquã fateor, causam huius appellationis à te adductã, locum habituram, si tu nomine, req; lithus examẽ illud scires. Vt enim rectè *regium examẽ* illud nominaretur, in quo de Regis alicuius doctrinæ periculũ fieret: ita si eruditio tua, (qui græcè λιθῶ-ες, latine, *lapis*, voce nimirum & mète) examine aliquo exploraretur, examẽ illud verè *lithinũ* seu *lapideũ* esset, quia *lithus* seu *lapis* examinaretur.

Ceterum, quod Ignatius experiētia edoctus, quantum cura de victu parando studiis officiat: postea statuit, vt collegia Societatis, vbi literis opera nauatur, prouentus in communi possideant; id ita interpretatur Misenus: *Ignatium suos sic voluisse esse pauperes, vt iucundius viuerent in egestate, & lautius, quàm alij in opulentia.* De iucunditate parum abest, quin tibi vel nolenti verum excidisse consteat. Nam qui verè religiosus est; non magnis opibus iucundius corpus curat, quàm multi, quibus nec tellus, nec pontus satis deliciarum proferre potest; pari modo lautius itidem viuit; quàm multi in opulentia. Lautitiam enim non metitur rebus ipsis, sed animo paucis & modicis contento; cui id etiam nimis lautum est, quod delicatioribus ne satis quidem lautum est, imò ne lauti quidem nomine dignum. Denique si Ignatius nos esse voluit, tanquam *nihil habentes & omnia possidentes*, iuxta Apostoli monitum, quid habes, quod car-  
pas?

2. Cor. 6.

Sub finem huius capituli arguis auctorem inconstantia: Dixerat, Ignatium voluisse nostris, studiorum tempore, meditationes & occupationes iuuandi proximum moderatas esse: *vide, inquis, hic leuitatem & inconstantiam Iesuitæ.* Quà verò inconstantiam? *Quia multis in locis spirituales meditationes ita commendat, vt proram & puppim salutis humanæ in illis collocare videatur: hic illis doctrina progressionem præfert.* Nullam ego hic auctoris inconstantiam, sed incredibilem tuam calumniandi impotētiā video. Quando enim vnquam

vnquam, vel Ignatius dixit, vel Ribadeneira scripsit, nostris totum tempus in meditationibus spiritualibus insumendum esse, neglectis studiis? Nam licet cœlestia contemplari res sit longè fructuosissima & saluberrima, & licet proximorum saluti procurandæ insistere, o-  
pus sit omnium prædicatione dignissimum: Ignatius tamen, postquam litteras tractare cœpit, semper laudabilius duxit; si quis moderatè vtroque vtatur; quò postea, factis in scientia necessariis progressibus, vtrique, & potissimum salutis animorum, vberiore emolumento vacare queat.

In capite secundo refert, præter cetera, Ribadeneira; quomodo Ignatius inuidorum quorundam maleuolentia, Parisiis ad Inquisitorem fidei sit delatus. Quid Misenus? *Vix, inquit, risum hic teneo.* An ne tibi tam ridiculum videtur, vocari ad Inquisitorem fidei redditum rationem criminum, quæ seu verè, seu falsò obiciuntur? Atqui si ipse voceris, risum, opinor, non modo teneres, sed & pallidus ossa tremor quateret; & forsan eomæ starent, & vox interclusa faucibus hæreret. *Auec, inquis, scire, cuius erroris idololatra idololatræ insimularis.* Si tanta te huius rei cognoscendæ cupiditas tenet; proficiscaris Parisios, forsan in archiuis Inquisitorum reperies; quæ Ignatio in specie sint obiecta: Nam auctor noster tantum monet, Inquisitorem generatim à nonnullis monitum, caueret, ne quid peregrinæ doctrinæ ab Ignatio, maximè per exercitiorum libellum inueheretur, quæ causa, cur librum illum inquisitor  
N 5 volue-

voluerit perlegere, quo perlecto, non modo Ignatium absoluit: sed & libri describendi potestatem sibi fieri petiit. *Liber ille, inquis, ut mihi videtur, proculdubio plenus fuit precationum ad D. Virginem, D. Petrum, & alios Sanctos.* Iterum ades, cum tuo *proculdubio*; quo quoties vteris; proculdubio mentiris, ut & hic. Quomodo enim *proculdubio* scire potes, librum, quem nunquam videris, huiusmodi precibus esse refertum? Ego certè nullam vnquam precationem ad D. Petrum, aliòsue sanctos in toto exercitiorum libro reperire potui; imò nec ad D. Virginem, nisi quod in nonnullis meditationibus Ignatius præcipit, ut ad D. Virginem precatio, gratiæ alicuius impetrandæ causa, instituat.

Quod autem Ignatius impauido semper animo ad Inquisitores adiit, semelq; Rhotomago rectè Parisios contendit, relictis omnibus, ut se iudici illi sisteret; id tu putas potius silendum, quàm scribendum fuisse, cum *vel pueris iudicibus nullius sit momenti.* An verò nullius momenti apud te est probatio veritatis & innocentiae, & mens omni sese poscenti satisfacere prompta? Quis nocens vnquam vltro ad iudicem accurrit? Quis non latibula quærit? Quis si prius non fugerit; fugam non meditatùr? Non igitur nullius, sed magni momenti res est; ut posteris constet, qua constantia, Deo & conscientia fretus Ignatius, apud inquisitores fidei sese purgarit; imò tanti res hæc est momenti & ponderis; ut non vanè suspicer, eam tibi profusus esse inimicabilem. Si enim in Italia vel Hispania, vel in

Catho-

Catholicis Gallia locis, ad tribunal illud accerfereris, mox, ut malè conscius, fuga tibi prospiceres, pedibus timor adderet alas. Et me non aberrare à vero, vel pueri Iudices fatebuntur.

Caput tertium exponit, quomodo Ignatius Parisiis à virgarum supplicio fit liberatus, cum Goueanus, Gymnasij Præses, in Ignatium id decreuisset, inductus malè sanis partim suis, partim aliorum consiliis. Hic Misenus: *Caput tertium ridiculum plane est*: Satis apparet, te, ut ipse confiteris, hæc legisse in Bacchanalibus, hoc est, tempore ridiculo cum omnia tanquam nouo Democrito videantur esse ridicula. An tibi res ridicula & poena ludicra videtur, cum quis iam grandior natu in publico Gymnasio virgis cædendus est, in tantæ iuuentutis confesso, in tot seu professorum seu præceptorum præsentia? Certè res tam ridicula est, ut qui paulò magis est ingenuus, malit extrema sequi, quàm tale quidpiam perpeti. Quod si quæ fors in hunc locum te aliquando deuoueret, aliter, nisi fallor, sentire; stylumquæ verteres, & loco risus lachrymas nobis, gemitusquæ dares. Nec verum est, quod ais: hoc periculum interpretari Ribadeneiram quasi *Martyrium.* Vbi in toto hoc capite vlla Martyrij mentio? Non ignorauit Auctor plura ad Martyrium requiri, quam virgas, aut periculum virgarum. Quare quod ais, *stultè egisse auctorem hæc scribendo*, arbitror te multo stultius egisse mentièdo.

Nec placet tibi; quod Goueanus, mutata verificatione, supplicium in honorem conuerterit, seq̄ue ad pedes Ignatij abiecerit, & lacrymis veniam petierit. Quocirca *superstitiosum mancipium* à te honoris causa appellatur. Non dubito, quin illum quoq; Tribunum, qui S. Paulum flagellari iusserat, pro *superstitioso mancipio* habeas; quod ab incepto non modo destiterit, sed etiam sibi timuerit, postquam rescieuit, *quia Paulus ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.* Tu profectò, non obstante innocentia in Ignatio; neque etiam tam hac, quam iure ciuitatis Romanæ in Paulo, tanquam alter Verres, in semel suscepto consilio perrexisses, & tam Ignatium quam Paulum loris egregiè concidisses pro Caluinistica tua mansuetudine & lenitate.

Caput quartum, inquis, agit de *discipulis* Ignatij. Auctor non nominauit *discipulos*, sed *socios*. Primi, inquis, nominantur Petrus Faber & Franciscus Xavier. Fabrum autem in primis sibi obstrinxit, *illumq; docuit, vt quondam Pythagoras suos, quotidie examinare conscientiam suam.* Redis ad versitatum tibi argumentum: Pythagoras suum auditorem docet, vt

*Non prius in dulcem declinet lumina somnum:*

*Omnia quam longi reputauerit acta diei.*

*Quid prætergressus, quid gestum in tempore, quid non?*

*Cur isti factò decus absuit, aut ratio illi?*

*Quid mihi præteritam, cur hac sententia sedit;*

*Quam melius mutare fuit?*

Quid

*Quid volui, quod nolle bonum foret, vile honesto.*  
*Cur malus ante tuli, num dictu, aut deniq; vulrus*  
*Perstrictus quisquam? Cur me natura magis quàm*  
*Disciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia*  
*Ingrediens, ortòq; à vespere cuncta reuoluens;*  
*Offensus prauis, dat palmam & premia rectis;*  
 Ergo non licet Christianis eandem rationis à se repositæ rationem inire; eum, vt iam in simili materia sæpius admonui, potius concludere deberes, id tanquam aliquid ab ipsa natura, vel potius ab auctore naturæ Deo dictatum, & mentibus etiam infidelium insculptum, amplectendum & suspiciendū esse. *Nam & de hac re dicendum* (vtor verbis Origenis) *instum, esse* Orig. lib. 1. contra  
 hominibus eius sensum, quemadmodum moralis disciplina reliquæ, vnde hanc opinionem hausit & Cellsum.  
 Pythagoras & quiuis alius vel Græcus vel Barbarus. Licet igitur in doctrina examinandæ & explorandæ conscientiæ Ignatius alium ducem non habuisset, quàm Pythagoram: non tam Pythagoram, quàm ipsum naturæ lumē, super singulos à Deo signatum, secutus esset, quo lumine illustratus, ipse etiam Pythagoras intellexit, hæc sui discussionem, maximè ad profectum in virtutibus faciendum conducere: neque hoc tantum vidit Pythagoras, sed & super hac re *consultus Apollo*, hoc est, ipsemet Cacodæmon, ore illius simulacri oracula fundere consuetus; qui virum bonum & sapientem, & qualis millibus ex multis vix vnus reperitur, eum haud vana prædictione pronunciauit; qui *Iudex ipse sui esset, seseq; totum ad vnguem exploraret.*

Nec

Act. 22.

Anon. I.  
 dyll. 16.

Sozom. li.  
1. Hist. Ec-  
cles. ca. 13.

Nec deferunt Christiani duces, in quorum vestigiis Ignatius pedes suos poneret. Audi quid Sozomenus de sancto Antonio scribat. *Eum, qui præclare vitam acturus esset, tum ad laborandum hortatus est, tum ad secum considerandum, rationemque sedulo ineundam, quid notu, quidque interdum etiam egerit. Quod si quidquam contra quam debuerat, commiserit; uti illud scriberet in tabulis, quod de reliquo tum à peccatis sibi temperaret, tum ipsum puderet sui, si multa delicta in tabulis scripta offenderet; simulque vereretur, ne tabulis forte eius repertis, improbus ab aliis planè deprehenderetur.* Hæc Sozomenus de magno Antonio. Denique quid aliqd suafit sanctus Paulus, quam examen conscientiarum his verbis: *probet autem se ipsum homo: Et, quod si nos ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Sed satis in præsentia de examiné conscientiarum.

1. Cor. 11.

*Accessere, inquis, ad hos duos Iacobus Laines, Alphonsus Salmeron, Simon Rodericus & Nicolaus Babadilla. Equarunt hi omnes numero septem, quot Planetæ sunt; vel stella erraticæ. Septenariû numerum quæsiisti, ut conuicium faceres; quod tamen exuta conuicij naturâ in laudem transit. An enim nescis, Misene, septem Planetas inter sidera præcipuos esse, qui ita oberrant inæqualiter, ut nihil sit æqualitatis, ita inconstanter, ut nihil sit constantius: ita mutabiliter, ut nihil sit immutabilius: dato à rerum omnium conditore vnicique proprio orbe, in quo non*

fixus

fixus hæreret, sed proprio motu cieretur, *Cælestia, inquit Philo, semper sui similia currunt, recurruntque perpetuo, nullam prorsus mutationem admittentia.* Quod si patres istos ideo perfringere vis, quod vno loco non constiterint, sed varias mundi partes docendi causâ, obierint, noueris imprimis idem obiectum Christo & discipulis à Celfo, qui hæc ad Christum: *Cum discipulis vltro citroque curfitas.*

Philo lib.  
de Decalog.

Orig. lib.  
1. contra  
Celsum.

Deinde quæro ex te, num Sol & Luna, Planetarum Principes, tantum terris prodescent, si perpetuo vno loco hærent, quantum nunc profunt, cum cælum terramque obeunt? Tertio, Philo reprehendit illos, qui has septem stellas vocarunt *planetas* seu *errones*, quod, ut ait, *in*

Phil. li. cit.

*cælo nihil sit errori obnoxium propter beatam, felicem diuinamque huius naturam ab omni errore alienissimam; sed quia cursum, inquit, tenent indivisibili & extrema Sphæra contrarium, parum propriè sidera erraticæ cognominata sunt ab hominibus temerariis suummetipsorum errorem illis adscribentibus, quæ in summi Imperatoris militia nunquam deserunt Ordinem.*

Addis numerum *septenarium* à Pythagoreis appellatum *σεπτάδα* pro *εὐνάδα*, quasi *venerabile*, ut *venerabiles* fuisse illos patres indicaretur. Nihil habeo, quod huic tuxæ seu cōiecturæ seu nominis declarationi opponam: habeo quod apponâ ex Philone; qui de hoc numero non pauca, præter cetera hæc: *Mibi videntur primi nominum im-*

Philo li. de  
mundi or-  
pificio.

teque

reque. Romani certe addito *sigma*, quod deest in Graeco vocabulo, clarius etiam exprimunt vim Etymologicam, septem eum appellando à *Maiestate*, ut dictum est, honestatēque ipsius. Idem. Septenarij naturam nescio an quis satis laudare queat, cum ea sit praestantior, quam ut vlla facundia possit exprimi. Et: tanta in septenario sanctitas est sita; ut praeminentiam habeat pra omnibus numeris non excedentibus denarium. Quam ob causam ceteri quidem Philosophi numerum hunc assimilant natae sine matre Virgini *Victoriae*: Pythagorici verò vniuersitatis huius Imperatori. Vocatur etiam septenarius à proprietatis vocabulorum studiosis *absolutorius*; quia hoc absoluuntur vniuersa & perficiuntur. Hæc ex Philone de numero septenario in tuam gratiam; quandoquidem mysteriis numerorum delectaris. Si plura cupis ipsum Philonem ad, si tamen scis, quid libri Philo.

Sed necdum philosophari desinis de septenario. Inter alia huius numeri nomina, inquis, etiam numeratur, *παρθένη*, *Virgo*. Quid mirum? iam audisti ex Philone septenarium *Virgini Victoriae* assimilatum fuisse. Testatur idem Philo

Phil. li. de  
vita con-  
templat.

Iesuzos venerari solitos non solum simplicem septenarium, sed & vim eius multiplicem: castam enim sciunt hebdomadem & semper virginem. Idem alibi: Hebdomas pro sua natura, qua reliquos antecellit numeros, est virgo matre carens, valde familiaris vnitati & principio.

Phil. li. de  
Decalog.

Paulo post, inquis, accesserunt tres alij, *Claudius Iaius*, *Ioannes Codurius*, *Paschasius Broëtus*, ut iam patrum decas fieret. Neque hic te fugit mysterium, tam tibi vis odora inest. Hic numerus olim vocatus *Atlas*, in quo etiam mysterium later, inquis; Quod verò illud? Sic enim fulciunt *Papatum Iesuita*, ut vertice supposito sidera fulcit *Atlas*. *Papatus*, hoc est, *Ecclesia Catholica*; non nititur, si nescis, nostris humeris; sed Christo, & *Petrò Apostolo*, gemina hac petra, aduersus quam stare quidem possunt & stare inferorum portæ, non autem præualere. Super hoc fundamentum ædificare opus & munus est *Iesuitarum*; ut & illud, præpedire quoquo modo licet, ne quis *Hæreticus* destructor accedat, & diuinæ huic structuræ detrimenti aliquid demoliendo afferat. Hunc numerum vocarunt, inquis, etiam *ἀνάγκη* & *πίστις*, necessitatem & fidem; unde significatum, *Iesuitas* vi coacturos esse homines ad *Romanam fidem*. De appellatione numeri non laboro; de causa à te reddita iure dubito, quam tamen admitto, si velis significatum, *Iesuitas* vi doctrinæ & veritatis coacturos esse homines ad *Catholicam fidem*. *Iesuitæ* enim non euangelizant ferro & igne; sed *Caluinistæ*.

Porrò si quid solidi mysterij in decade seu denario numero reperire volebas, poterat id tibi pandere Philo, cuius hæc verba: *Impositores primi nominum, viri sapientes, merito videntur appellasse hanc δεκάδα quasi δεχάδα, quod capiat, comprehendatque omnia numerorum genera. Quare*

Phil. li. de  
decalog.



Phil. li. de  
congressu  
quærendæ  
eruditio-  
nis causâ.

& ab eodem auctore *perfectissimus numerus* nominatur, & variis laudibus, variis in libris celebratur.

Quia verò animaduerto, te hoc patrum nostrorum denario numero mirificè delectari, nō abs re fore credidi, si in tuam gratiam hic adscriberem, qui genus, vnde domo, singuli, quando ad Ignatium adiuncti, quo ordine, quando & vbi ad meliorem vitam translati; idq; sub breui compendio, tabulæ forma, quam ecce subiectam cernis:

*Decem primorum Societatis IESV patrum nomina, cognomina, nationes, Diœceses, Ordo vocationis, dies, mensis, annus, & locus quo quisque obiit.*

Vocationis ordo, Nomen, Cognomen, Natio.

I.	P. Ignatius	Loiola	Cantaber.
II.	P. Petrus	Faber	Allobrox.
III.	P. Franciscus	Xavier	Nauarregus.
IV.	P. Iacobus	Laines	Hispanus.
V.	P. Alphonfus	Salmero	Hispanus.
VI.	P. Simon	Rodericus	Lufitanus.
VII.	P. Nicolaus	Bobadilla	Hispanus.
VIII.	P. Claudius	Iaius	Allobrox.
IX.	P. Ioannes	Codurius	Gallus.
X.	P. Paschasius	Broëtus	Gallus.

Diœcesis, Ordo, Locus, Dies, Mensis,  
Annus obitus.

Pampilonen.	5. Romæ	31. Iulij	1556.
Gebennen.	2. Romæ	1. August.	1546.
Pampiloné.	4. In Sanctio insula	2. Decem.	1552.
Seguntinen.	7. Romæ	19. Ianuar.	1565.
Toletan.	9. Neapoli	13. Febru.	1585.

Visen.

Visen.	8. Vlyssipone	15. Iulij	1579.
Palentinen.	10. Laureti	23. Sept.	1590.
Gebennen.	3. Viennæ Austr.	6. August.	1552.
Ebredunen.	1. Romæ	29. August.	1542.
Ambianen.	6. Lutetiæ	14. Sept.	1562.

Iniere primùm Societate Parisiis, anno 1534. Septem priores, ad quos accesserunt tres posteriores anno 1535.

## C A P V T II.

*Mendacia & Cauillationes Miseni  
in caput quintum, sextum  
& septimum.*

**C**Apud quintum continet relationem de Ignatij discessu ex Gallia in Hispaniam; & quidem in ipsius Ignatij patriam: Ex quo excerptit, more suo, Misenus, quæ ad calumnias apta iudicat. Et inprimis Ribadeneiram inconstantia arguit: *supra dixerat*, inquit, *multis sceleribus se obstrinxisse Ignatium; hic vt leniat & eleuet duriusculè dictum, & lectorem à sceleribus ad leuia errata adolescentiæ traducat; ait Ignatium acerbissimis conscientia stimulis exagitatum, quod adolescens vnà cum aliis adolescentibus in hortum cuiusdam Ciuis simul intrasset, et fructuum aliquantulam copiam furtim abstulisset, magno Domini damno.* Primùm vbi nam scripsit Ribadeneira Ignatium multis sceleribus sese obstrinxisse, vt tu scribis? Nominabis forte caput nonum libri primi. Atqui eo loci non memorat Ribadeneira quid ipse de Ignatio, sed quid ipse Ignatius de semetipso senserit, & quomodo recordatio-

ne delictorum superioris vitæ (quæ ipse scelera vocabat) inanis gloriæ blandimenta expellere voluerit. Secundò, vt maximè id scripſiſſet Ribadeneira; num propterea ſibi contradiceret; quod præteritis hoc loco aliis; recēſeat id, quod Ignatiū tunc maximè pungebat, ipſo natalis loci aspectu ad memoriã illius potiſſimū delicti excitatum? Tertio, num tam leue tibi videtur factum, tranſcendere in hortos alienos, & inde fructus clepere? Et vt leue ſit, an neſcis, quomodo viri ſancti etiam leuia errata deſeant? An non monuit te Ribadeneira; quanto dolore ſimile peccatum, adoleſcentiæ non inſuetum, deplet Sanctiſſimus Doctor & Episcopus Auguſtinus in ſuis Confessionibus. Auſim affirmare, te ne adulteriū quidem, ſi quod commiſiſti, tanto gemitu, tantisq; lacrymis expiare, quantis beatiſſimus ille Antistes puerile illud pomorum furtum. Non affirmo, ne ſuccenſeas, te commiſiſſe adulterium; ſed quid facias; ſi feciſti; doceo: & vt de hoc incertus ſim; de altero tamen longè ſum certiſſimus.

Ait Ribadeneira, quendam hominem, innocentem planè, in carcerem coniectum, ob ablatos ab Ignatio ſodalibusq; fructus, certaq; pecuniæ ſumma multatum; & hoc vel in primis Ignatium affixiſſe: Hic tu: Ergo neceſſe eſt illum hominem vel mutum fuiſſe, qui negare factum nō poterit; vel iudices iniquiſſimos, qui non conuictum de furto bonis ſpoliarint. Quis non videt hæc & ſimilia pueriliter & putidè conſingi? Neutrum, mi Miſene, neceſſarium eſt. Non primum, quia fieri poteſt, & verò ſæpe ſit, vt quis ſit innocens & minimè elinguis, factumq; ſtrenuè inſicietur, & tamen

men condemnetur: quia neganti ſolūm Iudices non adhibent fidem, ſi adſint alia indicia & testimonia ſeu vera ſeu falſa, in foro tamen externo probabilia, cui moris, ſententiam ferre ſecundum *allegata & probata*. Nec alterum neceſſarium eſt: quia Iudex iuſtè poteſt, nō modò ſententiam alicuius multæ pecuniariæ; ſed mortis in innocentem pronunciare, ſi, ſeruata iuris forma & ratione, oſtenſum ſit, nocentem eſſe, ſaltem iudicio fori externi; nam coram Deo qui innocens eſt, nullis humanis testimoniis efficitur nocens. Quis ergo non videt hæc non pueriliter conſingi, ſed à te petulanter calumniis traduci?

Subiungis, pauld poſt mentionem facit legum Ignatij, de alea, de concubinato Sacerdotum. De quo valde obſcurè loquitur. Tu quidem hoc loco non obſcurè, ſed ſplendidè profeſto mentiris: non enim leges illas tulit Ignatius; ſed hortatu Ignatij legitimus Magiſtratus; vt proinde non niſi mendaciter *leges Ignatij* appelles. Deinde, quæ obſcuritas in verbis Auctoris, cum refert, quodnam operæ pretium in ſua patria concionando fecerit Ignatius? En ipſa verba: Cum patrio more Virgines, quoad viro traderentur, capite aperto eſſent; peſſimo exemplo multæ; cum apud Clericos turpiter viuerent, perinde caput obnubebant, ac ſi legitimo eis matrimonio iunctæ fuiſſent: quibus fidem, quaſi maritis, præſtabant. Quod nefarium inſtitutum, ac ſacrilegum funditus tollendum curauit. Hæc Ribadeneira. Quid tu? Non intelligo hoc, inquis, de cōcubinato, ſed virginum habitu. Quid

tu intelligas, id scilicet populus curat. Intelligere debes id, quod auctor intelligit, non quod tibi collibitum. Ribadeneira & de concubinato, & de habitu, & de fide data sacerdotibus tanquam maritis, intellexit. Nam & leges in concubinarios sanctitas esse dixit, & concubinas, matronarum more, tecto capite incessisse, & presbyteris, iurifurandae religionis interposita, iunctas esse; haec omnia merito *sacrilegum & nefarium institutum* nominavit. *Sed qualis, ais, hac emendatio? Vetuit eas, quae turpiter vivebant apud Clericos, caput obnubere;* Non tantum hoc, bone vir, sed plus praestitit: nempe tria illa, quae paulo ante dixi. Quod si etiam hoc tantum effecisset, ne si quae cum Clericis turpiter consuescerent, Magistratus eas pateretur, tanquam matronas, legitimo matrimonio copulatas, incedere; an non Ignatius rem praeclearam praestitisset? Quid enim turpius, & quid ad mores corrumpendos accommodatius, quam si opinio illa inualuisset, meretrices esse Clericorum legitimas coniuges? quod necessarium euenturum erat, tum ex parum matronis habitu; tum ex fide tanquam maritis data. *At magnam, inquis, iniuriam fecit Virginibus, cum passus est eodem habitu uti scorta, quo castae puellae utebantur.* Forte Ignatius, tertium habitum his scortis praescribi curasset, si te consultorem adhibuisset: te, inquam, qui probe videris nosse, quo vestitu meretrices sint conueniendae: Interim ignoscas Ignatio, si huius artis penitus rudis, obtinuit, ut eo habitu uterentur ista prostibula, qui declararet & quid essent, & quid non essent, ut hac ratione maior pudor inuenteretur impudicis; & maior itidem terror, vel

hor

horror iniiceretur pudicis, ne impudicitiae sese consecrarent. Tertullianus non obiecit Romanis: nullum seruari discrimen inter meretrices & virgines, sed inter *matronas & meretrices*. Enumerans enim varias morum corruptelas, *Video, inquit, et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum;* non ignarus; quantum ex hac similitudine scelerum & flagitiorum nasceretur.

*Hic, inquis, notabis, quanta religione votum castitatis à Clericis Pontificiis seruetur, ipsis Iesuitis testibus.* Scimus & dolemus non omnes facere officium. Nullus ager tam fertilis & cultus: cui inimicus homo non superfeminet Zizania. Subit mentem, quod Origenes Celfo respondit, tu id à me habe, donec infra fusius hac de re agemus. *Ecclesia Dei (catholicae) per Christum erudita, collata ad vulgares ceteros hominum (praedicantium) plane sunt mundi lumina. Quis enim non fateatur deteriore Ecclesiae nostrae parte, collata cum vulgaribus concionibus (praedicantium) longè praestantiorè esse?* Notum est, Misene, quae sint Lutheri, Caluini, vestrorumque ministrorum & praedicantium de castitate decreta & placita; quae satis indicant, quam procul à vobis exulet Pudicitia, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, prauidicium omnis bonae mentis.*

Ex Hispania venit Ignatius Genuam, grandi inter nauigandum tempestate defunctus. *Quae fortasse nulla fuit, inquit Misenus. Quid sibi vult istud tuum fortasse? Vnde scis nullam fortasse fuisse, vel vnde hoc suspicaris? An quia Ignatio idem accidere non potuit, quod aliis infida*

Tertull. in Apolog.

Orig. lib. 3. contra Celfum.

Tertull. li. de pudicit.

per æquora euntibus plerumq; accidit? Non v-  
nius sed plurium dierum traiectus est Valentia  
Genuam. Num tot diebus fieri nequii, vt tem-  
pestat existeret, nauemq; qua Ignatius veheba-  
tur, in graue discrimen coniceret? Si quis ex  
Ethnicorum numero assereret procellas illas,  
quibus in mari Galilææ discipulos agitato re-  
fert Euangelista, fortasse nullas fuisse; an non  
eum vel hoc nomine temerarij mendacij redar-  
gues, quod sine vlla ratione, vel in specie pro-  
babili, id affirmaret, cum qui hoc asserit, asser-  
tionis suæ causam aliam dare non possit; quam  
quia credere nolit: Quam enim aliam daret?  
Quod autem ob tempestates, quas tulit Ignatius  
in mari, *Neptunum ei semper infestum fuisse* ais, for-  
te idem dices de Christo & Apostolis (quando-  
quidem Euangeliiis æque ac profanis historiis  
fide tantum humana assentiris) cum legis qui-  
bus procellis aliquando sint exagitati: nisi for-  
tasse Neptunus non incolat illa Iudææ maria,  
sed tantum mare mediterraneum & Oceanum.  
De sancto Paulo non dubito, quin mireris; cur  
Neptunus magis vel æquè ei fuerit infestus, ac  
Vlysi Homero, quippe qui *ter naufragium*  
*fecerit, & in periculis fluminum & maris* toties  
versatus fuerit.

Matth. 8.  
Marci 4.  
Lucæ 8.

Matth. 14.  
Marci 6.

2. Cor. 11.

Pari modo, cum Calvinista iste confictum su-  
spicatur; quod Ribadeneira scribit, de periculo  
vitæ adito ab Ignatio, in itinere Genua Bononiã,  
cum eò processisset ignarus, vnde nec regredi,  
nec progredi posset: quam, rogo, huius suæ su-  
spicionis causam adfert? An nõ enim sæpius in  
mõibus & rupibus cõtigit, vt dũ quis impro-  
vidus progreditur, tandè regrediendi sibi facul-  
tatem

tatem ademptam videat? Lege si lubet apud Ste-  
phanum Pighium, commemorabile huius rei  
exemplum, & erubescere, si tamen necdum fron-  
tem omnem tot mendacijs & calumnijs ami-  
fisti.

Pigh. in  
Hercul.  
Prodic.

Cũ Ignatius Bononiam peruenisset, casu  
decidit ex ponticulo ligneo in subiectam fos-  
sam, ex qua, cum cæno oblitus, fordibusque  
fœdatus emerisset, risum spectantibus mouit,  
vrbemque obambulans, neminem reperit, qui  
vel obolum, vel panis frustulum largiretur. Tu  
factum hoc vocas *lepidam historiolum*. Videris  
imitari inuidiam; cui nihil lepidum; nihilque ad  
commouendum risum idoneum, nisi quod cũ  
alieno infortunio coniunctum est. *Risus abest,*  
*ait ille; nisi quem visis mouere dolores.* Addis, *non*  
*fuisse mirum stipem nullam Ignatio datam; quis enim*  
*homini cæno oblito daret aliquid.* Imò si argumenta  
misericordiæ excitandæ humano modo æsti-  
mare velimus, quis tali homini non daret? nisi  
fortè Calvinianum Euangelium ita beneficen-  
tiam in mendicos commendat, vt non nisi bene-  
lotos, comptos, & nitidos eleemosyna subleuã-  
dos esse doceat?

Quod si huiusmodi homini nihil impertien-  
dum est, antequam vestes abluat, ne, vt tu dicis,  
*vel factore offendat, vel tactu alios fœdet, vel a-*  
*spectu terreat;* multò magis vacuos abire iubebis,  
quos vel lepra horribiles effecit; vel cancer au-  
ribus naribusue truncauit, ex eis genis, aliusue  
morbus deformauit; ne te *factore offendant, vel*  
*tactu fœdent, vel aspectu terreant,* non modò vi-

gilantem, sed & dormientem; facile enim Morphæus, aut ille, quem *Icelon Superi, mortale Phobertora vulgus nominat*; pusionem istū obiectis terrificis formis terrefaceret.

Sextū caput explicat, quomodo Ignatius Venetiis sit accusatus, & innocens declaratus. *Accusatores*, inquit Misenus, *non nominātur, neq; criminis certi vlla sit mētio*. Accusatores in specie nominare nihil attinet; cū ad veritatem historiæ parū aliquando faciat. Quod si omnino necessarium arbitraris, vt accusatorū vel testium nomina exprimantur; sciscitari poteris ex Matthæo Evangelista, cur contentus fuerit dixisse: *Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerūt, hic dixit, etc.* curq; nominatim nos non docuerit, quinam isti criminatores fuerint. Nū certi criminis mentio fiat (quamuis neq; hoc ad fidem historiæ profus pertineat) nū verò tu hīc, morè tuo, egregius sis fingendi artifex, intelliget lector ex his Ribadeneiræ verbis: Quidam vel malevolentia suffusi, vel falsa persuasionē decepti, sparserunt, fugituum illum esse, in Hispania non semel vincitum in custodia fuisse, igni tradita combustaque ipsius statua, profugisse; ne Parisiis quidem licuisse homini viuere: ex qua etiam vrbe fugiens suæ salutis consuluisset. Hæc auctor. Annon certum crimē propter crimina fugituum esse? Annon certum crimen propter crimina exultum esse, tamen in imagine? Nonne certum crimen & suspecta & damnata doctrinæ auctorem videri? Sed nisi tu de incertis criminibus calumniareris, hæud tibi perpetuò mendacia certa suppetent.

Caput

Caput septimum exponit, quo pacto Socii Lutetia ad Ignatium venerint. Ait Ribadeneira: *tres, qui Sacerdotes erant, quotidie rem diuinam fecisse: Septem reliquos virtute panis celestis aduersus graues, longæ molestæque viæ difficultates sese cōmuniisse: Hunc vsum Eucharistiæ, inquit Misenus, nobis Christianis ignotum, notent Iesuitæ, si qui fortè adhuc in Galliis delitescunt. Quid mirū, si vsus iste Eucharistiæ vobis nomine Christianis, re Caluinistis sit ignotus; cū ipsa Eucharistia, hoc est, fons & origo huius fructus, vobis sit ignota? Nam Christianis, quibus Eucharistia nota est; ignotus esse nequit saluberrimus iste tanti Sacramenti fructus, quid enim cor hominis magis aduersus omnes ingruètes tempestates & difficultates confirmat, quàm panis iste cœlestis, habens omne delectamentum suauitatis, & in cuius fortitudine per auia & inuia huius vitæ deserta, vsq; ad montem Dei Horeb, cum sancto 3. Reg. 19. illo vate contendimus,*

Sequitur, inquis ἀξιολόγον τι. Quid illud? Quia rusticus in Galliis curiosius cōtemplans septem illos patres, aliquam, dixit, *prouinciam reformaturi discedunt. Tu, crediderim, inquis, audiendo fuisse deceptos Iesuitas, & rusticum, dixisse deformaturi. Deciperis, Misène; nihil præ se ferebant patres illi, quod argumento esset futuræ alicuius deformationis; sed omnia in illis ad reformationem comparata erant. Si Lutherum, Bucerum, Munsterum, Zuinglium, Martyrem, Caluinum, simul iter facientes conspexisset, planè mihi persuadeo,*

persuadeo, rusticum illud dicturum fuisse, impulsu Spiritus sancti, quod tu nunc dicis de septem illis patribus, impulsu Diaboli; quia quod isti pedem intulerunt,

*Protinus irrupit*

*Omne nefas fugere pudor, verumq; fidesq;  
In quorum subiere locum fraudesq; doliq;  
Insidiaeq; & vis & amor sceleratus habendi.  
Vincta iacet pietas, & virgo cade madentes  
Ultima caelestum terras Astraa reliquit.*

Nec occurrit modò cum quibus aptius illi tui reparatores Euangelij conferri queant, quàm cum deformibus & macilentis bobus, quas vidit Pharaos, *quæ deuoratis & consumptis prioribus, nullum saturitatis dederunt vestigium: sed simili macie & squalore torpebant.* Vt igitur illæ visæ sunt reformare omnia absumentes, & stirpitus, quidquid exstabat euellendo: ita isti quidquid decoris & nitoris in rebus Ecclesiasticis erat: excindendo & exterminando reformarunt; sublatis & euersis altaribus cùm Ecclesiis; exustis Sanctorum imaginibus, direpta sacra suppellectile, Sacerdotibus proscriptis aut trucidatis, Monasteriis in profanos vsus commutatis; expulsi Monachis. Quod si hoc est reformare, non deformare, tunc profecto Turcæ reformatores, non deformatores erunt; quia non aliter agunt; quàm vestri illi Prophetæ egerint: imo, ne mentiar, non paulò humanius cùm Christianis templis agunt, quàm Caluinus & Calviniani egerint.

*Latet etiam aliud mysterium, inquis, in præfatio rustici, significatum est fore aliquando, vt primi inter Christianos*

*Christianos Galli, suo territorio discedere iubeant Iesuitas.* Quiduis, vt video, quoduis tibi significat. Egregium interpretem præfagiorum Misenum, cuius opera, si vsus fuisset Pharaos in interpretatione somniorum; primas præripuisset Iosepho. *Gen. 41.* Si Nabuchodonosor; principem locum nunquam Daniel obtinuisset. Contemplare, quæso, *Daniel. 4.* Misene, propius tuum præfagij illius delirium. Rusticus Gallus patres illos curiosius intuitus repentino afflatu concitus, *aliquam,* inquit, *provinciam reformaturi discedunt.* Significatum est ergo primos fore Gallos, qui Iesuitas exterminet. Qui huius tui acuminis acumen non capit, is tantum capit, quantum tu. De Gallicana illa causa supra iam, quantum satis erat, actum est. Hic tantum ex te quero: quid detrimenti Ecclesiæ attulerit persecutio illa magna, quæ post necem Stephani extitit in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis; & omnes, inquit S. Lucas, *dispersi sunt per regiones Iudææ & Samaria, præter Apostolos. Calamitas,* inquit ille, *sapius disciplina virtutis est. Vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt.* *Act. 8.* *Minut. in Octauio.*

*Iam peruentum est, inquit Misenus, ad narrationem, quam nemo, credo, qui saltem homo sit, non canis vel porcus, sine horrore & nausea legere poterit. Quæ verò illa narratio, quæ Miseno stomachum mouit, imo euertit? Franciscus Xauerius, Venetiis in Xenodochio, non contentus fuit ea sedulo præstare, quæ sordidissima erant; vt horrorem, quem sentiebat, perfectius vinceret; saniosa vlcera interdum lingeat:*

*Hæc*

Hæc narratio Miseno tantâ nauseam cõcit, vt, quod alibi scribit, Xauerij sine nausea nequeat meminisse, & in hanc exclamatione erumpat: *Os non durũ, sed terrum & rancidũ.* Lubet tamẽ in hac materia nõnihil immorari, & te accuratius examinare; quæ tandẽ fit tantæ nausæ causa, si interim, dum hac de re sermocinamur, vomueris, forsan sanaberis: quia nausea hæc non tã ab externo, quàm ab interno vitio proficisci videtur. Quid ergo tibi tantũ nausæ parit? An quia Xauerius ægris & miserandũ in modum, vi morbi deturpatis, sedulo in seruiuit; eosq; manibus suis fouit, erexit, tulit, transtulit; idq; in Xenodochio seu Nosocomio? Quantã igitur nausæ tibi concitasset, S. Fabiola, clarissima fœmina; *Quæ*, vt inquit S. Hieron. *prima omnium Nosocomium instituit, in quo agrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus, & inedia miserorum membra foueret. Describam diuersas hominum calamitates, truncas nares, effossos oculos, semiuustos pedes, luridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia, & de exesit ac putridis carnibus vermiculos bullientes? Quoties morbo regio & pedore confectos humeris suis ipsa portauit? Quoties lauit purulentam vultuerum sanie, quam alius aspicere non valebat? præbebat cibos propria manu, & spiras cadauer sorbitiunculis irrigabat. Scio multos diuites & religiosos ob stomachi angustia, exercere huiusmodi misericordia per aliena ministeria & clementes esse pecunia, nõ manu: quos equidem non reprobo, & teneritudinẽ animi nequaquã interpretor infidelitatẽ: sed sicut imbecillitati stomachi venia tribuo,*

S. Hieron.  
epist. 30.

*buo, sic persecta mentis ardorem adoro, in cœlum laudibus fero: magna fides ista contemnit.*

Num & hic nauseas, Misene? Aliũ ergo te stomachũ habere oportet: aliũ S. Hieron. te Caluianũ, Hieronymum Christianũ, qui adeo nihil hic nausæ sensit; vt quosdã, qui idẽ facitare sine nausæ nõ poterãt, non quidẽ vituperet; sed nec cõmendet tamen; vt vel hinc intelligas, quibus coloribus te Hieron. depinxisset: si te, vel talia audiẽdo nausæare vidisset. *Ille quẽ despiciamus, Misene, quem videre non possumus, ad cuius intuitum (& memoriã) nobis vomitus erumpit: nostri similis est: de eodẽ nobiscum formatus est luto, iisdem cõpactus elemẽtis. Quidquid patitur, & nos pati possumus. Vulnera eius existimemus propria, & omnis animi in alterum duritia, clementi in nosmetipsos cogitatione frangetur.* Hæc S. Hieron.

Forsan nauseas quoq; cũ legis, aut recordaris, quid Placilla Imperatrix, vxor Theodosij Magni egerit; de qua hæc Theodoret. *Mox omni cura cõplexa est corpore mutilato & labefactos omnib. membris, nõ quidẽ vsu seruatorũ, neq; satellitũ ministerio, sed ipsa executrix huius rei, ad diuersoria illorũ vadens, & singulis necessaria suppeditã.* Eodẽ modo & Ecclesiarũ hospitia visens, decubentes opera sua medicabatur, & ollas ipsas præbẽdens, & iuscula degustans, & patinas deferens, et panẽ frãgens, et epulas præbẽs, ac pocula eluẽs, aliãq; faciẽs omnia, quæ putabãtur esse opera seruatorũ, atq; ancillarũ. Hęc Theodoret. de Imperatrice:

His duabus fœminis addam & viros: Non si Ioannem Damascenum? At forsan hic non modò nausæabis, sed & quidquid pituitæ ventri-

Theodor.  
lib. 5. hist.  
Eccles. ca.  
18.

Ioā. Patri-  
arch. Hie-  
rosol. in  
vita S. Da-  
maſcen.

ventriculū malè afficit, eiicies: Damascen<sup>9</sup> ergo, cum nouitius adhuc religioſæ vitæ tirocinium poneret, hoc mandatum à ſuo magiſtro accepit: *vt tranſiens per circuitum labræ (Monasterij) per ſe ipſum in ſingulis Monachorum cellis ſordium domiſculas, & latrinas expurget. Qua ſententia Ioannes valde letatus dixit, id mihi facile erit, atque aded voluptati ſumma. Igitur è veſtigio abit, & conquiſtitis, acceptisque ſcopis, nec non aliis purgatoris instrumentis, cellam eius, qui propius ſenem habitabat, accedit, eamque ingreſſus manus illas inquinare cœpit, quæ multis antea aromaticis odoribus fragrabant.*

Leproſum horribili ſpecie, cuius iam multa membra morbus excederat, & vocem quoq; ademerat, domi ſuæ alebat Anaſtaſius Presbyter, vt teſtatur Amphilochius, eique fideliffimè miniſtrabat: ad quem cum aliquando diuertiffet S. Baſilius, multis precibus à Presbytero contendit vt miſerando illi homini nocte vna ſeruire poſſet. Nec abnuir ille. *Relicto igitur Baſilio in cellula cum leproſo, clauſoque oſtio abſceſimus, inquit Amphilochius, At ille vulnerum ſanator preces pro eo ad Dominum fundens, & tota nocte obſecrans Deum, reddidit illum ſanitati.* Quàm diſpar tu Anaſtaſio & Baſilio, qui ſi vel vna hora huiuſmodi elephantiaci tuam operam locare deberes; non modò nauſeares, ſed *pulmonèū vomitum vomeres, niſi fortè hæc & ſimilia, quæ manibus duntaxat peraguntur, non mouent tibi nauſeam; ſed hoc potiſſimum, quod Xauerius fluèria tabo vlcera*

lingua:

lingua linxerit. Hoc videlicet tolerare nequis. Ob hoc Principes, Comites, Nobiles alloqueris, *ne patiantur eiufmodi Cynicos menſis ſuis aſſidere.* Ac memineris, Miſene, quæ & qualia medici aliquando non modò oculis inſpiciant, manibusq; contingant; ſed & ore guſtent, vt ægrum curent. Quid ergo criminis admittet ille, qui nimis delicatum ſtomachum paulò robuſtiorẽ efficerẽ volens, languenti & faſtidienti eam medicinam adhibet; quam adhibuit Xauerius? Apud Homerum exſugit ex vulnere Menelai ſanguinem concretum Machaon Medicus; quem credo, ob id non repulit à ſua menſa Menelaus, vt nec Rex Regum Agamemnon. Quod ſi quis medicus eadem diligentia ſeu vulnus, ſeu vlcus tuum curaret; non dedignareris, opinor, cum illo eſſe & comeſſe, neq; loco Cynici, ſed hominis valde benefici haberes. Cum Galenus fiſtendi doloris ex morſu vel aliunde orti rationẽ tradit, duplici modo id fieri docet, nempe eius quod dolorem creat *vacuatione, aut alteratione.* *vacuant, ait, calefactoria omnia; & quæ citra calefactionem vehementer trahunt; additque; Sunt autem & qui ore ſuo virus extrahunt, ægra videlicet particula admati, ipſamque labijs complexi.* Hæc ille. Quod ſi tu morſus à vipera vel cane rabido incideres in Medicum tuæ ſalutis tam amãtem, vt inſpiratum venenum ſuctu eliceret; an præ nauſea vomeres? An *ostetrum & rancidum* intonares? Quod igitur medicis permittis; hoc permittite etiam illis, qui ſtomachi ſui imbecillitatẽ curare, & perfectam de ſe victoriam reportare ſtudent.

Galen.lib.  
13. de mor.



Sulpit. in  
vita S. Mar-  
tini.

Parisiis leproso cuidam osculum & sanitatē simul tulit S. Martinus. Rem ita memorat Sulpitius: Apud Parisios, dum portam ciuitatis illius magnis fecum *turbis ineuntibus, introires, leprosum, miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est, atque benedixit, statimque omni malo emundatus est.* Et tamen os hoc, iudicio tuo, non durū, sed *tetrum & rancidum* epulis Maximi Imperatoris accubuit, & ex eodē, quo Imperator ipse, poculo bibit. Quod nescio num aliquando purissimo Calvinistæ huius ori sit obuenturum.

Luc. 16:

Obiicis; *In Euangelica historia canes lingeant vlcera Lazari; iam conuersa ratio: Nescio quid his verbis velis: explica, amabo, planius & clarius. An vis ideo non licere; quia canes id fecerint? Vide, obsecro, ne te, vt & illum epulonē, potius factum hoc canum condemnet: quod, audeo dicere, si epulo ille imitatus esset, in inferorum supplicia non incidisset; tantum abest, vt peccati quidquam admitturus fuisset, si, vt canes illi, vlcera Lazari misericorditer linxisset. Horū ergo lingua, id est, tua tuique similitum, grauius torrebatur, (concludam enim locum hunc cum sancto Paulino) qui debilitates modò pauperum vel horrent, vel irrident, fastidiosi letaliter & faceti, qui prateunt, & canibus lambenda dimittunt vlcera proximorum. Nonne verius (quæso te) dicendi canes, qui ne canes quidem in curandis atque mulcendis hominibus imitati sunt?*

S. Paulin.  
epist. 33.

Ait Ribadeneira à patribus in Nosocomio versantibus, ægrorumque turbæ ministrantibus, iacta esse fundamenta probationum Societatis,

tatis. *Præclara, inquit Misenus, probationes, quas, credo, iam pridem inter Iesuitas exoleuerunt. Quo argumento inductus credis has probationes defuisse? Atqui minimè id crederes, si inter Iesuitas non inter Calvinistas vitâ agitares. Tirones Ordinis nostri, vbicunq; sunt publica valetudinaria, vt passim in Italia, ad ea destinantur, vt ægris seruiant; verbisq; & opera solatij aliquid & adiumenti adferant. Nec quisquam seu doctus, seu indoctus, seu nobilis, seu ignobilis ab hoc labore eximitur; Quod si quis nauseat, non nausare in hac schola discit, seseq; confirmat ad opem ferendam miseris, quos alioquin nō pauci nausea præpediri deserunt. Cur verò non egregiæ probationes illæ, quæ præterquam quod proximis nostris sunt voluptati & vtilitati; charitatis itidem & Christianæ humilitatis sunt insignia vel argumenta, vel documenta.*

Cùm patres nostri Venetiis Romam proficiscerentur, & die quodam propter continuos imbres, nudis pedibus, sumpto duntaxat mane panis frustulo, iter agendum esset, Magister Ioannes Codurius, qui pedes habebat scabie aspersos, eo ipso die sanatus est, vt Ribadeneira scribit. Hic Misenus, cùm nihil haberet, quod huic historiæ opponeret, rem in risum vertit, more scurrarum: *Discimus, inquit, à Iesuitis scabiem pedum optimè curari, si quis nudis pedibus, maximis & perpetuis imbribus, octo et viginti passuum millia conficiat; sumpto tantum mane frustulo panis, tanta aquarum inundantium copia, vt interdum tantum pectore extet. Videris aliquando fuisse circumfo-*

ranetus seu agyrta, cum tam expedite noris, scabiei depellendae medicamentum praescribere; quod profecto tum tibi salutare futurum sponderet: si omnia faceres & tolerares eo animo, & eo pietatis ardore, quo illa tulit Ioan. Codurius.

Quia vero tam felix medicus es curandis pedibus; poteris huic tuo medicamento aliud adhaerere ex S. Augustino pro Podagricis, his vel similibus verbis: *Discimus ex Augustino, podagram optime curari, si quis inter catechumenos nomen suum profiteatur; cruce signetur; sale condidatur, Christum inungatur, & tandem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti bis vel ter abluatur.* Non dubito te hoc vel simile scholium adiecturum ad caput octauum lib. 22. D. Augustini de ciuit. Dei, si quando post Ludouicum Viuem, commentarios in aureum illud optas, edes. Res gesta ita se habet. *Medicum quendam podagricum in eadem vrbe (Carthagine) qui cum dedisset nomen ad Baptismum, & pridie quam baptizaretur, in somnis a pueris nigris circatis, quos intelligebat Demones esse, baptizari eodem anno prohibitus fuisset, eiusque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes eius, in dolorem acerrimum; qualem nusquam expertus est, astuasset; magisque eos vincens; lauacro regenerationis, ut uouerat, ablui non distulisset, in baptismo ipso non solum dolore, quo ultra solitum cruciabatur, verum etiam podagra caruisse, nec amplius, cum diu postea uixisset, pedes doluisse, quis nouit? Nos tamen nouimus, & paucissimi fratres, ad quos id potuit pertinere è vicino.*

CAPVT

## CAPVT III.

*Refutatio calumniarum in caput octauum, nonum & decimum.*

**C**apite octauo commemorat Ribadeneira, quomodo ob bellum inter Venetos & Turcas ortum, nauigatio Hierosolymitana, quam patres meditabantur, fuerit impedita, Deo aliquid maius & amplius de nouo illo feruorum suorum manipulo disponente. *Sed quae erant illa magna & ampla inquis: Nolo tibi nominare alia, quam quae tibi nominat tua conscientia: hanc consule; & a me non petes responsum. Si Deus patres illos ad tam magna & ampla non referuasset, benigniore utique in illos, & in eorum posteros animo esses. Inuidia; adde & odio, ceu fulmine, summa laborant & vaporant.*

Porro abiecta spe nauigationis, in varias vrbes ditionis Venetorum concesserunt: tum ut illi, qui iam primum sacris initiati fuerant, melius sese ad primum sacrificium Deo immolandum praepararent: tum, ut aliis etiam vitae & doctrinae exemplo aliquid emolumenti adferrent. *Hic iam quari possit, inquit Milenus, quid causa fuerit, ut Venetis libero animo misificare non potuerint.* Posses etiam quaerere, quid causae fuerit, cur Matth. 4. 14. Christus Hierosolymis, vel in alia ciuitate libero Marc. 1. 6. animo ieiunare & orare non potuerit, sed Luc. 6. similitudinem & aliquando montem petiuerit, ibique *in oratione Dei pernoctarit.* Nemo dicit Patres

P 3

illos

illos Venetiis nequiffe rem diuinam libero animo facere; Poterant utique: sed quia Venetiis iam noti erant, multisque negotiis distendi; satius visum est, ad loca minus nota adire; ibique plus temporis meditationi rerum spiritualium; & præparationi ad augustissimum illud Eucharistiæ sacrificium tribuere. Nam quod ais, *bonos illos Patres fatigatos fuisse audiendis confessionibus, eo quod Venetiis sit magna mollium, scortorum, & scortatorum copia*, id calumnia est non modò in nostros patres, sed & in illustrissimam illam Rempublicam. Nam primum, vnde scis fatigatos fuisse audiendis confessionibus? Ribadeneira nullã auditarum confessionum mentionem facit; sed tantummodo laboris & operæ; quam valefudinariis impenderunt.

Deinde, vt maximè confessionibus excipientis vacassent, tam frigidè tamen & infirmi vel corpore vel spiritu non erant, vt se ab vlla confluentis turbæ multitudine lassari paterentur. Præterea si pro proportione & magnitudine allicuius vrbis vel oppidi Calviniani, iniretur numerus mollium, scortorum, & scortatorum; arbitror profecto, nec vanis argumentis persuasus, maiorem fore copiam, quàm Venetiis, pro amplitudine & numero indigenarum illius ciuitatis. Nihil quàm fecundum est talium fructuum, Lutheranicum & Calvinianum Euangelium, quod de tenero vngue meditatur carnem, quæque carni amica, & cuius est illud axioma: *Si nolit vxor, veniat ancilla*: quod certè non modò meretricum, sed &

sed & adulterarum vberimū seminariū est: cur .n. vxor eadē Euāgelica libertate nō colligat inde hoc problema: *Si nolit maritus, veniat famulus*.

Ait Ribadeneira, patres in varia loca diuisos, tenuissimo victu vitam sustentasse. Quid Misenus? *Adduntur*, inquit, *nonnulla de victus asperitate: qua, credo, victos esse à Diogene Cynico, quem tamen nemo inter Sanctos retulit*. At propter victus asperitatem, nemo etiam illum inter nō Sanctos retulit, non enim ideo non fuit sanctus, quia asperò victu victitavit; sed quia verum Deum non agnouit, aut si agnouit, non coluit vt decuit. Exemplum Diogenis parcè & tenuiter vitam tolerantis, tuam, Calviniane, condemnat *ingluuiem*, qui tum ieiunas, cum nihil est quod edas. *Hinc tu es irreligiosior; quãdò Ethnicus Diogenes paratior*. Ille Deo idolo gulam suam machat; tu Deo non vis. Ex qua gula quid mirum, si nascatur luxuria; is, *appendices gula lasciuia atque luxuria est*, inquit & verè & scitè Tertullianus.

Grande ergo discrimen propter diuersos fines inter Christianos & Ethnicos exili cibo potuque contentos: Illi amore Dei & patriæ cœlestis sese macerant: Isti insania superstitionis, vel popularis auræ, vel inanis Philosophiæ gratia. Ideo illi laude & præmio apud Deum digni; isti, nequaquam. *Finis*, quod referuntur ea quæ facimus, inquit S. Augu. *id est, propter quæ facimus, quidquid facimus: si nō solū inculpabilis, sed etiã laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt: sin ille iure meritoq; culpatur, quem spectamus & intuemur, cum in aliquo versamur officio,*

Tertul. lib. de ieiuniis.

S. August. lib. de moribus Manich.

id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitauerit. De Catilina memorie proditum est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat. Hac erant illi spurco sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia. Vnde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi sine illo, quem diuersissimum sequebatur? Namque iste illa tolerabat, ut immoderatissimas & immanissimas expleret voluptates: illi è contra, ut eas premerent; & dominantanti rationi seruire cogerent. Hanc doctrinam sancti Augustini si nouisses, aut si nosti, sequi uoluisses, multis certè scholiis & cauillis superfedere potuisses.

Adiungis. Ignatius solus nescio quid singulare habuit in profundendis lachrymis, unde etiam morbus contractus. Nihil uerius, nescis, Misene, nescis, quid sint illæ amoris diuini lachrymæ; quia animalis es, quia carnalis es, & supra carnem nihil sapis; norunt qui spiritum gustarunt. Nouerat sancta Paula, fœmina religiosissima, quæ ob nimiam lacrymarum profusionem periculū oculis creauit, implens illud, ut ait sanctus Hieronymus, de Psalterio: Lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrymā meis stratum meum rigabo; cumque à nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quæ contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa & stibio saepe depinxit.

Sed adhæc noster Misenus est uelut pecus auritū ad lyram: quod satis indicat cū ait; hoc aduersari monito illi D. Pauli: Gaudete in Domino semper

S. Hieron.  
in epitaph.  
S. Paulæ.

Phillip. 4.

semper, iterum dico gaudete. Quasi uero lacrymæ illæ non sint lacrymæ gaudij & lætitiæ, quasi nemo pleret, nisi qui pondere pressus iniquo demittit auriculas, ut iniquæ mentis asellus, hoc est, ut Caluianus. Certè ille ipse, qui hoc semper gaudendi præceptum dedit, ait se seruisse Deo cum omni humilitate & lacrymis, & se per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis unumquemque Ephesorum commonere. Nec tamen dubitare fas est, quin, præcepto suo conuenienter, semper in Domino Apostolus sit gauisus. Abi ergo cum tua Plerophoria Caluianiana; quæ uelut quædam Pandora omnibus quidem lætitiis plena incedere uidetur; intus autem uel ipsis inferorum doloribus pares dolores continet.

His calumniis absolutis, uenit Misenus ad conciones nostrorum, quas ait inchoatas Vicetiæ; quod à crasis, solidis & superstitiosis initium ducendum esset. Vides Lector spiritum Caluianum nemini parcere: integras respubl. & vrbes insectatur; nulli amicus, nulli beneuolus. Lepidum autem illud est, nostros ideo Venetiis non incepisse conciones, quod suspicarentur in tanta Mercatorum multitudine, saltem aliquos, præsertim ex Gallia aut Germania affuturos, qui hypocrisin deprehenderent, & aliis proderent. Ecce tibi quam sagax Misenus, qui odorari potest; quo nā consilio ante sexaginta annos Auctores nostræ societatis Vicetiæ, non Venetiis, publicè in foro & compitis ad populum uerba facere ceperint: Num Misenus fuit antequam esset? Num anima illius, iuxta Platonis decreta, alicubi præ-

Act. 20.

exstitit; iamque non tam discit; quam meminit singulorum, quæ ante coniunctionem cum corpore viderat Vicetiæ & Venetiis; cum nostri patres consultarent, cur conciones Vicetiæ potius, quam Venetiis essent auspicandæ? Quo tempore vel cum Icaromenippo in concauo Lunæ selsitavit, & quid rerum ubique gereretur, & deliberaretur accurate notavit, vel in domo Famæ circumuoluit.

*Vnde quod est vsquam, quamuis regionibus absit.*

*Inspicitur.*

Germanos & Gallos tuos valde scilicet metuebant Patres nostri, qui si Calviniani, aut Lutherani sint, Venetiis non sine hypocrisis degunt; & aliud promptum in lingua; aliud clausum in pectore circumferunt.

Sed vide Calvinistæ huius importunitatem. Patres nostros vocat *agyras*, quod in plateis ad populum verba fecerint. Idem opinor conuicium iacit in Christum & in Apostolos; quotiescunque vel audit vel legit eos extra templum & synagogas ad populum de rebus diuinis verba fecisse; fecerunt autem frequentissime. Certè qui Celsum in aliis libenter ut duceem sequitur; eiusdem hic quoque vestigia non deserit: Quid ergo ille de Christianis? *Cernimus*, aiebat, & *circumforaneos istos circulatores, ostentare ista vulgo iactatissima, non apud cætus hominum prudentium, quod id nequaquam audeant, sed ubicunque animaduernerint adolescentum, mediastinorum, & fatuorum turbam* (nota Misen-

nc)

ne) *eo se ingerere; ibique se venditare*: Ad hanc criminationem, quid reponat Origenes, audi: *Considera, quomodo hic quoque nobis struat calumniam, quos confert cum circulatoribus sandas infandasque nugas garrientibus. At quas tandem? aut quid nos facimus simile? qui lectionibus, earumque enarrationibus populum hortamur ad pietatem erga Deum optimum maximum, ceterasque virtutes, pietatis comites indiuiduas, & abducimus à contemptu numinis, ceterisque affectibus à præscripto rationis exorbitantibus. Imo vel Philosophis optandum esset, ut excitarent tot auditores sermonibus ad honestatem vocantibus, quod factum est à quibusdam, præcipuè Cynicis, publicè apud fortuitum auditorium differantibus. Ergone hos quoque non apud eruditorum, ut videntur, cætus disputantes, sed è triuio sibi quærentes auditoria, conferent cum circulatoribus, in forensibus coronis loquacitatem ostentantibus? At neque Celsus, neque alij incusant, quod habent pro humanitatis officio, sermonibus plebeculam ineruditam instituere. Hæc Origenes.*

Sed fortè Misenus noster, præter expectationem Origenis, hinc occasione calumniandi arripit, dicitque Cynicos esse, qui publicè ad rude vulgus, seu ad promiscuam turbam verba faciant. Sed non effugiet; licet quadrigas Iouis conscenderit, quo minus Christum & Apostolos in Cynicorum classe collocet, quos perspicuum

est

est idem factitasse, quod Patres nostros Vicetizæ, & alibi terrarum egisse proditum est. Sed nunc ad caput nonum accedamus.

Caput nonum, inquis, *plenum est miraculorū.* Nam *ager Ignatius aduentu suo curat Simonem agrotum.* Mox ordine nobis recenset miracula. Primum miraculum est. *Ignatium inter eundem certior sit de futura hominis sanitate.* Non omittere debebas, quod Ribadeneira ait: Ignatium certiore hac de re factum, precibus Deo pro Simone fufis. Quod si addidisses, minus loci habuisset tua illa annotatio: *Hic modus exprimi debebat, quo certior factus est Ignatius, num per visionem, an per Angelum, an per spiritus reuelationem.* Quid si adiecisset Auctor modum, nunquid calumniandi materia tibi præcisa esset, qui eo ingenio es, vt si modus exprimatur, continuo mædacia ingemines; si non exprimatur, statim modum cognitionis rei occultæ petas, quasi crediturus esses, si modus adiectus fuisset; cum nihil minus sit tibi propositum, quam fidem adhibere, quippe qui ad criminationes & calumnias factus sis & factus, nescio cuius artificis manibus.

S. Hier. in vita S. Pauli. Refert S. Hieronymus, Magno Antonio cum iam nonagenarius in solitudine versaretur, hanc cogitationem occurrisse: *nullum vltra se perfectum Monachum in Eremito consedisse.* At illi per noctem quiescenti, inquit S. Hieronymus, *reuelatum est, esse alium vltius multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci.* Quare & hic,

Mise-

Misene, num S. Antonius hac de re sit certior factus per visionem, an per Angelum; an per spiritus reuelationem, an, quod tu de Ribadeneira effutis, *per Hieronymi vanitatem.*

Scribit S. Athanasius, eundem Antonium, S. Athan. cum alia multa diuinitus cognouisse, tum hoc, in vita S. Antonij. quod Monachus quidam, siti in eremo confectus, spiritum exhalaret, altero eandem aleam subituro, nisi Antonij monitu quidam quam primum aquam pereunti obuiam tulissent. *Non multos post illos dies, inquit S. Athanasius, cum duobus fratribus euntibus ad Antonium, aqua in itinere defecisset, & vno siti mortuo, alter iaceret in terra, mortem exspectans: Antonius sedens in monte, celeriter ad se duos Monachos vocauit, & festinato præcepit, vt lagenam aqua assumentes, inuaderent iter, quod ducit ad Egyptum, dixitque; vnus è fratribus huc aduenientibus modo migravit ad Dominum: alter, si non succurreritis, addetur; hoc enim mihi nunc oranti reuelatum est.* Scitare & hic Misene, modum, quo certior factus Antonius, de morte vnus, & de periculo letali alterius, num per visionem, num per Angelum, num per spiritus reuelationem, num per *Asbanasij vanitatem.*

Secundum, inquis, *miraculum.* Verbo sanas Ignatius Simonem, *aquæ ac filius Dei:* Hæc non sunt Ribadeneiræ verba, sed tua mendacia. Verba Ribadeneiræ hæc sunt: Ad Simonem cum venisset in lecto iacentem, ægritudinæque pæne consumptum, hominem amplexus, nihil est, inquit,

quit, Simon, quod timeas, sanabere, atque ita conualuit. *Testes*, inquis, *sunt ipsi Iesuitæ: Quis igitur neget rem ita se habere?* Testis huius rei est Petrus Faber, qui interfuit, & Iacobus Laines, qui id ex Fabro intellexit; & ipse Simon Rodericus, qui hoc Ignatij beneficium, quoad vixit, prædicauit: *Sed isti*, inquis, *omnes sunt Iesuitæ.* Mirum, ni huius rei testes Calvinistas postules: num istos ideo, vt suspectæ fidei repudias, quia fuerunt socij seu filij Ignatij? At quis melius & certius nosse potest, quid parens egerit, quam filij, in eius conuictu & consuetudine educari? Qui, quæso, fuerunt, qui testimonium de Christi miraculis dixerunt? An non discipuli Christi? Et qui ipsi non viderunt; an nõ testati sunt, se ea didicisse ab his, qui oculis suis singula conspexerunt? An non ipse Christus, eo potissimum sine D. Paulo apparuit, vt idoneus resurrectionis testis esset, vt & ipsi fidei conciliandæ causâ, dicere liceret: *An non & ego Dominum vidi?*

Quæ S. Hieronymus de S. Hilarione, quæ S. Athanasius de Magno Antonio memoriæ prodiderunt, nonne ea potissimum à discipulis & familiaribus S. Hilarionis & S. Antonij acceperunt? Hic quoque in Miseno Celsum audire videor, qui de Spiritus sancti sub imagine columbæ descensu aiebat: *Quis hanc visionem vidit, qui fide dignus sit? Quis audiuit vocem cælo adoptantem te Deo filium, præter te vnum, & alterum quempiam ex sociis tibi sceleris pariter atque supplicij?*

Nunc

Nunc ad tertium, vt tu vocas, *miraculum* venis: quod nolo tuis, sed Ribadeneiræ verbis referre. ita ergo ille: Bassani erat Antonius quidam natione Italus, qui in edito colle extra oppidum, vbi templum quoddam sancti Viti est, & iucundissimus amcenam vallem fluminis Meduaci irrigantis prospectus, solitariam vitam colebat. Erat autem Antonius vir senex & grandæuus, prisicæ seueritatis, illiteratus quidem, sed candidus & insigni sanctitatis opinione, qui moribus, & etiam ipso aspectu Magnum illum Antonium nobis, aut Hilarionem aliquem referebat. Noui ego ipse postea hominem. Hic Antonius, cum Ignatium nihil eximium præ se ferentem haud magnificeret, imò verò in corde suo imperfectum duceret: Orationi aliquando impense deditus, ipsum per speciem, Domino demonstrante, virum excelsum atque admirabilem esse cognouit, & ad multorum salutem de cælo demissum: cepitque illum pudere sui, seqüe ac suum iudicium graniter reprehendere, sicut ipsemet postea fassus est. Simile quid sancto Ephremo Syro accidisse fertur; cum minus honorificam opinionem de Basilio magno habuisset. Hic Misenus; *Species illa qua fuit, per quam Dominus demonstrauit talem, esse Ignatium?* Quasi vero necesse sit omnem illam speciem esse fabulosam; quæ in specie à scriptore non exprimitur. Insignem speciem fuisse oportuit, qualiscumq; tandem fuerit; cum Ignatij excellentiam & sanctitatem hæsitanti eremitæ patefecerit.

Quod

S. Lucas  
cap. 1.Orig. lib.  
1. contra  
Celsum.Amphi-  
loch. in vi-  
tam opinionem de Basilio magno habuisset. ta S. Basil.

Quod si speciē illam tam distinctē descripsisset Ribadeneira, quā distinctē descripsit illā Ephremo oblatam Amphilochoius, tu tam distinctē mentitus & calumniatus esses, quā distinctē nunc mentiris & calumniaris.

Addis; exprimat<sup>r</sup> itidem, in quo Italia territorio ille eremita vixerit, quod cognomentum habuerit: An non hoc expressit Ribadeneira? An non ait, vixisse Bassani in edito colle, extra oppidum, vbi templum quoddam S. Viri est, & iucundissimus amenam vallem fluminis Meduaci irrigantis prospectus? An tam cæcus es; vt Bassanum, & territorium Bassanense, certumque eius, definitumque locum non videris? Nam de cognomento quod exoptulas, poteris eodē iure exoptulare cum S. Athanasio & D. Hieronymo; cum illo, quod Antonij: cum hoc, quod Hilarionis cognomentum non expresserit. *Annum* itidem designari vis & *ensem* & *diem*: Annum inuenisses, si numerare vel voluisses vel potuisses. Accidit enim hoc anno Domini 1537. Vt *ensem* & *diem* exprimat historicus, sapissime non necessarium est; aliquando superuacaneum. An non tu ipse, qui hæc omnia tam anxie contra morem historię exigis, hac ipsa pagina & nomen & cognomen & patriam & locum; vno verbo; omnia eius retices, quem dicis omnibus Iesuitis testimoniorum fidem & religionem ademisse, cū tamen ad fidem faciendam vel maximè referat scire, quidnam hominis ille sit; cui Iesuitæ adeo omnis fidei sunt expertes.

Sequitur quartum, vt appellas, miraculum. Quidam ex decem primis patribus ad Antoniū Ere-

Eremitam se conferre statuerat; vt num satius esset vitam solitariam ducere, an inter homines agere; cum eo deliberaret: sed prohibitus est, viro quodam terrifici aspectus; cui strictus in manu gladius, sibi occurrente, & ne progrediretur, impediēte. Nemo negauerit, ait Misenus, fuisse Angelum. Angeli autem boni & mali; de bonis non legimus eos apparuisse aspectu terrifico. Ergo proculdubio malus fuit. Quid? An quia tu non legisti; qui nihil legisti; ideo nemo legit Angelos bonos terrifici aspectu apparuisse? An non Angelus bonus fuit; quem vidit Balaam stantem in via euaginato gladio? Nonne Angelus bonus fuit, quem vidit Dauid stantem inter cælum & terram, & euaginatū gladium in manu eius, & versum contra Hierusalem, qui Dauidem ita perterrefecit, vt non præualeret ire ad altare, ait Scriptura, nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. Abi ergo cum tuo illo proculdubio, quod quotiescunque promis, toties proculdubio mendacium promis.

Ceterum non contentus hoc argumento historię fidem debilitasse; eandem nunc longè validiore tormento prosternit scilicet; *Vt dicam, quod sentio*, inquit, *fabulosa mihi videtur tota narratio*. Quis ergo amplius dubitet? Misenus sic censeat; sic sentiat, sic vult, sic iubet. Est ergo fabulosa tota illa narratio. Quare verò fabulosa? Conficta, inquit est, ad pueros terrendos, ne à Iesuitis discedant. Agnosco & hic Celsi discipulū, nisi quod ille criminabatur terriculamēta quædam à Christianis adhiberi, vt alios capiant: hic

Num. 22.  
2. Reg. 24.  
1. Paralip.  
24.



Orig. lib.  
2. contra  
Celsum.

à Iesuitis, vt captos retineant. *Qualibus versutiis, & fictitiis terriculamentis vulgus attrahamus, vt Celsus temere obiicit, Proferat, qui vult, inquit Origenes, nisi forte quod de Iudice, deq; hominibus in eo iudicio rationem factorum suorum postulandis docemus, astruentes id variis modis, vel scripturarum auctoritate vel argumentis probabilibus, id iste habet pro terriculis fictitiis.* De eodem alibi idem Origenes: *Celsus putat nos ad obstupesciendum vulgus hac fingere; quasi necessario poena peccatorem manent. Quapropter confert nos cum quibusdam profertibus spectra & terriculamenta in Bacchanalibus.*

Orig. li. 4.  
in Celsum.

Capite decimo exponitur quomodo patres, Academijs Italię inter se distribuerit & adierit; Vbi Misenus; nihil aliud egerunt, quam quod agyrtę facere solent, in publicis plateis venales prostituerunt suas superstitiones. Si concionari, populumq; in publicis plateis erudire agyrtarum munus est; non effugies, quocunq; te verteris, quo minus Christus & Apostoli sint agyrtę & circumforanei, præsertim S. Paulus; qui cum Athenis esset, non modo disputabat cum Iudeis in Synagoga, sed & in foro (en circumforaneum) per omnes dies ad eos, qui aderant. Aderant autem præter ceteros & Epicurei & Stoici Philosophi.

Act. 17.

CAPVT

CAPVT IV.

*Diluuntur cauillationes Miseni in caput vñ decimum & duodecimum.*

**I**N capite vñdecimo, inquit Misenus, *preparat se Ignatius ad idolum Mæozim: ita enim blasphemus sacrosanctum Missę sacrificium nominat: Sed hanc Lutheranorum & Calvinianorum blasphemiam refutauit iam dudum Bellarminus, ostenditq; missam nihil, Hæreticorum autem perfidiam multum cum idolo illo Mahuzim commune habere: Initium preparacionis, ait Misenus, est Idololatria.* Quia videlicet Ignatius Beatissimam Virginem Mariam perpetuò obsecrabat, vt ipsum apud filium suum in gratiam poneret: En idololatriam, quam ab Ignatio, absit vt amoliar, quando illam cum tota antiquitate communem habet, exceptis tamen illis, quos tota orthodoxa antiquitas tanquam sceleratos Hæreticos detestata est. Ex quorum numero Vigilantius, Eunomius, & ceteræ de genere eodem pestes.

Bellar. lib.  
1. de Missa  
cap. 1.

*Appellat, inquit Misenus, Mariam cœli ianuam; ita falsum est, quod Christus se esse ianuam dixit.* Si in proprio *ianus* significato nimis hæreas, nec Christus, nec Christipara ianua est: si animum ad metaphoricum sensum transferas, & Christus & Maria ianua est: primaria Christus, secundaria D. Virgo, vt & alij cœlites, quorum ope & precib<sup>9</sup> in cœleste regnū introducimur, qui nobis hoc ipso *ianua* loco sunt, quod intercessionis sue apud DEVM aditum ad sempiterna illa gaudia nobis patefaciunt; nec est, quod aliam

Q 2

aliam

aliam notionem in hoc *ianua* vocabulo quæras. Euanesceit ergo tua illa cauillatio: *Fortè Iesuitis dua cæli ianua patefcunt*: non duæ modò, sed & tot, quot deprecatores habemus apud Deum: Caluinistis *noctes atque dies pater atri ianua diris*; quia ianuas cæli sponte sua, vel potius malitiâ suâ sibi occludunt.

Adiungis. *Ita preparatus Ignatius denuo illustratur, sed non ita copiosè, vt Manresæ.* Recitas quid tu fingas, non quid Ribadeneira scribat. Ait enim Ignatium Venetiis, Vicetiæ, aliis in urbibus & in via Româ ad eò mirabiles illustrationes habuisse vt restitutus sibi in eum statû videretur, quem Manresæ habuisset. Hoc aliud, nisi fallor, est, quàm quod tu nobis occinis. Ex omnibus vnam illustrationem seu apparitionem maximè illustrem recenset Ribadeneira his verbis: Accidit, cum ad urbem appropinquarent, vt in tēplum desertum, & solum ingressus, oraret ardentius. Ibi mutatum prorsus cor eius est, oculiq; mentis clarissima luce collustrati ita sunt, vt perspicuè videret, quomodo Deus pater, Deo filio crucem gestanti, Ignatium sociòsque peramanter commendaret, in eiusque dexteram inuictam & patrocinium tradaret. Aduerte Lector, quàm firmis rationibus miraculum hoc euertat Misenus. *Hæc, inquit, vera esse credam, Iesuitæ, sed hac conditione, vt in mei gratiam vos vicissim credatis veras esse Metamorphoses Ouidianas.* Alterum argumentum. *Iesuita profectò nos habent pro brutis pecudibus, quibus eiusmodi nugæ quasi*

*quasi pabula obiciant.* Quæ est ista Miseni refutandi ratio? Quæ calumniandi libertas, imò importunitas? Quid hoc refellendi genere non refelletur, si satis sit historiæ alicui apposuisse talia conuicia, qualia tu relationi Ribadeneiræ apponis? Supra docui te, quomodo, teste S. Paulino, cuius corrigiam calceamentorum tu indignus soluere, naufrago cuidam catechumeno apparuerit *Christus cum cælesti Angelorum militia*; nec apparuerit modo; sed & vice & munere nauarchi functus nauim ex sæuis ponti fluctibus ereptam ad optatum portum applicarit: tu vel tui similis calumniator, nihil credere solitus, nisi quod liber, hoc scholium adiicias; *Hæc vera esse credam, Pauline, sed hac conditione, vt in mei gratiam vicissim credas, veras esse Metamorphoses Ouidianas*: Et; *Paulinus profectò nos habet pro brutis pecudibus, quibus eiusmodi nugæ quasi pabula obicit*: an ob id fidem narrationi Paulini detraxerit? An non potius criminandi summam licentiam & impudentiam prodiderit?

Refert Sulpitius Seuerus Deiparam Virginiem: Apostolos Petrum & Paulum, aliòsque cœlites sæpius cum B. Martino colloqui conuenisse; quod à discipulis illius cum non semel obseruatum esset: tandem ipsum beatissimum virum aggressi sunt, vt ex ipso intelligerent, num res ita sese haberet. Rem his verbis recenset Sulpitius: *Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur: ac tum eum iste Sulpitius (sicut apud eum nemo familiaris loquebatur) cepit*

Sulpit. de-  
calog. 2.

orare, ut perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocatus: tenuerunt enim nos licet, & vix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multumque cunctatus, (sed nihil erat, quod ei Sulpitius non exorqueret inuito) incredibilia forte dicturus sum, sed Christo teste, non mentior: nisi quisquam est tam sacrilegus: ut Martinum æstimet fuisse mentitum) Dicam, inquit, vobis, sed vos quaeso nulli dicatis: Agnes, Thecla, & Maria mecum fuerant; referabat autem nobis vultum atque habitum singularum. Nec verò illo tantum die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari: Petrum etiam & Paulum Apostolos videri à se sapius non negauit. Hæc Sulpitius: Quid facilius, quàm vt calumniator quispiam Miseno similis, hæc quæ Sulpitius memorat, transformationibus Ouidianis annumeret: Sed num propterea apud prudentes Lectores; & qui rem non odio; sed iustis momentis ponderant: narrationem Sulpitij suspectam aut falsam reddet?

Deinde quæro ex te Misene, cur hæc historia videatur tibi fabula? An quia nulla similis in tota antiquitatis memoria reperitur? Atqui multæ non modo similes inueniuntur, sed & longè mirabiliores, & in primis illa, quam memoriæ prodidit Paulinus. An coniciis apparitionem hæc esse commentitiam ex contrario euentu? Atqui euentus grauisissimi negotij, planè is fuit, qui in hac apparitione prædi-

ctus

ctus memoratur: cum enim Iesus Patres sibi à cœlesti Patre commendatos in se recepisset; blando placidoque vultu, vt erat in cruce, ad Ignatium conuersus: Ego, inquit, vobis Roma propitius ero. An non Romæ & in toto terrarum orbe Ignatio sociisque propitius fuit? Nonne Ignatius & socij difficillimis temporibus, non modo inter Catholicos; sed & in medio vestri cœtus; hoc est, inter hæreticos ipsos, collegia, templa, gymnasia erexerunt; quantumuis vobis licet gementibus & freudentibus: idque non in vna aut altera prouincia duntaxat; sed quæ patet orbis Christianus, imò & vltra Christiani orbis fines, intra tam paucos annos? An non hæc sunt euidentia promissionis illius diuinæ argumenta? An non hæc vnica societatis propagatio satis indicat, apparitionem illam & pollicitationem non fuisse vanam; nec ab Ignatio fictam: qui si illam doli fruendi, aliosque in errorem inducendi gratia finxisset; ausim dicere, nunquam futurum fuisse, vt tantis successibus, vobisque Caluinianis & Lutheranis tam inuidendis, augetur hæc societas. Filii Dei, Iesus crucifixus, hoc tam impudens mendaciū, impunitum nõ reliquisset; sed tam Ignatij, quàm sociorum conatus vbiq; iure optimo irritos reddidisset. Tu tamen Misene planè contrariū accidisse vides, nec vides tantum, sed dolens. Cur non igitur vel hoc vnico argumēto, velut ad ipsam veritatē manu ductus, fateris id publicè, quod forsan occultè, velis nolis, fateri te cogit tua conscientia? Ex euentu, ex exitu possumus præter cetera, rei veritatem colligere,

Q4

euen-

euent<sup>9</sup> fauoris cœlestis Ignatio promissi; in propatulo est, quid tergiuerfaris? quid noctuæ instar ad solis lumen cæcutis?

Quod si incredibile tibi videtur Christum cum cruce apparuisse Ignatio, eaque de causa totum factum negas; quid ages de S. Porphyrio, viro sanctissimo, Episcopo Gazæ, æquali Chrysostomi, cui Christus non modò cum cruce, sed & in cruce visus est. Historiam his verbis sub persona S. Porphyrij commemorat Marcus eius diaconus, sociusque laborum; quos magnus ille Antistes exantlauit, traducendis ad Christianam religionem Ethnicis delubrisque euertendis: *Quadraginta abhinc diebus, cum ego essem in Vigilia S. Dominicæ, me inuasit dolor. quem cum non possem ferre, iui & recubui prope sanctam Caluariam: & cum præ magno dolore essem veluti in ecstasi, video Seruatorem clauis affixum in cruce, & vnum ex latronibus cum ipso pendentem in alia cruce, & incipio clamare, & dicere vocem latronis: Memento mei Domine, quando veneris in regnum tuum. Respondens autem Seruator, dixit latroni pendenti: Descende de cruce, & serua illum, qui recumbit, quia tu quoque fuisti seruatus. Latro verò descēdens de cruce, me cōplexus fuit, & deosculatus: & porrecta dextera me fecit surgere, dicens: Veni ad Seruatorem, & statim surrexi, & cucurri ad eum, & video ipsum descendisse de cruce, & mihi dicere: Accipe hoc lignum, & serua. Cumque accepissem, & portassissem hoc preciosum lignum; statim ad me redij ab ecstasi, & ab ea hora*

nullus

Marc9 Diaconus in vita S. Porphyrij.

*nullus dolor mihi fuit amplius, neque apparuit locus morbi.*

Exere & hic tua, Misene, maledicta, illudque Calvinianæ mansuetudinis intona: *ad cruce[m] & rotam cum deceptoribus illis; quæ nobis imprecaris, ea solum de causa, quia Ribadeneira testimonio Iacobi Laines præpositi Societatis nostræ; & Ignatij in illo itinere comitis, visionem hanc comprobauit. At cuius testimonio vis eam comprobari? Ignatij fides apud te dubia est, imo nulla. Fides Iacobi Laines, & Petri Fabri sociorum Ignatij nihil ponderis apud te habet. Ribadeneiram reiicis, nemo alius interfuit; nemo visionem hanc, nisi ex ipso Ignatio scire potuit. Quos ergo testes desideras? An vis vt ipse pater cœlestis cum Filio ad te descendat; tibi que rem ita gestam esse testificetur, quorum testimonia num admitteres, ego sanè valde dubito; cum enim Calvinianus sis, credere non posses, conuenienter tuis dogmatis, illum esse Christum, qui tecum loqueretur, quandoquidem cœlo capitur; vt vos loquimini: hoc est, captiuus tenetur, nusquam extra cœlum præsens. Quæro ex te, vndenam sanctus Paulinus didicerit, & ex cuius ore scriptis prodiderit, admiradam illam Christi apparitionem catechumeno factam? An non ex ore ipsius catechumeni? Ergo si Ignatius hanc visionem commemorasset non Iesuitis, hoc est, comitibus suis; sed externis, tum demum assensus fuisset; tū demū te historiam nō Plauti pseudolum lectitare cogitasset. Mirabar hætenus te mendacii, falsitatis & dolis adeo abundare;*

nunc postquã, te indice, intelligo, te tam diligentẽ Pseudoli lectorẽ esse, mirari desino Misenum in Pseudolum commutatum, aded vt nullus in te sit candor, nullus pudor; frons nulla; totus deniq; Λεῦδος es; ἡ δὲ δόξα, iudice me, cruce dignus & rota; vt tua tibi verba reponam.

Caput duodecimum continet Ignatij duorumq; Comitum ingressum in vrbẽ. Romæ ergo Faber sacram Scripturam; Laines scholasticam Theologiam explicare cœpit: *Nota*, inquit Misenus, *Roma duplicem esse Theologiam*: imò non modò Romæ; sed & Ingolstadij & Dilingæ, & Herbipoli, & Moguntia, & Colonia, & Louanij, vno verbo; vbi cunq; Caluinus aut Lutherus nõ est; tibi duplex Theologia est, nõ natura & essentia; sed docendi ratione & forma, quarum altera ad captum plurium accommodatior; altera subtilior & accuratior; & supra captum Calvinistarum & Lutheranorum: quamuis non supra cõuicia. Quo enim hæc illorum spicula non penetrant? Ignatius Romæ concionibus habendis insudauit; & spiritalibus exercitiis nõnullos excoluit; & in his Doctorem Ortizium Caroli Cæsaris legatum; qui *nouam quãdam Theologiam* vsu illarum meditationum sese addidicisse ferebat. Vbi Misenus: *accedit iam tertia Theologia ad duas superiores*. Tertia est, non natura & essentia; sed modo & forma, qua tradi consuevit: Vtinam, Misene, versator esses in hac Theologia; cuius obiectum *Christus crucifixus*; seu, *nosse Deum*, & *nosse seipsum*. Quàm præclarè faceres, si relicto Pseudolo huic Theologiæ, corde contrito & humili-

liato operam aliquam nauares. Sed quid hæc furdis auribus?

Pergamus. *Putabam nos, inquis, quasi è mendaciorum colluue emerfisse, sed video nos iterum in eandem delabi*. Vitio tuo id accidit, Misene; qui mendacia mendaciis accumulatas, recens & integer post vetera semper ad noua. Ait Ribadeneira: Dum in monte Casinate Ignatius est, Hozius Patauij excessit è vita: Qui cum nigellus esset ac deformis, tãtum decoris eius mortui ori splendorisque additum est, vt animum Codurius fatiare illius non posset aspectu, nullum intuendi illum finẽ faceret; magna animi læritia, lachrymarumque abundantia. Hæc Ribadeneira. At Misenus; *Si quis huic rei, inquit, fidem derogat, cum illo ego non litigabo*. Scribit S. Hieronymus, S. Hilariõnem decimo ab obitu mense repertum & translatum esse *illasa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viueret, integro, tantiq; fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur*. Si quis huic rei fidem derogat, cum illo etiam non litigabis: vt nec ego cum illo, qui credet nulli vnquam Calvinistæ euenisse id, quod euenit Hozio; nec Hozio soli, sed & aliis interdum virtute & morum innocentia præstantibus viris: quorum gloriam Deus aliquando his ad corpus redundantibus notis pulchritudinis declarare voluit. Sulpitius de S. Martino vbi iam Sulpit. e- iam exspirasset: *Testari nobis sunt, qui affuerant, p. 30. iam ex animo corpore glorificati hominis vidisse gloriam: vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera ne tenuis quidem macula fuscaret.*

Porro Hozij animam clarissima luce circū-  
fufam, in cœlumq; penetrantem visam esse ab  
Ignatio, testatur Ribadeneira: & quidem in mō-  
te Casinate, vbi olim diuus Benedictus, teste S.  
Grégorio, Germani Capuani Episcopi animam  
in Sphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri aspe-  
xerat. Hic, Misenus, relicto Ribadeneira, impe-  
tum facit in Gregorium Magnum, tanta sancti-  
tate & eruditione virum; vt quisquis eum men-  
dacij vel imposturæ arguit, is non nisi mendax,  
vanissimusque impostor ab omnibus haberi &  
proclamari debeat. Primum *quæri possit*, inquit  
Misenus, *an verè Gregorius hoc scripserit; quem no-  
tum est à supersticiane non fuisse planè alienum, &  
valde liberalem in eiusmodi fabulis.* Quis iam mire-  
tur Ribadeneiram tot calumniis onerari à Mi-  
seno; cum pro Caluiniana sua modestia ne Gre-  
gorio quidem Magno parcat? At quali & quan-  
to? Quis miretur Misenum pertinaciter & im-  
pudenter negare miracula Ignatij; cum reiiciat  
miracula S. Benedicti ante mille & amplius an-  
nos in Ecclesia Christiana summa sanctitatis o-  
pinione florētis? Quod si Gregori<sup>9</sup> Magnus ideo  
superstitiosus & fabulosus est; quia visionem il-  
lam S. Benedicto diuinitus oblatam scriptis cō-  
signauit: Oportet profecto & S. Hieronymum  
& S. Athanasium insignes fabulatores fuisse; qui-  
pe qui simile quiddam de S. Antonio scriptum  
reliquerint, sine vllius fabulæ suspitione, donec  
Lutherani & Caluiniani fabulatores, in fausto fi-  
dere, sunt exorti.

Sed probat Misenus fictitium esse, quod san-  
ctus Gregorius de S. Benedicto scribit: *Quia in-*

*ter fabulas etiam referri potest hac, qua narrat, Soli-*  
*tarium quendam, magna virtutis virum, apud Lipa-*  
*ras habitantem, qua die Theodoricus Gotthorum Rex*  
*excessit, Gottho cuidam nobili dixisse; visam à se Re-*  
*gis Theodorici animam, quæ à Ioanne Pontifice; &*  
*Symmacho Patrio in ollam Vulcani (sic vocarunt*  
*Aeoliarum insularum voragines) mergenda porta-*  
*retur. Totus neruus tuæ argumentationis confi-*  
*stit in hac collectione. Hæc narratio Gregorij de*  
*anima Theodorici regis fabulosa est: Ergo & il-*  
*la de anima Germani Capuani. At si ego dicam:*  
*Hæc narratio de anima Theodorici regis verif-*  
*sima est, ergo & illa de anima Germani Capua-*  
*ni; quomodo me refelles?*

*Anima, inquis, & Angeli non possunt videri;*  
*falsum igitur est, quod Gregorius tradit. Huc e-*  
*nim tendunt tua illa verba: Deinde quæri potest,*  
*an anima defunctorum & Angeli cerni possint, &*  
*qua forma. Quid? dubitas an Angeli videri que-*  
*ant? An non Iacob Patriarcha Angelum facie ad*  
*faciem vidit? An non Angelum vidit Balaam?*  
*An non Angelum vidit Manue, & alij in libris*  
*Iudicum? An non Angelum vidit Dauid, Tobia-*  
*s, Zacharias, D. Virgo, alij innumeri? Sed quæ-*  
*ris de forma. Lege sacras litteras, & qua forma*  
*Angeli apparuerint; cognosces. Qua forma, nisi*  
*aspectabili? Si Angeli corporis expertes sub sen-*  
*suum cadere possunt, assumpta visibili forma, cur*  
*non & animæ sub simili forma oculis repræsen-*  
*tari possent?*

Vidit beatus Antonius animam S. Pauli E-  
remitæ ad cœlos subuolantē, vt testatur sanctus  
Hieronymus.

Hieronymus. Vidit idem Antonius animā Ammonis Monachi ad eadem gaudia proficiscentē, ut auctor est S. Athanasius, qua forma, nisi visibili: non quod anima natura sua oculis sit conspicua; sed quia cōspicua sit Angeli instar, in ea, qua, ut ita dicam, amicitur forma. Sed præstat audire ipsum S. Hieronymū hæc de Antonio ad S. Paulū proficiscente memorantē: *cū dies altera illuxisset, & trium horarum spatio viam remeauisset, vidit inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum populos, niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere: Et statim in faciem suam procidens sabulum capiti superiaciebat, ploransque & eiulans aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur insalutatus abis? En hic non vnā Pauli animā, sed plures simul visas audis, vnā cum Angelorum choris. historiam de anima Ammonis pauldō pōst dabo.*

Adiungis: *Qua re probat Ignatius, se hoc dono diuinitus ornatum, ut possit non solum oculis videre animas, sed etiam discernere? Eodem modo animā Hozij agnouit & discreuit, quomodo S. Antonius animam Pauli eremitæ, & animam Ammonis Monachi agnouit, & ab aliis discreuit: & eo modo, quo S. Benedictus animam S. Germani Capuani Episcopi agnouit, per internam videlicet reuelationem & inspirationem, vel per externam speciem ad id notificandum aptam: Addis: Fertur quidē, ut Sozomenus scribit, Ammonis defuncti animā ab Antonio Eremita in cælum deferri visam: sed quia Sozomenus ab aliis narrat a refert, nec Auctorem indicat; in dubio videtur historiam illam relinqueret*

Sozom. li.  
1. cap. 14.

*relinquere. Quia tam impudens es, ut propter illud fertur, certissimam historiam audeas facere incertam, agedum proferamus duos auctores, qui historiam istam sine tuo fertur, recēsent, Quorum alter Socrates, Ammonis animam, inquit, Socr. li. 4. post mortem ab Angelis in cælum sublata, Antonius, qui iisdem vixit temporibus, vidit, quemadmodum ab Athanasio Alexandria Episcopo in eius visa commemoratum est. Athanasij locus à Socrate citatus est iste: Alio tempore cū sederet Antonius in monte, & oculos tetendisset in cælum, vidit animam latantibus in eius occursum Angelis ad cælum pergere: cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatum dixit Sanctorum chorum, orauitque, ut sibi presentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est, inquit, istam esse Ammonis Monachi animam, qui Nitria morabatur. Habes ergo animas & videri posse, & visas esse. Si plures desideras, consule S. Gregoriū, qui huius generis plures appariciones memoriæ prodidit.*

S. Greg. li.  
4. Dialog.

Quare, quod Plato & Plutarchus, quorū testimoniā producis, aiunt, animas sensu non cōprehēdi, id de animab. præcisē, secundū substantiā suam spectatis intelligendum est: nō de animabus forma aspectabili representatis. Quod si cōtēdas animam, ne externa quidē forma indutā in oculos incurrere posse; tum vide, quo pacto Angelorū appariciones, quæ in sacris literis continentur, defendere vel potius eludere velis.

Nec semel tantū Ignatius, sed secūdō Hozij animā vidit; nā cū rei sacre daret operā, & in generali cōfessione (quæ ante Missā p̄mittitur) ad illa verba guenisset (Et omnib. Sāctis) magnū Sāctorū

nume-

numerum fulgētem gloria ante oculos positum vidit: inter quos & Hozius aderat; splendore, quam reliqui, habitu, gloriaque multo illustriore. *Hæc, inquit Misenus, vanissimè exponuntur, & ea impudentia, quæ vix in hominem cadit.* Transfer hæc verba ad te, Misene, & vera confitebor. Quæ enim maior impudentia; quam quiduis eo solum nomine impudentiæ & mendacij arguere; quia nolis credere, non allata vlla vel in speciem probabili ratione, quare nolis credere? Quæ quidem ratione, nihil est tam firmum, nihil tam testatum sanctumque; quod non inficiari queas. Refert sanctus Ambrosius apparitionem quandam B. Agnetis parentibus factam. his verbis.

S. Ambro.  
serm. 90.

*Dum parentes D. Agnes assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumultum eius; vident in medio noctis silentio exercitum virginum; quæ omnes auro textis cycloidibus indusæ cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem; & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas Virgines parumper gradum figere: Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit. Quid, Misene, cōtra Ignatij visionem garrire potes, quod non pari petulantia aduersus hanc à tanto viro conscriptam visionem obiicere queas, si tibi*

impu-

impudentem esse, libeat; quando autem non libet?

Quod verò Ignatius Hozii præ ceteris splendore notabilem & eximiū conspexit; id non accidit quod ceteris, qui apparuerant, cœlitibus beatior esset, sed quia Deus hunc nonum cœli indigenam, Ignatio supra reliquos gloria & honore coruscantem, saltem quoad speciem externam demonstrare voluit; idque ideo, quia Ignatio notus fuerat, & quia æquum erat, ut qui iam primū cœli quasi possessionem acceperat; peculiare itidem aliquid præ se ferre videretur: quasi tota illa apparitionis pompa in illius & Ignatij gratiam fuerit instituta. Quocirca beatus quoque Antonius licet Angelos, Prophetas & Apostolos Pauli Eremitæ animam ad cœlum deducentes vidisset, ipsum tamen Paulum præ ceteris niueo candore fulgentem conspexit, ut Auctor est sanctus Hieronymus. Nec mirum: Ipse enim quasi sponsus ad cœlestes illas nuptias introducebatur. Ipsius gratia totum illud sacrum agmen processerat.

*Sed hic, inquis, latet quoddam mysterium, quod me pene effugerat.* Magnum certè mysterium oportet fuisse, quod te fugerit, præsertim si mysterium iniquitatis & mendacij fuit, horū enim mysteriorum nimis quàm gnarus es, quod perspicuè demonstrant hæc tua verba. Narratio illa de Hozio hanc vim habet, ut intelligamus Iesuitarum animas, simul atque corporibus excedunt, rectà in cœlum ferri, non in purgatorium. Mi Misene; nihil minus hæc historia indicat: sed hoc tantum; Omnes illos, qui Hozij sunt à purgatorio liberos rectà

R ad



ad cœlum euolare. Vtrum autem omnes sint Hozij, non arbitrator tibi notum esse sed Deo.

## CAPVT V.

*Refutatio calumniarum in caput decimum tertium, & reliqua vsque ad decimum octauum.*

**I**N capite decimotertio deliberatur Romæ a patribus de Societate constituenda. Ante deliberationem, inquit Ribadeneira, concionibus habendis populum erudierunt, quibus effectum est, vt populus longo interuallo ad confessionis atq; Eucharistiæ Sacramenta piè frequentanda moueretur. Hic Misenus: *Ergo antequam Iesuita Romam venerit, Sacramenta ita piè frequentata non fuerunt, & quidem longo interuallo, id est, multorum annorum spatio; Interim tamen Roma ab omnibus aliis gentibus pietatis forma petita, vbi nulla pietas fuit, testibus ipsis Iesuitis.* Libenter testimonia Iesuitarum accipis, cum tibi vel contra ipsos Iesuitas, vel contra Romam Romanamq; sedem facere videntur. Cur non eorundem testimoniis fidem adhibes, cum vel pro Iesuitis, vel pro sede Apostolica faciunt? Deinde Ribadeneira non dixit: aut si dixisset, tuo more, id est, falsè dixisset: *Romæ nullam fuisse pietatem ante nostrorū patrum conciones.* Cur ergo tu auctori affingis, quod ei nunquam in mentem venit? Aliud est Sacramenta Eucharistiæ & Confessionis non fuisse piè frequentata; aliud Romæ nullam fuisse pietatem: prius asseruit Ribadeneira; posterius tuum figmentum est. Aliud est Sacramenta

menta semel vel iterum quotannis suscipere; quod Romæ perpetuè fiebat, cum pietate & reuerentia debita; aliud piè frequentare, hoc est, octauo quoque die, aut decimo quarto; aut singulis mensibus, aut festis potioribus ad Confessionis & Eucharistiæ mysteria accedere: quem morem, si nostri concionibus suis denud instaurarunt, rem videlicet longè saluberrimam cunctisque fructuosissimam, & prisicæ Ecclesiæ consuetudine consentaneam instaurarunt.

Addis. *Auricularis illa confessio, si necessaria iudicata ad salutem, cur cum animarum dispendio tot seculis intermissa? si habita a Diácoro, cur Romæ neglecta; & alibi homines Christiani ad eam adacti?* Nunquam intermissa est Confessio aut Romæ, aut alibi, sed frequēs & liber, hoc est, nullo præcepto susceptus Confessionis vsus. Confitebantur homines, quando id vel diuinum vel humanum præceptum exigebat; sed non frequentabant hoc Sacramentum, iis temporibus, quibus id ius diuinum vel humanū non præcipit. Quare patres illi non confessionem, quæ nunquam intercidit; sed Confessionis frequentem vsus repararunt. Nec alibi quisquam aliter ad Confessionem adigitur, quàm Romæ. Idem enim de Confessione mandatum acceperunt omnes tam Romani, quàm Germani.

Quod autem ais, *Confessionē auricularē neq; esse iuris diuini, neque fuisse in vsu Ecclesiæ temporibus Apostolorum, & hos secutorum patrum,* id videlicet facilius asseris, quàm probas. Errorem hunc, si te veritatis cognoscendæ cupido tenet, facile tibi eripient Bellarminus & Gre-

Bell. tom. 3. lib. 3. de pœnit. Gregor. de Valent. tom. 4. d. 7. q. 2. p. 2.

gorius de Valètia, ex quibus etiam discès, quàm verè hic affîrmaris, *confessionem nihil facere ad remissionem peccatorum; ipsi Decretis Pontificiis attestantibus.* Vbi & quænam ista sunt decreta Pontificia? Fortè intelligis canones à Gratiano de pœnitentia d. 1. contra necessitatem confessionis productos? At nullum esse ex omnibus canonibus, quos Gratianus citat, qui necessitatem confessionis neget, ostendit iam dudum ille idè Gregorius de Valentia contra Kemnitium, nisi tu fortè pro canone nobis obtrudere vis errorem & hallucinationem Gratiani, putantis, liberum esse, siue quis confessionem arbitretur iure diuino necessariam; siue secus; falsoque asserentis, *utramque sententiam habere fautores sapientes & religiosos viros.*

Capite decimo quarto exponit Ribadeneira, qualis Romæ in nostros exorta sit tempestas, & quo pacto sedata. *Summa est, inquit Misenus, à Lutheranis fuisse Ignatium insimulatum hæreseos, & absolutum à Legatis Pontificiis. Quis autem hoc credat, verum Lutheranum hoc vnquam ausum fuisse Romæ; quod hic scribitur. Monachus fortasse existit, qui maturè odoratus est, quid hæc secta sibi veller.* Monachus fuit, qui Ignatium, sociosque Romæ accusauit; sed Monachus Lutherizans; cui Lutherus circum præcordia; quod euentu docuit, quando deinde posita larua ad Lutheri castra transfugit, vt ait Ribadeneira. At tibi videtur incredibile Romæ Ignatium à Lutheranis accusatum; Mihi itidem incredibile videretur, si Ribadeneira scripssisset, accusatorem hunc fuisse publi-

publicum Lutheranum; At quia sub Catholicis, & quidem Monachi velo delitescebat, non mirum ed impudentiæ progressum esse. Quid enim non audet corde Lutheranus, ore Catholicus; in quo simulatio cum improbitate certat? Quid non audet lupus vellere ouis tectus? Audacior longè & perniciosior est, cum apparet is, qui non est, quàm cum videtur is, qui est.

Adiungis. *Quod quidam Hispanus, nomine Michaël Ignatium vocarit hominem facinorosum & perditum; qui diuina & humana iura omnia peruertat; id nos latuisset, nisi Iesus & ipsi prodidissent.* Etiam laulisset te Christum à Iudæis Samaritanum, à Diabolo occupatum, potatorem vini, sociumque publicanorū appellatum esse, nisi id prodidissent Evangelistæ. Ac vt Hispanum illum, non plane mentitum esse, te facile credere ais; ita ego facile mihi persuadeo, te facile credere, Iudæos illos, nō planè esse mentitos, videris enim eiusmodi homo, qui nihil boni de villo bono credere vel queat, vel soleat.

*Absolutio, inquis, Ignatij nulli mirâ videri debet. Nec Ribadeneira mirâ vocauit: nam quid mirū, si innocens absoluatur? Illud mirū fuit, quod eo tēpore, quo iudicium de Ignatij & sociorum fama agebatur; oēs qui aliquando iudices vitæ Ignatij fuerant, ex disunctissimis regionib. Romanam aliis de causis venissent: qui omnes vno ore Ignatio testimoniū innocentiae libentissimè perhibuerunt. Non erat opus, inquis, tot testibus accersitis ex Hispania, & aliis locis, multò minus exēplo sententiæ, quæ fuit absolutus.* Si Ribadeneira testes nō nominasset: nec exēplū sententiæ scriptis

suis inferuisset, ausim dicere; te cum eodem expostulaturum fuisse; cur ea, quæ maximè videntur ad historię veritatem facere, præterisset. Nunc cum omnia fidelissimè exposuerit; vociferaris, his non fuisse opus, ac proinde quidquid agat auctor, tu semper paratam habes materiam texendi vtilissima scholia, hoc est, vt quiuvis fidus interpretes interpretabitur, Calviniana conuicia & mēdacia. Nec placet tibi decretum pro nostris à vicecamerario Almę vrbis editum: Dolerem si Calviniano placeret; cui nihil sapit, nisi Caluinum oleat. Displicere hæreticis; argumentum est bonitatis & innocentie.

In capite decimo quinto Ignatius, sociiq; partim in vrbe, partim foris, Ecclesię nauant operā. *Obseruanda*, inquit, *hic commendationes Iesuitarum à Iesuitis profecta; quod alij scilicet deessent, à quibus laudarentur*: Quæ lex prohibet; ne quis eiusdem Ordinis scriptis mandet; si quid ab eiusdem ordinis hominibus fructuosè ad salutem animarum, & ad gloriam Dei illustrandam accommodatè gestum est? Quod fit, non penuria præconum, sed quia plerumque socij melius norunt, quid à sociis præstitum sit, quàm externi; alioquin instituti nostri & laborum adeo nobis laudatores non desunt; vt arbitrer pauciores ex hæreticis vituperatores fore; si pauciores laudatores haberemus.

Charitati nostrorum in egenos tempore famis, *Si absuit*, inquis, *hypocrisis; facile patimur id tribui, quod rectè factis debetur*. Scilicet rectè factis tribui nequit id, quod debetur, nisi Misenus pa-

tiatur:

tiatur: si nō patiatur, benefacta meritis laudibus carebunt: vt & hoc misericordie opus exhibitum mendicis à nostris patribus, cum summa annonæ caritas vrbe miserimè affligeret: quod vt maximè fuisset hypocrisis infectum (à qua tamen tam longè absuit; quàm longè abest Misenus à Deo & veritate) commendari abs te debuisset, tanquam afflictis, fameque propemodum enectis, vtilissimum.

Caput decimum sextum explicat, quomodo Franciscus Xauerius, & Simon Rodericus in Indiā destinati sint: *In hoc capite*, inquit Misenus, *nihil fermè aliud indicatur, nisi hoc, Iesuitas esse mancipia Pape*: conuicium hoc quidem est: nobis tamen gloriosum, qui malumus mancipia vocari Christi vicarij; quā Calvini & diaboli. Quæ subiūgis, mēdacia sunt Misene, liceat enim *ficum* appellare *ficum*: non scripsit, non cogitavit Ribadeneira, totius orbis terrarum salutem pendere à Iesuitis, id est, absque Iesuitis foret, nulli in toto orbe terrarum seruarentur. An non pudet te huius impudentiæ? vt & eius quæ sequitur, cum ais, *Nicolaum Bobadillam morbum simulasse, ne cogeret ire in Indiam*. Mirum, te post sexaginta annos tam sagaciter deprehendisse Bobadillæ simulationē: quam Ignatius & socij coram deprehendere non potuerint, decepti forsassis niueo illo Bobadillæ pectore, & candore verè germano; qui si in vlllo fuit, in Bobadilla eximius fuit, vt testantur, qui hominem nouerunt, quorum innumerabiles in Italia, nec pauci in Germania.

Bobadillæ ergo ægrotanti, non, vt tu mentiris, morbum simulati, substitutus est Franciscus Xauerius; quem sine nausea, inquis, vix nominare possum. Adi, obsecro, aliquem Æsculapium; vt tibi porrigat vomitorium, cathartico eges pro stomacho, & veratro pro cerebro. Fortè etiam vlcerosi illius Lazari, & canum, qui vlcera illius linxerunt, nunquam recordaris sine nausea. Sequuntur, inquis, somnia Xauerij, qua ei per quietem oblata sunt, de gestatione nescio cuius Indi & Æthiopi. Si quis somniis libenter fidem adhibet, poterit et hisce Iesuiticis partè aliquam credulitatis impertiri. Non omnia somnia, Misene, vana sunt, veritatè quorundam confirmat experientia, & tam sacra, quam profana historia. Illud Xauerij non fuisse vanum, exirus ostendit; cui qui credit, somnio quidem credit; sed somnio diuinitis immisso, & maximarum rerum prænuncio. Interim hic etiam scholium habes pro tuis in Genesin scholiis; cum ad caput illud de somniis Iosephi perueneris. Ita enim lectorem affari licebit. Si quis somniis libenter, ô lector, fidem adhibet, poterit & hisce Iosippæ partem aliquam credulitatis impertiri.

In capite decimo septimo confirmatur Societas à Paulo III. Pontifice Maximo. Hic Misensens: Magni refert scire, quis ille Paulus III. fuerit, quibus moribus; qua religione; qua pietate; moxque ex Vergerio, Schleidano & Balæo horribilia flagitia & facinora de hoc summo Pontifice commemorat; quibus se & prædictos hæreticos depingit; non Paulum III. Hæreticis enim fidem omnem abrogandam esse, cum vel contra sedem

sedem Apostolicam in genere: vel contra certum aliquem Pontificem aliquid scribunt, multum sanè sunt, quæ suadent, imò & cuius prudenti persuadent. Primò, quia omnibus, qui cathedram Petri deserunt, vltimarissimum est, & iam olim fuit, in Summos Pontifices linguam & calamm exerere; conuictisque Vicarium Christi appetere, & confictis criminibus onerare. Vnius hic Petilianus Donatistæ exemplo contentus ero: qui hæc conuicia in Apostolicam sedem iecit, vt Auctor est S. Augustinus: Si cathedram vobis miseri vendicatis, habetis illam profecto quam Dauid psalmographus pestilentia Cathedram pronunciauit; vobis enim iuste relicta est. Quia in ea sancti sedere non possunt. Ad quæ Augustinus præter cetera respondit. Et hæc non vides, non aliqua esse documenta, sed vana conuicia.

Cum ergo Schleidanus, Vergerius, Balæus Hæretici fuerint, insolitum videri non debet, si à priscis illis sectariis, cum erroribus doctrinæ, acceperunt itidem, quasi hæreditario iure, libidinem & impudentiam calumniis incessendi sedem Apostolicam & Summum Pontificem; illum præsertim, sub cuius Pontificatu Furia ista potissimum furebant; mundumque scriptis suis, velut ardentibus quibusdam tædis peruo litabant. Quis doctior, quis acutior Tertulliano, auctore vetustissimo, quam primùm tamen à Cathedra Petri sese disiunxit; & infelici fide re ad Montanum transit, Summum Pontificem non modo irridere, sed & conuiciis proscindere, & velut lenonum, lenarum scortatorumque receptatorem publicè proclamare cœpit.

S. Aug. lib.  
2. cõtra li-  
teras Peti-  
lian, ca. 51.

Tertull. li.  
de pudicit.

An fidem ullam apud posteros criminationibus suis inuenit.

Secundo quis ullam fidem adhibendam credat illis, qui sese iuratos & capitales hostes summi Pontificis profitentur, qui in eundem odio inexsaturabili ardent; qui cane peius & angue vel ipsum Pontificis nomen oderunt, qui ne ad aures quidem patienter *Papa* nomen admittere solent? Nihil est procliuius, nihil vilitius, quam falsa dicere & scribere de eo, quem oderis, præsertim si liuor & inuidia accedat, mentemque præcipitet. Mandant leges & constitutiones Imperatorum & Principum, ne cuius facile vel ad testimonium ferendum, vel ad accusandum auditus pateat. Quare lex quædam hæc præcipit: *Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erit inprimis conditio cuiusq; ; vtrum quis Decurio, an plebeius sit; & an honesta & inculpata vita, an verò notatus quis & reprehensibilis: an locuples vel egenus sit, vt lucri causa quid facile admittat, vel an inimicus ei sit, aduersus quem testimonium fert, vel amicus ei, pro quo testimonium dat.* Similia obseruare iubent in accusatoribus. Si igitur inimicitia fidem testimoniū dicenti, aut accusanti meritissimò detrahunt; cur scriptoribus non derogaretur fides, cum de illis aliquid litterarum monumentis consignat, erga quos non quaecumq; sed odium planè immortale gerunt, idq; non clausum in pectore; sed promptum in ore & in clamato: aded, vt vix tria verba proloqui possint; quin, calumniis in Pontificem iactis, virus huius odij execrant, totiq; mundo patefaciant.

Nil

Nil moderatum habet furor & ira; in quocumque insit, quanto minus ergo hæ pestes tolerandæ in scriptore, cui veritas inprimis proposita esse debet; quam qui furioso odio præpeditus est, aded assequi nequit, vt eam ne intueri quidem valeat. Euoluat, qui vult, opera Vergerij, Balæi, & Schleidani, vel potius inspiciat tantum vnam aut alteram pagellam: quid enim opus euoluere? statim deprehendet inimicitias plusquam Diabolicas; quas isti cum Pontificibus Romanis exercent. Et quisquam est, qui ab eiusmodi hominibus exspectet laudes & encomia Pontificum? An quisquam est, qui in Commentario, quem furor dictauit, rabies conscripsit; aliud sese reporturum existimet, quam criminationes calumniasque atrocissimas?

Tertio, Schleidanus, Vergerius & Balæus Apostatae fuerunt & fugitui: Primus ab Ecclesia, alter ab Episcopatu, tertius ab Ordine monastico, omnes à DEO, & à veritate; acti partim ambitione, partim libidine, At Apostatis & transfugis nemo ignorat nihil familiarius esse, quam conuiciis impetere illos, à quibus transfugerunt; nec aliter possunt, nisi ipsi se ipsos condemnare velint. Quis verò criminatores istos fugitios audiendos putet, cum iam olim omnes leges & Principum decreta, seruos & similes transfugas ab omni accusatione & Testimonij dictione contra Dominos & Patronos suos reiecerint, vtpote suspectæ, imò nullius fidei;

dei; cum non à natura, sed potius ab improbitate huiusmodi nebulonibus infitum sit; aliis immanissima scelera tanquam nocentibus affingere, quod ipsi videantur innocentes; & ab illis flagitiis, quorum alios infimulant, immunes, cum tamen omnium criminum maculis contaminati sint. Quam enim mendax sit Schleidanus, quam vanus, quam proiectè impudens in iis deprauandis, quæ totus mundus aliter, ac ipse narrat, gesta esse nouit, non fugit illos, qui Schleidani commentarios commentis plenos lectitarunt, nec fugit Carolum V. Imperatorem; qui cum Schleidani commentarios vel legeret, vel legi audiret: hunc plausum dabat: Mentitur nebulo, mentitur nebulo.

Quale monstrum fuerit Vergerius, satis indicant cum alia eius opuscula, tum illud de idolo Lauretano; & aliud de Concilio Tridentino; ubi impurus Apostata tot effutiit mendacia, ut quocumque oculos vertas, in mendaciũ luculentum incidas, qui certè amore veritatis ad Lutheranos sese nõ transtulit; sed odio Pontificis, cum impotenti & impudenti suæ ambitioni minus satis fieri cerneret; ratus, si Lutherum sequeretur, deserto Romano Pontifice, fore, ut statim Romana Ecclesia corrueret: quod longè aliter euenit. stat stabitque illa Ecclesia, quoad mundus stabit. Interim Vergerius cum suis illis nefariis Sycophantiis, & imposturis ad tartara raptus scelerum pœnas nunquam exsoluendas soluit.

Alanus  
Dialogo 5.  
cap. 19.

Balaam ita depingit Alanus Copus Anglus.  
*Qualis fuerit Nicolaus vnus ex septem Diaconis, iam*

*antea*

*antea ostendi, & quod solus ex Apostolis & Apostolicis viris rei vxoria operam dederit. Habuisse verò Britannos suos Nicolaos, Gildas queritur. At Balaam huiusmodi Nicolaitas, quasi sus volutabrum, in delirio habet, & in vxoris amplexibus summam religionis Christiana constituuere videtur. Neque ille vquam aut rusticum, aut alium ex veteribus Britannis post sacerdotium vxorem duxisse, aut priore vxore legitime vsu fuisse docebit. Quare reliquo praesidio nudatus, ad extremum ferè totius Europa angulum, Hiberniam, & gentem (si Gyrardo Cambrensi credimus) verè barbaram cogitur, tanquam ad asylum, confugere. In qua ille aut primus, aut inter primos certè, abiecto cucullo, & scorto, sub matrimonij specie, coniunctus; Episcopus (si Diu placet) factus est. Fuit enim ibi suo iudicio Episcopus, sed magis Apocopus, tum quod Sycophanta ille impudentissimus, tum quod spurcissimus Apostata: dignior sanè, qui lupanari, quam qui Ecclesia proficeretur; vtpote, cui multos iam annos, nihil aequè aliud videtur cordi fuisse, atque vt turpem ipse contra religiosum castitatis votum Venerè exerceret; obscœnitate verborum omnes lenones & meretrices superaret; conuiciorum plaustra in optimos quosque tum viuos, tum defunctos congereret; horrenda mendacia, partim à se facta, partim aliunde emendicata impuro ore eructaret, ac in singulas centuriarum suarum, aliorumque librorum non modo paginas, sed ferè etiam lineas infarciret. Vidèri sanè potest omni studio contendisse,*

*vi,*

*vi, quemadmodum est nomine, ita vite turpitudine, aut orationis saltem obscenitate similis, & par illi Balæo esset; de quo nescio, quam verè, scribitur tamen, omnes qui in eodem vico habitant, clamasse & in scriptis, & sine scriptura, adulterum eum esse. Credo certè Hiberniam, quantumuis efferatam, ad huius Apostopi tam nefarium & insolitum spectaculum totam obstupescit, illudq; detestatam.*

Tales sunt, Christiane Lector, qui in Pontificem Paulum Tertium maledicam linguam stringunt; quod quid est aliud; *quam nescire dicere; & tamen non posse nisi maledicere*; vt quod de Petiliano S. Augustinus dixit; ego de istis Hæreticis dicam: cum quibus, si iure actum esset, vnicuique eorum non semel fustuarium subeundum, & præconis voce acclamandum fuisset; *ἐσοικονόμητος*, aded calumniandi studio se se oblectant. Quia verò Orthodoxi Historici ab affectibus illis, qui mentem obscurant, liberi, longè aliter mores Pauli Tertij describunt, non abs re erit, vnum omnium loco audire. Is est Onuphrius Pauuinus, qui vitas Pontificum post Platinam ex instituto descripsit.

Vociferabitur hic Misenus, esse *testem domesticum*; ac proinde repudiandum. Primum nõ versamur in foro & in iudicio; Sed indagamus, quinam sint veritatis amantiore Historici; illine tui, an nostri. Quocirca ineptè contra nostros auctores excipis, quasi contra do-

me-

meisticos. Secundò, Onuphrius non fuit domesticus Pauli Tertij, frustra ergo vt domesticum & familiarem Papæ reprobas: At fuit domesticus fidei, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ filius. Quid tum? An ob communionem eiusdem fidei nemo orthodoxus, orthodoxo testimonium dare poterit, vel in iudicio, vel in publicis litterarum monumentis? An expectabimus donec Turcarū aut Calvinistarum quispiam Pontificum facta memoriæ posterorum commendanda suscipiat, & tum demum assensionem præbebitis illis omnibus, quæ à iuratis hostibus proferentur? Vt Historicus verax cenferi possit, satis est, si nec odio partium inflammatus sit; nec gratiæ quidquam tribuat; in vnam veritatem intentus: nam vt ab eo, cuius facta scribit vel fide vel opinionibus dissentiat; & quidem capitaliter, vt solent Hæretici, cum de Pontifice aliquid commentantur; id aded non est ad historiæ veritatem & sinceritatem necessarium; vt vbicunque huiusmodi affectio in historia alicuius obseruatur, magnum præiudicium iam veritati sit allatum. Sed ad rem.

Onuphrius igitur præter cetera de hoc Pontifice, cum adhuc iuuenis esset, ait; in eo enituisse ingenium viuidum, sublime & in perdiscendo gloria avidum: *Cardinalem factum, legationes Piceni, aliasq; non paucas obiisse, & in illis ita sese gessisse, vt summis, infimis aequè gratus, magnū sui desiderium, munere defunctus, provincialibus reliquerit; Roma dein-*

ceps

S. Aug. lib.  
2. cõtra li-  
teras Peti-  
lian. ca. 52.

L. fustibus  
ff. ex qui-  
bus causis.

ceps omnibus charum, nemini priuatim addictum; magna cum integritatis, prudentia, dexteritatisq; laude muneri suo assidue vacasse, & mortuo Nicolao Elisco senatus principe, id muneris, vetere insituto, suscepisse, idque tanta eum dexteritate, prudentia, auctoritate ac integritatis opinione annos decem sustinuisse; vt nemini dubium esset, eum iis artibus gradum sibi ad Summum Pontificatum, quo vnus omnium dignissimus existimatus est, preparasse.

Mortuo Clemente Septimo, cum nequaquam quaerendus esset, qui in eius locum legeretur, sed legendus, qui etate, prudentia, rerum diuturno vsu, inueterata virtute & praeclentibus litteris pra omnibus sine controuersia emineret: Patres haud diu cunctatos, eum nouo & inusitato exemplo cogitasse, ante celebrata nouendialia, sine vlllo conclauis coetu, demortuo Pontifici subrogare: ipsum tamen hoc, tanquam praeter maiorum morem, constantissime recusasse; postea initis comitiis, nulla vnquam à multis seculis comitiis sincerius, simplicius, concordiusq; inita peractaque fuisse: Populum Romanum huic Pontificem incredibili laetitia & gratulatione accepisse; itaq; sese gessisse in Republica administranda, illustri quodam in speciem diuersarum virtutum temperamento, vt Pontificis simul & Principis nomen tueretur. In omni namque consilio, & singularem pietatem & summam prouidentiam eluxisse, nihil antiquius duxisse, quam vt viros egregios toto terrarum orbe conquistos, in patrum amplissimorum Ordinem legeret; fuisse Pontificem multis

inse-

insignibus virtutibus clarum, humanitate, affabilitate, clementia, comitate, praecipue vero prudentia singulari per sexaginta fere annos, quibus publica munera obiit, feliciter collecta. Hæc & id genus alia Onuphrius de Paulo Tertio. Similia alij Historici, qui absque odio Apostolicam sedem intuentur.

Sed Misenus solis hostibus Pontificis credere didicit: sicut olim Celsus Moyfi & Prophetis de Iudæorum gente scribentibus non credebatur; credere solitus omnibus illis, qui Iudæorum, Iudaicæque gentis primordia calumniabantur: Libenter eum interrogauerim, inquit Origenes, cur

Orig. lib.  
1. contra  
Celsum.

historiis barbarorum atque Græcorum credulus de antiquitatibus eorum, quos nominatim recensuit, solius huius gentis historiis fidem abroget? Si enim sua cuiusque gentis scriptores veraciter res eius exposuerunt; cur solis Iudæorum prophetis non credimus? Quod si ad gratiam Moyse & Propheta pleræque de gente sua prodiderunt; cur non idem dicere liceat, & de reliquarum gentium historicis? An Egyptij in suis annalibus male de Iudæis loquentes fidem merentur, Iudæi similiter de Egyptiis querentes, iniuste se ab iis pressos multis grauaminibus, & propterea iustam Dei vindictam secutam, mentiuntur? Id quod non de solis Egyptiis dici potest. Inueniemus enim conflictationem Assyriorum cum Iudæis, eiusque mentionem in Assyriorum antiquitatibus. Et vicissim de bellis gestis contra Assyrios, prodiderunt Iudæorum Scriptores. Vide igitur iam nunc hominis ar-



vogantiam, qui aliis credit vt sapientibus, aliorum in totum damnat ignorātiā. Hæc Origenes: quæ Misenus noster pro sua in parodiis exercitatione, facili ad se transferet, vt alio, qui apodofin adiungat, egere minimè videatur.

Talis ergo fuit Pontifex, qui Societatem confirmavit, qualem describunt Orthodoxi Historici; non qualem Hæretici; etsi vt laudes orthodoxorum scriptorum laudi Pontificibus dantur, ita etiam conuicia & maledicta Hæreticorum in laudem Pontificum redundant, quia liquido compertum est, ab huius farinae hominibus non nisi improbos laudari; non nisi probos vituperari; improbos enim, vt sui similes amār; probos, vt sui dissimiles culpant. At satis de Paulo Tertio.

Ceterum Miseno mirificè placet, quod Cardinalis Bartholomæus Guidicionius Societatis confirmationi sese opposuerit; sed non placet illi, quod idem, mutato cursu, vela retrorsum dederit, seseq̄ etiam aduersus sententiam suam huic nouo Ordini introducendo non posse non fauere, professus sit. Misenus ait, *Guidicionium proculdubio fuisse aulicum; seseq̄, vltro immutasse ad eius voluntatem, quem sine periculo offendere non poterat.* Fauete linguis, bona verba dicite. Iterum adest cum suo *proculdubio* Misenus: cuius rei istud *proculdubio* symbolum fit; iam proculdubio ex supradictis satis superq̄ intelligitur; nimirū quoties mentiri lubet; Lubet autem tertio quoque verbo, si non altero: hoc *proculdubio*, tanquā ante ambulonē præmittit:

ait: Vnde scis, Misene, Cardinalem illum non serio mutasse animum, sed aulicè, hoc est, mutationem simulasse? An in corde illius eras, fortasse antequam natus esses: neque enim tua scholia tantam præ se ferunt canicem, vt temporibus illis fuisse videaris æqualis. Singulari ergo privilegio scis, quid quisque in animo habuerit disitis in regionibus, antequam nascereris, quæ felicitas paucis profecto obtingit. Sed quid situnc deceptus esses, sicut & nunc in rebus quotidie occurrentibus hallucinaris; præsertim cum nullum aliud argumētum tibi suppetat, cur Cardinalis ille serio Societatis confirmationem non approbarit, nisi quia tibi ita videtur; & quia ita tibi opinari lubet. Cur verò hoc Ribadeneiræ de Guidicionio repugnante credis; cetera verò non credis, nominatim causam mutationis? Si putas non mentitum Ribadeneiram, cum Cardinalem hunc Societatis primordio obstitisse ait; cur arbitraris mentitum; cum Cardinalem ex oppugnatore factorem factum esse testatur? Nimirum tantum credis; quantum lubet, vt iam sapius temonui, quamuis à tua conscientia multo adhuc sapius sis monitus. Calumniatorum est, Misene, ea tantum vt vera admittere quæ ad vituperationem faciūt, & omnia alia; quæ quoquo modo ad commendationem spectant, vt falsa repudiare.

Quod autē Ribadeneira ait, Pontificem perfectam instituti nostri formulam vehementer probasse, & Pontificio spiritu afflatum, spiritum DEI hic esse pronunciaffe, id Misenum

malè admodum habet. Exclamat ergo; *O hominem mendacem: impurus ille & incestus Pontifex, unde spiritum Dei norat?* Hic nimirum mos Miseno: quoties refutatione opus est, exclamationes affert. Quoties argumenta adferenda sunt, conuicia largiter promit. Paulus Tertius talis non fuit; qualem impuri, & incesti hæretici & Apostatæ depingunt; & vt maximè talis fuisset, an nescis & per Caipham spiritum Dei locurum esse, & quidem dictum maximè commemorandum protulisse? Gaudet Misenus societatem confirmatam definitè; ne scilicet sexagenarium numerum excederet; sed quia nulla est sincera voluptas, mox dolet, quod limites isti ab eodem Pontifice sint sublatis; liberâque facultas data, cooptandi in hanc familiam, quibuscumque Deus mentem in eam ingrediendi misisset. Sed quid agas Misene? Dolore tuo infectum non reddes, quod factum est. Tu quidem cruciaberis; sed cruciatu tuo nunquam amplius Iesuitas ad sexagenarium numerum rediges; postquam iam, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, aliquibus in locis non modo sexaginta; sed bis & amplius sexaginta degunt.



## CAPVT IX.

*Refutatio calumniarum in caput decimum octauum.*

**C**apite decimo octauo expendit Ribadeneira consilium Dei in societate instituenda; quantum quidem illud humanis rationibus indagari potest. Quia verò multa adfert partim aliunde, partim ex huius temporis historijs; quæ huic Calvinistæ non possunt non summopere displicere: ideo hic, si vsquâ aliàs, calumniis habenas laxat. Ait Ribadeneira, Religiosos Ordines excitatos à Deo; & Ecclesiæ submissos, ad vitiorum, hæresum, errorumq; monstra expugnanda: Misenus contrà contedit, Religiones, præsertim societatem nostram, vitiis, hæresibus, & erroribus fouendis & propagandis introductas esse: quia in hæresibus & erroribus numerat, quæcunque propemodum, dogmata fides Catholica tradit, quæ, cum à nostris, alijsq; Ordinibus pro virili parte defendi & explicari vider, Hæreses scilicet & errores defendunt; sed iudicio hominis hæretici & erronei; cui si nō viderentur errare, & hæretici esse, grauius vtique errarent, damnatique hæretici essent.

Nam quod scortationes, ebrietates, Simonias, blasphemias, & infinita id genus vitiorum monstra à nobis, vel alijs religiosis probari ait, id impudentius commentum est, quam vt fidem inueniat apud illos; qui fidem humanam simul & diuinam non amiserunt. Itane castitatis & honestatis domicilia, scelera illa in vlllo mortalium, cōsensu vel opera sua adiuuent & foueant?

Quod si religiosi exemplo, monitis, & doctrina sua priuatim & publicè sentinam hanc flagitiorum exhaurire nequeunt, quid mirum, cum idem semper inimicus homo vigilet, vt sementi Dominicæ zizania inpergat; multiq̄ue sint, qui aures attentiores præbeant mundo & carni cōcionantibus; quàm Religiosis ad sanctiorem viuendi normam exhortantibus?

*Ais, Ribadeneiram contendere; singulari Dei providentia factum, vt societas institueretur; moxq̄ue subdis: Multa sunt, Deo prouidente, etiam ad pœnam generis humani, vt notum omnibus Christianis.* Societatem mundo non esse datam ad pœnam, nisi fortè ad pœnam Hæreticorum; id inde liquet; quia credibile non est, futurum fuisse, vt tot Imperatores, Reges, Principes, Dynastæ, Respublicæ, vtrò pœnam aduocarent, & suis in regionibus collocarent; quis enim pœnam, præsertim extraordinariam, & singulari providentiâ Dei immissam, non exhorret? Quis à finibus suis, quoquo modo licet, non arcet? At hanc societatem, quæ si tibi credimus, flagellum quoddam mundi est; totus mundus intra tam breue temporis spatium certatim ad se rapuit: blandum profecto flagellum oportet esse; quod nemo flagellum esse sentiat, præter Hæreticos.

Dices fortasse, illud ipsum pœnam & flagellum esse, pœnam & flagellum non sentire. Aliunde ergo exploremus societatem ad pœnam non datam hominibus, id autem certius non intellige-

telligemus, quam inspiciendo illos, quos nemo negat fuisse pœnas mundi. Attilâ olim cum suis Hunnis, Gotthos, Herulos, Longobardos & similes pœnam & flagellum orbis fuisse nemo negat; vt & hodie Mahometanos & Turcas; item olim Hæreticos Arianos, Manichæos, Donatistas, Pelagianos & alios huius classis; idque ea de causa, quia isti, vt olim locustæ in Ægypto, deuorant & vastant omnia, etiam illa quæ reliquis plagis fuerant refidua, magnas cum mœnibus vrbes vel desolarunt, vel solo æquarunt; Christianam religionem & CHRISTVM proscrisperunt & exterminarunt, Ecclesias spoliarunt & diripuerunt, partimque funditus euerterunt, partim in stabula conuerterunt; virtutis amorem, & studium honestatis, timoremque Dei ex cordibus hominum expunxerunt, litteras & Academias & gymnasia bonis disciplinis consecrata sustulerunt, barbariemque & ignorantiam induxerunt; vno verbo; *deuorata est herba terra, & quidquid pomorum in arboribus fuit, nihil quoque omnino virens relictum est in lignis & in herbis terre, non modo in cuncta Ægypto, sed & omnibus illis in locis, quod pœnæ ille penetrare potuerunt, & vt Propheeta ille conqueritur, depopulata est regio, luxit humus, quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.* Has pœnas notas si in Ordine nostro demonstraueris, lubens fatebor ad pœnam natum & factum esse.

Exod.10.

Ioel 1.

Rectè monet, ex fine iudicandum esse de hac societate, cuius finis, quia præcipuus est fulcire idola, & errores defendere euidentes; quem parentem habeat, cæco etiam manifestum est. Ita tu quidem Catholicæ & Apostolicæ fidei doctrinam (cuius defensio societati, tanquam præcipuus finis, proposita est) blasphema lingua nominas; sed quia Hæreticus es, non mirum te conuiciari: magis mirum foret, si à maledictis & blasphemis abstineres; quia aliquid naturæ hæreticæ aduersum faceres. *Vu scire*, inquis, cuius testimonio societas hæc instituta sit ad defensionem & propagationem fidei? *Litteris confirmationis Apostolicæ*. An tibi sedis Apostolicæ iudicium tam vile & contemnendum videtur? Certè vt nullius sit apud te momenti; apud nos profectò, omnesq; rectè sentientes nihil hoc testimonio grauius est; nihilq; honorificentius, præsertim cum totus reliquus Catholicus orbis, cum hoc capitis sui testimonio consentiat, nisi forte exspectas, vt à te cuiq; similibus sectariis intelligamus; quis societati nostræ, in omnibus actionibus sit defixus finis. Quamquam neque vos ab hoc sedis Apostolicæ iudicio discrepare potestis; quandoquidem non rarè confitemini, Iesuitas id vnum spectare; vt Romanam fidem conseruent & propagent.

*Quasi verò*, inquis, non laudet etiam suos milites archipirata. Omnino laudat, sed magnum discrimen est inter Archipiratā & Archiepiscopum illum Romanum: Archipirata suos laudat ob latrocinia & rapinas, laudibusq; ad similia studia incendit: at summus ille *αρχιεπισκοπος* societatem

com-

commendat, vt institutam ob defensionem & propagationem Catholicæ fidei; quæ si non differre vides, nescio quid videas. Qua verò fronte scribis, Ribadeneiram scripsisse, *Iesuitarum causa nouum orbem inuentum, quæ ipsi conuerterent*. Vbi hoc auctor noster?

Post hoc mendacium quæstionem per quam difficilem Iesuitis ponis. *Quia autem admodum gloriantur*, inquis, *de Indicis illis rebus Iesuita, vt nuper aded de Ruthenicis, libenter equidem audierim ex ipsis, quæ fiat, vt omnis illis pulcherrimis regionibus Mahometanis, in Indiam abeant, cur non in viam reducunt Mahometanos?* De rebus Indicis nihil gloriamur: diuinum beneficium agnoscimus & prædicamus; & cum omnia fecerimus; seruos nos inutiles esse non inuiti fatemur. Gaudeo autem te in legationem Ruthenicam incidisse. An non vidisti & Alexandrinam? Imitamini Caluinistæ præcuntium exemplum; via iam aperta est, nisi fortè doles Ruthenos ad Tiberim, non ad Nicrum aut Mœnum legatos suos destinasse.

Deinde vt ad quæstionem tuam veniam: noveris nostros non semel, sed sæpius pulcherrimas illas tuas regiones, quas Mahometani tenent, peragrasse, & num quod ostium Euangelij annunciandi sese panderet, diligenter circumspexisse; nec sine fructu. Constantinopoli aliquandiu sedem fixam habuerunt. Ægyptum & Palæstinam & Montis Libani incolas non rarè iustrarunt: in Africam traiecerunt; & totius propemodum Africæ littora necessariò legèda sunt

ei, qui cursum in Orientem instituit: quibus in nauigationibus multos Mahometanos; vt & in ipsa India Orientali, ad Christiana sacra crebro traduxerunt, iamque ad amplissimum regnum illud Mogor, in quo Mahomet primas tenet, Euangelio & sibi viam munierunt, eoque corpore penetrarunt, quo prædicantes vestri ne cogitatione quidem perueniunt.

Quia verò te tanta cura Mahometanorum tenet, mirari subit, cur non potius tuos Ministros Calvinianos & Prædicantes Lutheranos incites, quàm Iesuitas, vt hanc tam præclaram prouinciam capeffiant, Turcisque Genœuense & Islebiense Euangelium annuncient; nam vt in Indiam nauigare iubeas, non suadeo; tum quia monenti morem non gerent, tum quia iam semel atque iterum non satis ex animi sententia celsit tentata in Indiam nauigatio. Nec Neptunum nec Æolum propitium habent. Mala soluta nauis exit alite, quæcunque in Indiam tales præcones vehit.

Ad extremum, an nescis, quàm Mahometani, Turcæ præfertim, & qui inter Christianos, vel Christianis vicini, sua in superstitione pertinaces sint; quam nescij de sua sententia cedere; quàm oclusas aures habeant ad omnia Christianæ religionis mysteria; quàm non modò Christianismum & Christianos; sed ipsa etiam Christianismi & Christianorum vocabula detestentur, & execrentur; aded, vt  
Christianis

Christianis sacris nihil apud illos sit inuisus: homines pecudum instar ad ventrem & pabulum duntaxat abieci? His quis operam det, quando latior & latior mensis offertur, quando tot millia reperiuntur; quibus in optatis; vt veniant; qui esurientibus panem frangant & errantibus viam salutis monstrent.

Num nescis quosdam esse; qui ob scelera sua indignos se reddunt Euangelicæ prædicationis beneficio; à quibus proinde regnum DEI iusto DEI iudicio aufertur; vt vobis desperatis iam & depositis, & transferatur ad gentem facientem fructum, quod DEO prædicente, Iudæis olim accidisse nouimus; nec aberrabit, qui idem Mahometanis, progeniei Iudaicæ vsuuenisse credit: An nescis, iussu Domini, Apostolos excusso puluere pedum, desertis Iudæis, ob incredibilem animi obstinationem, ad gentes sese conuertisse, eisque regnum DEI annunciaffe; & longinquas regiones adiisse, imo ipsam etiam Indiam; in quam sanctus Bartholomæus, sanctus Thomas, & sanctus Matthæus lumen fidei primi intulerunt. Sanctus Paulus itidem derelictis pulcherrimis illis tuis regionibus, Italiam, Hispaniam & Illyricum obiit; ex quo itidem quærere licebit, qui factum sit, vt cum fidei propagandæ & defendendæ causâ, ad Apostolicum officium vocatus fuerit, relictis pulcherrimis illis Palæstinae prouinciis in Illyricum abiierit?

Matth. 21.

Matth. 18.

Marci 6.

Luca 9.

Actor. 13.

Ira Indici  
scriptores,  
& antiqui  
patres.

*Ægrè fers Lutheri nuptias ab Auctore vocari Sacrilegas & incestas*: Fecit id exemplo veterum, qui quibus titulis huiusmodi nuptias & nuptiatores cohonestarint, docebit te S. Hieronymus in Iouinianum; qui si illum hæreticum ita tractauit, cum tamen vxorem non duxisset, teste S. Augustino, & ipso Hieronymo, sed tantum Monachis vxorem ducendam, & Monialibus nubendum esse suafisset, & verò etiam nonnullis persuafisset; quibus coloribus depinxisset Lutherum Monachum & Sacerdotem, si sanctissimus ille & eruditissimus doctor, ætate Lutheri vixisset; vidissetque, eo improbitatis progressum, vt sub matrimonij specie Monialem sibi flagitiosissimo exemplo iungeret?

Sacrilegas & incestas fuisse nuptias Lutheri, ipsæ leges ciuiles satis testantur, quæ in nuptias Lutheranas capitalem sententiam iam dudum promulgarunt. Imperator Iouinianus hanc legem tulit, eamque approbauit Iustinianus, referendo illam in suum codicem, tit. de Episcop. & Clericis. *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo, iungendi causa matrimonij, sacratissimas virgines (id est, Moniales) ausus fuerit, capitali poena puniatur.* Cum igitur Lutherus non modò facinus hoc attentauerit, sed & incestis nuptiis sanctimoniale funestauerit; non immeritò ex Calvinianis & Lutheranis quæritur, quo nam loco Imperatores isti hos Euangelij reparatores habuissent, & quo etiam præmio ob nouum Euangelium illos affecissent, si ad nostra vsq; tempora vixissent. Si diaconissæ nubèri decreuit Iustinianus capitis supplicium; vt & illi, qui eam

S. Aug. lib. de hæres. cap. 82. S. Hieron. lib. 1. contra Iouin.

Authé. 6.

in

in vxorem ducere aut corrumpere ausus fuisset; quidnam supplicij irrogandum censuisset iste Imperator Luthero & aliis, quibus solenni castitatis voto obstrictis, familiarissimum est, virgines Deo consecratas violare, & ad sacrilegum connubium pellicere?

*An hoc, inquis, in Luthero reprehendum, quod maluerit esse in legitimo coniugio, quàm tres vel quatuor, vel plures alere concubinas?* Legitimum coniugium non fuit, Misene, hoc prætexis culpam nomine. Scortatio, & quidem sacrilega scortatio fuit, & digna capitali supplicio ex edito Iouiniani, & Iustiniani, & aliorum Imperatorum, quibuscunque legum auctoritas & reuerentia curæ fuit. Nec scorta alere debuit Lutherus; nec scortum matrimonio sibi iungere velle, irrito conatu, obstante religione Sacerdotij, & Monasticæ professionis. Castè viuendum erat homini castitatem professo. *Notat, inquis, Ribadeneira Oratores, Poetas, Grammaticos. Fortasse Erasmmum, Philippum, Huttenum.* Istos ipsos, mi Misene, & horum similes Therfitas, nihil nisi calumniari, & sacra iuxta ac profana ridere doctos; magno leuis vulgi plausu; sed modica prudentiorum approbatione, & exiguo cum honore suo, & vestri noui Euangelij.

*Audet, inquis, impurus ille hypocrita coniugia Sacerdotum appellare volutationes in cæno turpissimarum voluptatum.* Moxque subiungis; *cum tuus, credo, loqueris, non nobiscum.* Imo vobiscum; quia nulli apud nos Sacerdotes coniugati; sed apud vos, & Sacerdotes, & Monachos Apostatas verbo

bo

bo quidem vxoratos, re autem flagitiosos scortatores reperire licet. Hos rectissimè ait Ribadeneira in cœno turpissimarum voluptatum volutari, vt fues in volutabro.

*Qua castitas, inquis, in vestris cœnobiis, vel pecudibus notum:* Si tibi notum esset, si non vt homini, saltem vt pecudi, quæ castitas in Deo dicatorum hominum domiciliis fuerit, & verò adhuc sit, aliquot scholiis vel potius conuiciis tam in hoc, quàm in aliis capitibus supersedere potuisses; nec epistolam contra cœlibatum non sancti illius Augustani Vdalrici; sed alicuius nebulonis sub specioso Vdalrici nomine latentis protulisses; & quidem ex Balæo; Apostata impurissimo, vt supra ex Alano Copo audiimus. Quod si omnino epistola illa tibi promenda videbatur; debebas bona fide refellere argumenta, quibus Bellarminus clarissimè demonstrauit, epistolam illam penitus esse commentitiam: At tu securus iudiciorum; quæ subis, tam confidenter & impudenter vereres & iam damnatas merces nobis obrudis, quasi fraudem & imposturam nemo vnquam notasset & patefisset.

Quamuis autem id modo non agimus, vt laruam epistolæ illi detrahamus; lubet tamen apponere de hoc commento verba nobilis & magni viri; qui vitam & res gestas sancti Vdalrici non ita pridem & typis & notis insigniter illustratas dedit. *Scio adhuc, inquit, impuram, nescio cuius nebulonis epistolam Vdalrici aliquando*

*aliquando nomine venditatum. Sed cum ea Nicolao Pontifici inscripta sit, Nicolaus autem Primus plusquam viginti annis ante Vdalricum natum, fuerit mortuus, Secundus Pontificatum octogesimo, & quod excurrit anno, post eum mortuum inierit, ferrei sit oris oportet (nota hoc Misene) qui tantum mendacium ausit asserere; plumbei cordis (nota hoc Misene!) cui possit imponere. Hæc ille.*

*Tu ista: habes Petre, Catholici testimonium: (scribe nebulonis mendacium) de vestro cœlibatu. Addo, inquis, recens; supple; mendacium; nec vnum tantum, sed denso agmine conglobatum. Non procul distat hinc cœnobiū, inquis, in quo Decanus scorta aluit duodecim. Reliqui eiusdem cœnobiij Canonici pellectas ad se puellas, saepe grauidas remiserunt; Omitto alia quæ pudor exscribere vetat. Primum, Misene, cur in accusatione grauisima, præteris id, quod toties in rebus leuissimis & minutissimis à Ribadeneira magnis clamoribus exigis? Cur non nominas locum, vbi degis? Vbi es, quando es, vbi non es? Suspicio quidem te non procul à Nicro aut Mceno habitare, sed multa ad Nicrum & Mcennm loca; quisnam tuus? Non procul hinc, inquis, faceffat hinc illud turum hinc; mendacij velum: Cur non nominas cœnobiū illud? Fortè vis parcere honori Monasterij? Vnde tibi tam subito hæc noua religio, Misene? cuius existimationi hætenus percipisti? In cuius famam velut prædo violentus non irruisti?*

Deinde

Bellarmin.  
lib 1. de  
Clericis,  
cap. 22.

In præfat.  
hist. S. V-  
dalrici ad  
Clerum  
August.

Deinde nouistine illos, de quibus hæc tam pudenda flagitia effutuisti? Numerastine ipse duodecim illas pestilices? Nam si me ad famam ableges, eiusque testimonio contentum esse iubeas; hand adquiescam; Neminem fugit, quale monstrum fama, & quam crimina, Sacerdotum præsertim & Monachorum, supra verum multiplicare soleat. Præterea faciamus verum esse; quod narras, num ob peruersitatem paucorum totam religiosam vitam traditices? Flagitiosè vixerint pauci illi: at plurimi in illo ipso Monasterio, & alibi vitam castam, & olim duxerunt, & adhuc ducunt. Consueuerit vnus cum duodecim pellicibus; vt tu ais: At multa millia Religiosorum in Ecclesia Dei adhuc reperiuntur, qui professionis suæ memores carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt. A paucorum improbitate, nunquam ducitur firmitum argumentum, ad euertendum totum aliquod viuendi institutum; quãdoquidem fieri potest, vt ipsa vitæ illius ratio sancta sit & laudabilis, licet minimè sancti sint aliqui, qui illam sectantur, idque suo, non vitæ illius vitio.

Cùm Celsus Epicureus probare niteretur Christianam religionem sceleratam & improbam esse, ed, quod Christus à quodam ex suis discipulis esset proditus. Respondit Origenes: *Quid hoc facit ad negotium Iesu ab vno discipulorum suorum proditi? Quoniam autem pro Philosopho haberi vult Celsus, interrogamus eum, num Platonis erat crimen, quod vigesimo anno, postquam eum audire cøperat, Aristoteles à præceptore desiscens, accusauit ipsius doctrinam de immortalitate animæ;*  
& ideas.

*& ideas Platonis argutationes appellauit. Possemus & amplius dubitando querere; Ergo Plato nihil amplius valebat in Dialectica, nec idoneus erat tradendis suis cogitationibus, ex quo desertus est ab Aristotele, & proinde falsa sunt Platonis dogmata? An fortè possibile est, quod facillè Platonici concesserint, Aristotelem erga magistrum suum fuisse ingratum & improbum? Sed & Chrysippus sepe in suis scriptis Cleanthem taxare videtur, nouans quædam præter acceptam ab illo doctrinam. Pythagorei Cenotaphia extruebant eis, qui defecissent à Philosophia, reflexo cursu ad vitam idioticam, nec ideo deterior habitus Pythagoras in doctrina & demonstrationibus, aut eius discipuli. Hæc Origenes. Quorsum hæc? inquit fortasse. Ed vt intelligas; quod olim intelligere etiam debebat Celsus, paucorum culpam non præiudicare religioni aut doctrinæ. Quod si quis hoc vel illud viuendi genus repudiare velit propter quorundam improbitatem; necesse erit, vt homo non sit homo, nullamque hominibus vsitatam vitam sectetur, cùm in quauis & sint, & fuerint, & futuris annis futuri sint scelerati & improbi.*

Et quia in hoc argumento versamur, agendum Misene; paulò altius reperamus, vnde nam diiudicandum sit, aliquod vitæ institutum verè esse improbum & flagitiosum; ex quo itidem elucescet; quo loco tuæ & tui similitum criminatum calumniæ habendæ sint, cùm propter mores quorundam flagitiosos, vel totam Catholicam fidem, vel Monasticam professionem,



fefsionem, vt improbam & sceleratam calumniantur. Antiqui scriptores; qui contra Ethnicos & Hæreticos veritatem fidei Christianæ & Catholicæ, summa eruditione & eloquentia tutati sunt, vt Iustinus Martyr, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Origenes, Athanasius, & alij, id vel inprimis animaduertendum esse monuerunt, quotiescunque de aliquo viuendi genere quæstio existeret; qualenam sit illud viuendi genus præcisè quasi & per se solum consideratum, abducta mente à sectatoribus & discipulis; num scilicet ad virtutem & honestatem incitet, num eam vim & efficacitatem, & ea momenta & præcepta contineat, quæ quantum quidem in ipso viuendi instituto situm est, possint homines à prauis cupiditatibus, & noxiis voluptatibus ad rectius sanctiusque vitam instituendam inducere, hominemque Deo charum & gratum perfectè reddere, & ad normam à CHRISTO & Apostolis traditam, exactè conformare.

Ex hoc fundamento probarunt Lactantius & Iustinus Martyr Christianam religionem sanctam & intemeratam esse; quippe quæ nihil nisi sanctum & diuinum ex ipsa sua natura tradat. Eodem argumento vsi sunt & alij: Sed nobis sufficient hoc loco duo prædicti. Ita ergo Lactantius, qui hanc Christianæ religionis naturam ab effectu, vt Philosophi loquuntur, perquam acutè inuestigauit. *Dei præcepta, inquit, quia & simplicia & vera sunt; quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant: da mihi virum, qui sit iracundus*

Lactant. li.  
3. Institut.  
cap. 25.

cundus, maledicus, effrenatus; paucissimis DEI verbis tam placidum, quam ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi tam liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris & mortis, iam cruces, & ignes, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem, iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur: Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuè & equus, & prudens, & innocens erit. vno enim lauacro malitia omnis aboletur. Tanta diuina sapientia vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, vno simul impetu expellat: ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est, gratis ista sunt, facile, citò, modo pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Hæc Lactantius.

Quid Iustinus, maior & antiquior Lactantio. *Nos quoque posteaquam verbo persuasi sumus, ab illis defecimus: Deumque, qui solus ortu caret, filij benignitate, sequimur: Qui antea stupris gaudebamus, nunc temperantiam, continentiamque solam amplectimur, qui autem magicis artibus utebamur, Deo bono, qui ortu caret, nos consecrauimus, & qui pecuniarum, possessionumque copiam plus quàm ceteri amabamus, nunc etiam, quæ habemus in commune confeximus, omnique egenti erogamus: & qui mutuis nos odiis prosequeremur, mutuisque cadibus tollebamur, nunc ob CHRISTI*

Iustin. A.  
polog. ad  
Anton. Pi-  
um.

aduentum, vnà viuimus, ac pro inimicis precamur, eisque, qui iniuria nos oderunt, suadere conamur; vt illi, qui ex praeclaris Christi praeceptis aut monitis vixerint, se vnà nobiscum eadem bona & commoda à Domino omnium consecuturos esse cōfidant. Paulū pōst: Plerique sexaginta atque septuaginta annos nati, qui à puero in Christi se disciplinam tradiderunt; incorrupti permanent, precorque, vt in omni hominum genere tales monstrare possim. Quid enim enumeremus infinitam multitudinem eorum, qui ab incontinenti, intemperataque vita abducti sunt, cum hac ita didicissent? Hæc Iustinus.

Ergo illa Religio à Deo est; quæ sapientiam cælo demissam imitata, primùm quidem *prudens* est, deinde *pacifica*; *modesta*; *suadibilis*; *bonis consentiens*, plena *miseriordia* & *fructibus bonis*, non iudicans, sine simulatione. Ponitur pudicitia primo loco: quia Christianæ religioni proprium est ad castitatem, omnemque honestatem moralium animos inclinare, etiam illorum, qui castitatem antea existimabant rem eiusmodi, quæ in istum tam deprauatum vitæ statum non caderet. Notauit hoc egregiè sanctus Athanasius, cum Christianæ fidei excellentiam extollens, ita scribit; *Prorsus nullam fidem virginitati habentes; & impossibile esse dicentes eam virtutem in hominibus reperiri: iidem, vbi iam credidère Saluatori ex virgine nato, non solum eam in aliis esse agnoscunt; sed ipsi eam pudicitia & sanctitate præstant, & vicissim ab Ethnicis ipsos iam tales esse factos, credi*

Iacobi 3.

S. Athan.  
serm. de  
passione  
Domini.

*credi non potest; & de qua virginitate ambigunt Magi & Græcorum Philosophi; hanc in Christo mulieres demonstrant.*

Quæ cum ita sese habeant; quæro nunc ex quois, qui æquus rerum arbiter sit, quam religionem bonam, atque aded ex Deo esse putet; Catholicam, & quæ in Catholica religione reperitur, professionem Monasticam; an verò persuasione, & fidem Lutheranam seu Calvinianam, seu aliam quois modo hæreticam. cōpara institutum Catholicorum cum institutis hæreticis; præcepta cum præceptis; regulas cum regulis; consuetudines cum consuetudinibus; placita cum placitis; decreta cum decretis: omnia apud Catholicos ex natura ipsius Catholici dogmatis inuenies apta ad spiritum, apposita ad peccati fugam & detestationem, accommodata ad mortificationem carnis & cupiditatum carnalium; idonea ad virtutes animo inferendas; insertasque custodiendas; & crebro vsu confirmandas & corroborandas. Iam verò, si Monasticam seu Religiosam vitam propius intuearis, nihil inuenies, quod ad virtutis decus, & ad perfectionem non tendat & ducat. Ipsa religiosa vitæ natura est, vt hominem ad voluntariam paupertatem; ad promptam obedientiam; ad castitatem perpetuam inclinet; contemptorem sui ipsius, omniumque rerum caducarum efficiat; soliusque cælestis patriæ desiderio compleat. Hanc naturam esse & quasi essentiam vitæ religiosæ, cum per se liquet, tum manifestè declarant veteres

illi & hodierni itidem Monachi & Religiosi, qui memores Dei & sui, gratiam vocationis *in vacuum* non acceperunt.

Verte iam oculos ad Calvinianam & Lutheranam perfidiam, quid non in sectis illis carni gratum & iucundum? Quid non ad vitia pronum & lubricum sublatis omnibus honestatis repagulis, & omni cœli, cœlitumque formidine abolita, & sola illa fide nudaque introducta, tanquam omnium peccatorum antidoto, & saluberrimo remedio? Quando vnquam alumnos suos ita format secta Lutherana aut Calviniana, vt fiant tales, quales sanctissimi illi viri, Hieronymus, Augustinus, Martinus, Hilariion, Antonius, Paulus primus Eremita, Basiliius, Anachoretæ, de quibus Theodoretus; & vt fœminas non præteream; quando vnquam vlla mulier Lutherana extitit, quæ moribus referret Paulam illam Romanam, Eustochium, Fabiolam; Demetriadem, Cyram, Maranam, Dominam, & alias innumerabiles?

Lactant.  
loc.cit.

Cùm Lactantius multa in laudem Christianæ religionis dixisset; tandem subiecit: *Num quis hac Philosophorum aut vnquam prestitit, aut prestare, si velit, potest? Qui cum atates suas in studio Philosophia conterant; neque alium quemquam, neque seipfos possunt facere meliores. Idem ego de Hæresi, & Hæreticis assero. Quid, quod ipsi interdum Sectarij fatentur Hæresin suam licentiæ & improbitatis officinam esse, nec ad honestatem, sed ad omnis generis flagitia*

gitia pronos reddere? Tres hic testes dabo, vt in ore horum trium testium *stet omne de hoc argumento verbum*, Ita ergo Smidelinus, tibi, o Smidel. in pinor, Misene, non ignotus. *Vt totus mundus cõcion. 4. agnoscat, eos non esse Papistas, nec bonis operibus Germ. Placet. quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exerceant penitus. Ieiunij loco comessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant: vbi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt & excoriant; preces vertunt in iuramenta & blasphemias, & diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis tantoperè blasphemetur: Demum pro humilitate passim regnat superbia, fastus, elatio. Atque hoc vniuersum vita genus ab illis Euangelicis dicitur institutum.*

Audiamus iam Bucerum: *Maxima eorum pars visa est id tantum ex Euangelio Christi petiisse, vt iugum qualiscunque disciplina, penitentia, & religionis vniuersa, quæ in Papatu reliqua fuit, abiicerent, proque carnis sue arbitrio ac libidine instituerent, agerentque omnia. Tum non ingratum iis fuit audire, iustificari nos fide in Christum, non bonis operibus; quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum, qualemcunq; Euangelij prædicationem, ed tantum receperunt, vt in opes inuaderent Ecclesiasticas.*

Accedat tertius Vigandus: *Rapere, inquit, Ecclesiastica bona, scortari, inebriari, aliaque id genus innumera peccata eo magis inualescunt quotidie, quia libertate crescendi habent. Hæc ille. Discrimen ergo inter Catholicam fidem & Hæreticam perfidiam, hoc est, quod illa ex sua natura ad*

VVigand.  
in admonit. de bonis & malis Germaniæ.

virtutem, inducit & impellit; hæc ex sua natura ad scelera inuitat & incitat; quippe ex carne & sanguine progenita; nam & inter *opera carnis* hæresis ab Apostolo numeratur. Quamobrem hæretici ex disciplinæ suæ instinctu & impulsu, scelerati sunt, & libidinosi, & flagitiosi, & si qui tales non sint, id non habent beneficio suæ sectæ, sed suæ indolis & naturæ fortassis naturaliter à sceleribus abhorrentis, & virtutum illa semina omnibus insita non planè obliterantis. At Catholici & Religiosi ex instituto suæ vitæ ab omnibus criminibus arcentur, & ad optima quæq; & honestissima ab ipsa religione & professione sua quasi manu ducuntur; & si scelerati sunt, id non accidit vitio professionis, sed prauæ voluntatis, desciscens à recto tramite; quem Catholica religio monstrat; hique sibi fraudi sunt & damno; non fidei aut viuendi instituto; nomine potius, quam re Christiani & Monachi: *nam qui non inueniuntur viuere, vt Christus docuit*, inquit Iustinus Martyr, *intelligentur non esse Christiani, etiamsi lingua ipsa Christi decreta & præcepta proférant: Neque enim eos, qui solum dicunt, sed eos, qui etiam faciunt, salutem consecuturos esse dixit.* At hæreticus, cum se sceleribus cooperit: tum primùm verè & perfectè cum hæreseos natura conformari incipit; perfectiusque esse; quod antea imperfectè tantùm erat.

Igitur, vt hunc locum concludam; licet plures improbi & libidinosi apud Catholicos reperirentur, quàm apud hæreticos; nihil præiudicij crearetur Catholicæ religioni ob causas supra dictas.

dictas. Vtrum aut maior vitiorū copia sit apud nos, quam apud Hæreticos: Deus quidem omnium optimè nouit, vt pote, qui solus sit scrutator *cordium & renum*. Sed facile id itidè nouerūt homines; nã vt vel vnica castitatè nominemus; quid turpitudinis & immunditiei in hoc genere non perpetrabitur ab illis, qui cum Nerone, Magis & græcis philosophis castitatem inter homines tãquam *rem impossibilem* inueniri negant, vt Calvinistæ & Lutherani faciunt? Nec plura addo; Lector cetera facilè sibi suggeret, & ex hoc capite, quales isti sint in aliis, nullo negotio percipiet.

Dixerat Ribadeneira: Prædicantes & ministros Hæreticorum exstitisse è vulgi face futores, cerdones, tinctores, lanios, homines facinorosos, & publicè damnatos. *Hæc scribis*, inquis, *oblitis ipsos Apostolos fuisse piscatores.* Vt maximè Piscatores fuerint: attamen facinorosi & scelerati non erant: & vt maximè quidam ex illis tales fuissent: vt Matthæus Publicanus, & Paulus persecutor Ecclesiæ, at tales esse desierunt, longèque aliam viuendi rationem instituerunt, & alios itidem instituere docuerunt, Spiritu sancto accepto & diffuso in singulorum cordibus, ad sanctificationem tum propriam, tum alienam. At tui illi futores & cerdones, ne vno quidem pilo meliores effecti sunt; postquam ministerium inierunt; Doctorisq; officium susceperunt; nec alios ad sanctiorem vitam verbo vel exemplo inuitarunt: nec potuerunt, quippe Hæretici. Quorsum enim Hæresis impellat, paulo ante tibi demonstraui.

Orig.lib.  
1. contra  
Celsum.

Cum Celsus Epicureus Christianis obiecit: Magos eadem facere, quæ Christus fecerit; Respondit Origenes, *nullus præstigiator* (prædicans Lutheranus aut Calvinianus) *per ea, quæ facit, ad morum correctionem spectatores inuitat, neque timore Dei percultos erudiunt id genus spectacula, (ministeria) neque circulator* (prædicans) *oculos corona pascens, suadet ita viuere, ut approbetur vita Deo iudici. Nihil horum faciunt præstigiatores* (prædicantes) *quia non possunt; ac ne volunt quidem, negotium habere cum corrigendis hominibus; ut qui ipsi referti sunt turpissimis sceleribus et infandissimis. Quos enim Hæretica viuendi norma ad meliorem viuendi rationem induceret, vana ipsa & futilis moribus & doctrina? Non omitam, inquit Tertullianus, ipsius etiam conuersationis Hæreticæ descriptionem: quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens; quod deinceps sigillatim ostendit; præcipuè ex ordinationibus, quas apud Hæreticos ait esse temerarias, leues, inconstantes; præter cetera leuitatis documenta adducit & hoc, quod Laicis sacerdotalia munera iniungunt; more videlicet Calviniano & Lutherano. Heri Lutetia cerdo vilissimus* (verba sunt Ioannis Quintini professoris Parisiensis) *triduo post inter Gnosticos Euangelicæ vitæ prædicans est admirandus. Nudiustertius ganeo proiectissimus, & lupanarium sectator, & affecla nequissimus, haud multis transactis lunis etiam commentaria scribit in Euangelia.*

Tertull. de  
præscript.

Ioã. Quin.  
in scholiis  
ad lib. Ter-  
tul. de præ-  
script.

Ait

Ait Ribadeneira, eò impudentiæ Hæreticas quasdam mulieres progressas, vt publicè docèdi munus sibi fumerent, & ex loco superiore verba facerent. Tu hoc mendaciter scriptum affirmas. Atqui verè scriptum esse docet inprimis ipsa Hæreseos natura, quæ eiusmodi est, vt faciliè eò inuerecundiæ mulieres perpellere queat; & verò iam olim perpulerit. Obseruauit hoc Tertullianus: *ipsæ mulieres hæreticæ, inquit, quàm procaces; quæ audèant docere, contendere; exorcismos agere; curationes repromittere; forsitan & tinguere.* Si hoc fecerunt temporibus Tertulliani; quid nostro tempore non egisse censendæ sunt, quibus ad impudentiam maxima accessio facta est? Secundo Surius expressè scribit Lutheranas quasdam scēminas tantos sibi sumpsisse spiritus, vt, contemptis quibuscunque Theologis, non dubitarint contra Pauli prohibitionem publicè concionari. Idem testatur his verbis Ioannes Quintinus Hæduus, & ex eo Iacobus Pamelius. *Nunc inter Gnosticos* (sic nominat Hæreticos huius temporis, inani scientiæ opinione tumidos) *mulieres de sacris & palàm concionantur; immo contendunt: Ab anno Domini 1521; quo passim Biblia profanari cœpere vernaculis populorum linguis, adeo quoq; mulieres inceperunt profusis & color theologari, vt inuenta sint, quæ de scriptis Pauli themata collegerint, de quibus essent illa parata publicè quibusuis disceptantibus, & in quibuscunq; scholis respondere. Nostræ tēporis historia cōtentiosas et disputatrices istas scēminas nominatim produunt, & publice cum talibus doctricibus ab iisdē conscripti libelli extant. Hæc ille.*

Tertull. de  
præscript.

Sur. in cō-  
men. 1522.

Quint. Io.  
cit. Pamel.  
Annot. ad  
Tertull. de  
præscript.

Certè

Luth. li. de  
ministris  
Ecclesiae  
instituend.  
Tom. 2.

Certe nihil non audent Hæreticæ mulieres, postquam mulier pro capite Ecclesiae sese venditare ausa fuit, inaudito prorsus exemplo. Et postquam ipse Lutherus omnibus hominibus, etiã mulieribus omnes officij sacerdotalis partes competere docuit; vt docere verbum, baptizare, consecrare panem & vinum, absoluere. Monstro profecto simile foret, si nulla mulier reperiretur, quæ hac tam ampla sibi à Luthero concessa potestate vti vellet. Quid, quod liber exstat nomine monialis nubentis, quo id vnum agitur, vt mulieribus potestas publicè docendi asseratur. Quocirca pro vna Quintilla, quæ ius docendi sibi arrogauit, quamque Tertullianus propterea *monstrosissimam* nominat; tulit hoc æuum plurimas. Sed tu hic mulierum causam agis, & vel inuito Apostolo illis in templo cathedram concedere conaris. Ais, *Basilium sanctissimum & eruditissimum virum, institutum & informatum à femina.* Sed num à femina in templi subfelliis docente? Nonne disertè proficitur, sibi adhuc paruulo, ab illa femina, à qua, vt à nutrice educabatur, pietatis & rectæ fidei dogmata instillata esse? Quod genus docendi neque Apostolus, neque vllus vnquam veterum Patrum mulieribus ademit. Sed aliud est, Misene, concionari & disputare publicè in templis & scholis; quod factitant mulieres quædam Hæreticæ: aliud priuatim teneros infantium animos fidei elementis imbuere.

Quod verò Basilium, virum *sanctissimum & eruditissimum* nomines: Ironicè te loqui puto, quia si eum pro *sanctissimo & eruditissimo* haberes;

res; Calvinianus non esses; Basilius enim Monasticam vitam coluit; Monasticas regulas & constitutiones edidit; in quibus ea continentur clarissimè; quæ tu in nostris & aliorum recentiorum Ordinum regulis subsannas & calumniaris; cœlebs vixit; cœlites coluit; ieiuniis corpus domuit, & alia Euangelio vestro dissimillima fecit. Quare ex hoc tuo elogio nihil aliud colligo, quàm Calvinianos, nec sanctos, nec eruditos esse, cum viam illam, qua Basilius ad sanctitatem & eruditionem peruenit, penitus deseruerint.

Necdum finis patrocini pro fœminis suscepi: *Huic sexui*, inquis, *Apostolus non admittit Prophetiam*, cum ait, *mulier orans aut Prophetans tegat caput suum; vt dictum illud eiusdem, mulier ne loquatur in Ecclesia, non videatur extendi posse ad extraordinarias vocationes.* Verba Apostoli tenebras tuæ glossæ non admittunt. Quid enim illis clarius? *Docere autem mulieri non permitto;* 1. Tim. 4. *neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Alibi: 1. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Quamobrem Tertullianus ex antiquo Ecclesiae more: *Non permittitur, inquit, mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortem sibi vendicare.* Rectè dixit *virilis muneris*; quia officio Doctoris fungi publicè, virorum est, non mulie-

Tertul. lib.  
de veland.  
Virg. ca. 9.

S. Hier. in mulierum. Vnde S. Hieronymus in illa Apo-  
 2.ca. Epist. stoli verba. Docere autem mulieri non per-  
 1.ad Tim. mitto, ait; *publicè non permittit, nam filium aut  
 fratrem debet docere priuatim.* Idem ad illud: *O-  
 mnis autem mulier orans aut prophetans, non velato  
 capite, deturpat caput suum;* addit; *In suo sexu;*  
*aut in domo:* non in Ecclesia: aut si in Ecclesia;  
 non inter viros, sed inter scæminas, non vt do-  
 catrix; sed vt prophetis. Aliud munus Docto-  
 ris est: aliud prophetæ, aut prophetidis. Hoc  
 Christianæ scæminæ aliquando in primæua illa  
 Ecclesia, singulari Dei beneficio subibant: illud  
 nunquam; sed scæminæ duntaxat hæreticæ;  
 qualis Prisca & Maximilla Montani, Lucilla  
 Donati, Agape Elpidij, Galla Priscilliani; & fi-  
 miles Megaræ; quas extraordinaria vocatione  
 in Ecclesiis docuisse libenter tibi concedo,  
 dummodo tu vicissim fatearis, eas ob hanc  
 suam extraordinariam functionem pro mon-  
 stris habitas fuisse; neque nunc tuis istis extra-  
 ordinariis Doctrinibus & concionatricibus in-  
 iuriam fieri, si & ipse in portentorum nume-  
 rum referantur.

Quàm grauitèr inuehitur Tertullianus in  
 mulieres quæ munus docendi & extra neces-  
 sitatem baptizandi; & quidem publicè & so-  
 lenni ritu; temere sibi vsurpabant. *Petulantia,*  
 inquit, *mulierum, quæ vsurpauit docere, vtique non  
 etiam tinguendi ius sibi pariet, nisi si qua noua vipe-  
 ra euenerit similis pristina* (Quintillæ) Sed defen-  
 debant se mulieres exemplo Theclæ petito ex

Tertull. li.  
 de baptis-  
 mo.

apo-

apocrypho quodam libro. Defensionem hanc  
 ita refellit Tertullianus. *Quod si quæ Pauli per-  
 peram scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam  
 mulierum docendi tinguendique defendunt: sciant  
 in Asia Presbyterum, qui eam scripturam constru-  
 xit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum,  
 atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco de-  
 cessisse. Quàm enim fidei proximum videretur, vt is  
 docendi & tinguendi daret scæminæ potestatem, qui ne  
 discere quidem constanter mulieri permisit? Taceant,  
 inquit, & domi maritos suos consulant.* Voca-  
 tur autem liber quem hic citat Tertullianus à S.  
 Hieronymo, liber de Periodis Pauli & Theclæ.  
 Sed ad Misenum regredior.

Confecta pro mulieribus pugna, vertit se Pa-  
 ris noster ad Lutherum; eumquæ ab omni er-  
 roris labe, quàm diligentissime purgat; nihil  
 eum contra SS. Trinitatem, aut contra ho-  
 norem Deiparæ Virginis, aliorumquæ cœlitum;  
 aut contra legitimum Sacramentorum vsum  
 & numerum, aut contra vllum rectæ fidei do-  
 gma docuisse affirmans. Quod tam verum  
 est, quàm verum est Gnosticos, Simonia-  
 nos, Valentinianos, Arianos, Sabellianos, Eu-  
 nomianos, Macedonianos, & id genus alios se-  
 ctarios, nihil aduersus Orthodoxam fidei re-  
 gulam & sententiam in mundum introduxis-  
 se. At quod Purgatorium eo nomine reiciis;  
 quia id, vel saltem aliquam eius vmbra, ag-  
 gnouerunt Plato, Platonici, & Virgilius, pote-  
 ris, Misene, reicere itidem infernum, & cœlū, vt  
 commentitium; imò & ipsum Deum; quia horū  
 omnium

omnium vestigia satis expressa reperire est in libris Platonis & Platoniorum; & in Æneide Tertul. A- Virgilij. Tertullianus & alij veteres, conuersa polog. cap. ratione, hinc argumentabantur, aliquid potius 47. verum esse quàm falsum: *Vnde hæc, inquit, Philosophis aut poetis tam consimilia? Non nisi de nostris sacramentis; si de nostris sacramentis, vt de prioribus, ergo fideliora sunt nostra, magisque sunt credenda, quorum imagines quoque fidem inueniunt; si de suis sensibus, iam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur; quod rerum forma non sustinet, nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago præcedit.*

Illud lepidum, quod varietatem sectarum, quæ ex vna Lutheri secta prodiit, excusas exemplo Catholicæ Ecclesiæ; ex qua Hæreses sint natæ. *Vnde hæreses, inquis, olim prodierunt; nonne ex Ecclesia Catholica? Sed nosse debes; hæreses non modò ex Apostolica doctrina, sed & ex Hæretica nasci, & quidem multo facilius: quia ex hæresi, nascuntur hæreses per se, ex vera doctrina tantum per accidens, quia tantum vitio & improbitate hominum: at hæresis vitio suo hæreses parit. Citius, Misene, gignitur monstrum ex monstro; quam ex nõ monstro. Præterea indicium idoneum Apostolicæ doctrinæ non est, quod Hæreses inde existant, alias adesse oportet Apostolicæ doctrinæ notas. Quocirca planè ridiculum est hoc tuum argumētum, quod tacitè hic proponis: *Ex doctrina Lutherana multipli-**

*ces sectæ orta sunt; ergo doctrina Lutherana est Apostolica; nescis quot hæreses extiterit ex vna Ariana perfidia; an ideo censenda est Apostolica?*

Adhæc, si secta est, vt reuera est; quæ ab Apostolica & vniuersali Ecclesia desciscit, sectam esse oportet Lutheranam doctrinam; quæ ab illa Ecclesia desciiuit quæ sola toto terrarum orbe habebatur & nominabatur Apostolica. Lutherani certè à nobis desciiuerunt, non nos ab illis. Hinc nullus tam impudens Lutheranus inuenitur, qui asserere audeat, nos ab illis desciiuisse: Libenter omnes confitentur, se ex Pontificia Ecclesia egressos esse; ergo si ea est doctrina Apostolica, à qua prima fit egressio cū Apostasia fraude diaboli excitatur; sequitur profecto Lutheri placita sectis esse annumeranda; quia ipse à nobis cum pauculis suis initio exiit; donec tandem mysterium iniquitatis latius propagatum, plures ad defectiorem sollicitauit & impulit. His adde, quod quidquid sit de Lutherana Synagoga, Caluiniana certè & quotquot ex Lutheri Schola extiterunt, Catholicæ & Apostolicæ esse nequeunt. Calvinianam autem seu fidem seu perfidiam, ex Lutherana natam esse, quis ignorat nisi qui omnia ignorat; & ita ex illa natam esse, vt sit peculiaris & distincta professio, in confesso itidem est apud omnes qui sciunt, vltimo Mompelgartensi colloquio, Calvinistas & Lutheranos, ne amicitia quidem dexterarum, nedum fraternitatis iungere voluisse. Iam vt maximè Lutherana persuasio Apostolica esset, vestra ab illa toto cælo discrepans, Apo-  
V stolica



stolica esse nequiret, quia religio, quæ ab Apostolica deficit, nil aliud est, quam Apostolica. Quod si & illa, à qua deficitur, & illa ad quam fit transitio, apostolica est, & sectaria; perspicuum Lectori erit, quid de vtraque statuere debeat, vt & de omnibus aliis, quæ ex hac infelice stirpe succrescunt.

Ad quam sectarum diuersitatem non nisi ineptè accommodas illud Domini dictum: *Nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram; non veni pacem mittere; sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam*: hoc est, interprete Miseno; veni efficere; vt vna in domo alij essent Calvinistæ, alij Lutherani; alij Anabaptistæ; alij Trinitarij; alij Schvvenckfeldiani; alij Vbiquistæ, vt vna eadèmq; domus perpetuis rixis & contentionibus personaret: Hic mei aduentus finis est: non ergo mirandum, si nunc vna in domo tot inueniantur placita, quot capita, ne dicam plura: quia hæc opinionum diuersitas, aduentus Christi fructus & effectus, est, si Calviniano expositori credimus. Apud quem verò nugator fidem mereatur? Non enim Christus, qui *princeps pacis* à Propheta verissimè cognominatus est, dissensionum & turbarum, & seditiosarum sectarum auctor est. Cum Euangelium suum prædicaturus; & homines ad consilia euangelica inuitaturus venisset; prædixit id futurum, quod reuera futurum erat, vt videlicet ob fidem Christianam à se, non ab Hæreticis

in-

introducendam; pater à filio; filia à matre; frater à sorore aut fratre; nurus à socru dissentiret, quæ dissensio bona & laudabilis erat, quia à sceleratis vita, moribus, & opinionibus dissentire, laude dignissimum iudicatur; sicut & omnem commendationem meretur is, qui perfectioris vitæ cupiditate, mundo nuncium remittit, nudusque nudum Christum sequitur; discordans à consanguineorum & familiarium suorum voluntate, quibus interdum minus gratum accidit, si quem sublimius vitæ institutum meditari sentiant.

Quod autem ex Clemente Alexandrino obiectis: *Etiam Christiana Religioni olim dissensiones & varietatem sectarum obiectam esse*, id causam tuam nihil iuuat: Clemens enim loquitur de doctrina Catholica & Apostolica, cui vitio verti non debet, si ex ea hæreses oriantur, cum id non fiat vitio ipsius doctrinæ, sed temeritate hominum ea quæ recta & sancta sunt deprauantium, vt supra respondi. At quod hæreses nascuntur ex hæresibus, id hæresi iure crimini datur, cum hæresis naturâ suâ ita sit comparata, vt facillimo partu enitatur hæreses, dum vnusquisque hæreticus *suo arbitrio modulatur, quæ accepit*, vt Tertullianus loquitur: *quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suam morem profectus rei*: Idem licuit Valentinianis (Lutheranis.) quod Valentino, Luthero. Idem Marcionitis, Calvinistis, quod Marcioni, Caluino, de arbitrio suo fidem innotare. Denique penitius

Tertull. de præscript.

Matth. 10.  
Lucæ 12.

Isaïæ 9.

*inspecta hæreses omnes in multis cum Auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Ergo si quis seu Hæreticus, seu Ethnicus Christianam, hoc est, Catholicam & Apostolicam fidem, condemnare velit, hoc solum nomine; quod ex ea Hæreses profeminentur; tum locum habebit Clementis responsio, vt & Origenis, qui eandem calumniam à Celso Christianis obiectam copiosè refellit: tum dicere licebit, nullam vnquam existisse rem magna existimationis, & communi vita vtilem, que non in varias sectas discissa sit. Medicina namque, quod ea sit utilis ac necessaria humano generi, multasque quaestiones habeat de modo curandi corpora, apud Græcos ex professo plures sectæ reperiuntur, & sicut opinor, etiam apud Barbaros, qui medicinam profitentur. Rursus philosophia, quia veritatis cognitionem, recteque viuendirationem pollicetur, conaturq; nos res utilissimas docere, in multas quaestiones diductas, ideo sectas habet plurimas, quasdam magis, quasdam minus insignes; nec non Iudaismus sectarum materiam prebuit, aliis aliter Moysis atque Prophetarum verba accipientibus. Eodem modo, quia Christiana religio magnum quiddam, ac venerabile visa est hominibus, non tantum seruili ingenio pradiis, sicut Celso videtur, verum etiam multis Græcorum eruditis, necessariè exorta sunt sectæ; necessitate videlicet non assoluta, sed ex hypothesi: posita quorundam curiositate & peruicacia, nolentium intellectum in obsequium fidei redigere, nec ad sobrietatem, sed supra sapere conantium.

Orig.lib.  
2. contra  
Celsum.

Cete-

Ceterum, vt culpa sua sectas parere propria quædam hæreseos nota est; ita & conspiratio ad euertendam Catholicam fidem. Nihil interest illis (Hæreticis) licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent, inquit Tertullianus. Quare quod hanc conspirationem Misenus tuetur exemplo conspirationis Pontificiorum & Lutheranorum in Turcam, id haud opinor, fecisset, nisi veritatem & Turcam, tyrannidemque Turcæ, & suauè iugum veritatis eodem loco habuisset.

Hactenus quidem gnauiter impudens fuit Misenus: at iam se ipso impudentior efficitur. Nec erubescit proficiens in impudentia: Negat audacter accidisse ea, quæ Ribadeneira à Calvinistis & aliis Hæreticis in Gallia, Anglia, Belgio, Scotia, Germania crudelissimè perpetrata scribit; citatis nostri temporis historicis & scriptoribus Surio, Natale Comite, Fontano; Claudio Sanctesio, Sanderò, Possuino, quibus addi poterant plurimi alij, Galli, Belgæ, Angli, Germani, qui latino sermone & stylo vernaculo latrocinia Calvinistarum in pace & bello edita, ad posteritatis memoriam transmiserunt, & summæ huius Euangelij sæuitiæ monumentum ære perennius exegerunt, ita vt extent libri, quibus nullum aliud argumentum propositum est, quàm vt Turcica plane Calvinistarum, vel potius Diabolica facinora percenseant, totiusque mundi oculis contemplanda proponant. Et tu hæc inficiari audes, quæ omnium scriptorum consensu firmantur, quæ vno ore Gallia, Flandria, Anglia, Scotia loquuntur, & sæculis innu-

Tertull. de  
præscript.

Theatrum  
crudelita-  
tis Hæreti-  
cæ. Furo-  
res Galli-  
ci.

merabilibus loquentur, quæ ipso aspectu & cōspectu probari possunt? Quot enim non dicam centena, sed millena monasteria, Deoque dicata domicilia, templa & oratoria, & altaria funditus euertistis, furiosissime incendistis, rapacissimè expilastis, & diripiistis, enectis Monachis, laqueo, gladio, rogo; trucidatis sacerdotibus; nec sacerdotibus tantum; sed & promiscuo vulgo sine delectu, sine vlla misericordia; sine vlla non dicam humanitate; à qua iam pridem deserti sunt Calvinistæ; sed vel humanitatis umbra. Nulli Vandali, nulli Gotthi, nulli Ariani, nulli Donatistæ, & quid hos commemoro? nulli Getæ, Quadi, Hunni, Sarmatæ, Heruli ed furoris aspirarunt; quo Calvinistæ, Diabolo felicibus auris illos prouehente, prouecti sunt. Commiserunt quidem veteres Hæretici facinora planè etiam Tragica, & ab omni humanitate remotissima, sed Calvinistæ supergressi sunt vniuersos, vt enim impietatem hæreditario quasi iure acceperunt à priscis hæreticis, non tamen sine grandi additamento; ita & immanitatem illam barbaram ab eisdem traxerunt; non tamen sine largo auctario. Lege quæ S. Athanasius de Arianorum sætuitia prodidit, & confer cum tuorum Calvinistarum rapinis & cædibus, clarequè intelliges, vtris nequitia palma debeatur, vobis an Arianis; nisi fortè, quæ Athanasius oculatus testis scripsit de Arianorum crudelissima & sanguinaria secta, eadem fronte negas vera esse, qua negas vera esse, quæ Gallia, Britannia, Scotia, Flandria à ferocissimis & truculentissimis Calvinistis perpeffa est, certè minus impudens esses, si anti-

S. Athan.  
Apolog. 1.  
ad Constatium.  
Et Epist. ad  
solit. vitā  
agentes.

quis

quis illis fidem abrogares, quam si his nouis & nuperis, quorum monumenta in omnium oculos adhuc incurrunt:

Sed ais: *Si quid factum sit, id factum esse iure belli.* Primum, quo iure bellum gestum est à Calvinistis aduersus legitimos Reges, & à Deo præpositos Magistratus? Secundo; quidnam hoc Iuris, capta ciuitate vel arce, vel per infidias & proditionem intercepta, trucidare inermes Sacerdotes, Monachos & Moniales in cellulis latitantes, Deoque supplicantes, nec trucidare tantum, sed exquisitissimis suppliciis excarnificare, non sine ludibriis, ipso corporis cruciatu longè acerbioribus. Quid iuris hoc debacchari in cineres & ossa mortuorum, nec Diuorum tantummodo, sed & Regum? Obi Galliam, Misene, obi Belgium, Scotiam & Angliam, & intuere illud ius Calvinianum; quod si vobis ius est; iam ergo non modo à fide; sed & ab Astræa virgine penitus derelicti estis, quando ius vobis est, non quod Iustitiæ, sed quod vobis lubet, quod si lubet, licet. Ed processistis, quo nunquam procedere ausi fuerunt tyranni quidam, licet flagitiosissimi, ipsam tacitam conscientia suæ reprehensionem reueriti, si ius istud Calvinisticum amplecterentur.

Nec plura de his, tantùm moneo Lectorem, vt obseruet vel vnicum exemplum, in quo Calvinianis cū Arianis egregiè conuenit: idq; est, Virginum Deo consecratarum dira persecutio & probrosa exagitatio, quotiescunque isti

S. Athan.  
Apolog. 1.  
ad Con-  
stant.

Orthodoxorum loca ferro armati populantur. Audiamus S. Athanasium hæc, quæ ipse vidit, & in quibus perpetiendis pars magna fuit, enarrantem, dum ita Constantium Imperatorem alloquitur: *Dei filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus, homo propter nos factus profligata morte, & liberato à seruitute & corruptione humano genere, inter cetera dona sua largitus est nobis in virginitate exemplar Angelicæ sanctitatis. Certè puellas ea virtute preditas, sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare solita est, quas Ethnicis conspexit, ut templum verbi, admiratione prosequuntur. Nusquam enim alibi sanctum illud & cœleste aeternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos (nota hæc Misene, nota) atque in eo magnum documentum est, planè apud nos esse veram religionem. Has præ reliquis omnibus, beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus Augustus in pretio habuit; & tuæ religiositas sæpe eas in suis scriptis pretiosas & sanctas nominavit.*

*Has nuper præstantes viri Ariani, nostri scilicet calumniatores, insidiatoresq;, vti ad hoc & Episcoporum opera & ministerio Iudicum, detractis vestibus, denudarunt, & ab eremitariis suspenderunt; lateribus earum, ita iam terribiliter laceratis, ut nunquam quidquam tale neque facinorosissimi quidem homines passi sint. Pilatus enim, qui inserviebat per id temporis Iudeis, lancea vnum latus Saluatoris perfodit: isti autem rabie sua Pilatum vicerunt, cum non vnum latus Christi, sed vtrumq;, lace-*

*ceravint: membra enim virginum præcipua, & propria Christi sunt. Omnes certè quotquot scelera ista audiunt, vel ad solam famam exhorrescunt: isti soli nihil veriti sunt denudare & lancinare impolluta membra, quæ puellarum aeternæ virginitas Christo dedicauerat. Et quod teterrimum est, si quando male audirent, & conuiciis ob tantam crudelitatem pulsarentur; pro erubescencia, qua tingi debuerant, causabantur sese id tuo iussu & imperio perpetrasse: tanta illis audacia est, & improbitas ad omne facinus. Nihil certè in persecutionibus tale gestum esse audimus. Quod si tale quid gestum reperiatur; non decuit tamen sub te, Christiano Principe, virginitatem istiusmodi contumeliis exagitari, aut tantam crudelitatem tuæ Maiestati imponi, & adscribi: talia enim scelera & impietates in Filium Dei, & in consecratas eius virgines hereticis conueniunt. Hæc sanctus Athanasius de Arianis. Annon Calvinistæ similia fecerunt? Nec his tantum similia, sed longè sceleratiora & atrociora?*

Hoc autem nimis ridiculum; quod Lutheri cum Diabolo consuetudinem, & tam familiarem conuictum, quem ipsemet libenter fassus est, excusas, ed, quod Ribadeneira scripsit; Ignatio sæpè Diaboli speciem visam esse. Poteras si specimen aliquod perfritæ frontis edere volebas, excusare exemplo Christi; cui itidem in deserto moranti, Diabolus apparuit. Poteras exemplo S. Antonij & S. Hilarionis, quibus idem capitalis noster hostis non semel conspiciendum sese præbuit. Meminisse tamè debebas, Diabolū

aliter Ignatio, aliisque sanctis viris visum; aliter Lutheri; huic, ut Magistrum, discipulo: Doctorem, auditori beneuolo; contubernalem, contubernali; amicum amico; illis, ut inimicum inimico, ut seductorem & deceptorem, his quos seducere & decipere volebat, nec tamè poterat. Ex quibus facile itidem intellexisses, quanto intervallo & hæc & illæ Diaboli apparitiones distent.

Addis, ideo nobis videri Lutheri spiritum à Calvinistarum spiritu superari impietate, truculentia, immanitate; quod Calvinista nostrum idolum, realem scilicet præsentiam Christi in Eucharistia, fortius adorti sint, quam Lutherus, & acrius oppugnarint, & adhuc oppugnent. Non inuidemus vobis, Misene, hanc laudem; si qua est ea gloria. Longius à pietate recessistis, quam Lutherani, viamque ad Arianismum & Iudaismum, & Turcismum, & Atheismum planã & expeditam strauistis; iamq; Calvinus iudaizans, & Calvinoturcismus, & Calviniani Atheismi omnium manibus & sermonibus circumferuntur. Nec tantum hac impietatis quasi dote secta vestra Lutheranam longo intervallo antecedit, sed & barbara crudelitate & violentia. *Bellua ista*, inquit sanctus Athanasius de hæresi Ariana, & ego de vestra terras inuasit, ut qua non verbis velut dentibus suis homines innocentes ladat, sed & externam vim ad insidias faciendas comparavit.

Ad extremum, qui Hispanos, quia ita tibi commodum videtur: nationem potentissimam & fortissimam, hoc loco appellas, ille ipse libro primo viles ani-

mas et serviles nominaras; quia eo loco huiusmodi conuicium tibi promere iubebat; doctus nimirum es, versare linguam bilinguè in vtramque partem prout fert animus & calumniadi æstus. *Flare simul & sorbere nostri*, quod vetus verbum haud facile esse dicit.

## CAPVT VII.

Refutantur calumnia Miseni in caput decimum nonum.

INscribitur hoc caput de fidei apud Indos propagatione. Vbi Misenus: *De Indorum conversione melius fuerat silere, quàm multa scribere resuitas*. Ingrata oratio hæreticis, quæ de Ethnicorum eouersione instituitur; cum, ut iam olim obseruauit Tertullianus, hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur; quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio adificio venit, sed de veritatis destructione; nostra suffodiunt, ut sua adificent. Ita fit, ut ruinas facilius operentur stantium adificiorum, quam extructiones iacentium ruinarum. Hæc verissimè Tertullianus.

Tertull. de præscript.

Ais, in ipsa India quendam Franciscanum publicè clamasse, nec sacerdotem, nec Monachum, neque Episcopum in tota India vllum existere viri boni nomine dignum. Quis fuit ille Franciscanus? Cur nomen non edis? Cur non Indiam, in qua degit? Cur non locum in India? Cur non saltem nomen Auctoris apposuisti, qui dictum hoc Franciscani illius referat? Vix enim mihi persuadeo te hoc ex ipso Franciscano in India

S. Athan. epist. ad solit. vitam agentes.

dia audiuisse, nisi fortè cum Geneuensis Euangelicis Ministris, qui navigationem Indicam aliquoties tentarunt; nouum orbem petiisti. Sic grauis ille Auctor, qui asseruit, *Monachos palam & interdum ea flagitia committere, quae alios vel noctu perpetrare puduerit*; erit fortè Balæus, aut Balæo similis criminator, qui è pulpito *verbi diuini*; vt gloriantur, eas calumnias iactant, quas alios, vel in ipsis Saturnalibus ex plaustro spargere puduerit. Cur non exprimis nomen grauis illius Auctoris; vt tam de illius grauitate, quàm de tua veritate iudicium facere liceat? Quare retices, ex quo scriptore deprompseris, quæ postea narras de querelis & expostulationibus quorundam Indorum ob rapacitatem nonnullorum Christianorum militum? Quid seu militum, seu mercatorum avaritia & inexplebilis cupiditas Euangelij promulgationi præiudicat? An malum erit Christiana religione Ethnicos informare; quia vel nonnulli Christiani Ethnicis improbo vitæ exemplo prælucent: vel quia aliqui ex Ethnicis, salutaribus Baptismi vndis abluti, vitam postea doctrinæ Christi minimè consentaneam instituunt?

Quamquam quis vnquam in India, vel ex incolis vel ex accolis sceleratiorem & flagitiosioram vitam duxit, quàm Caluiniani Ministri cū Villagagnone in Americam profecti, quorum Princeps Richerus Monachus Apostata? Hi postquam in Americam ad arcem Colligniam ab Admiralijs familia sic nominatâ appulissent, in continentem egressi, pro vno Euangelio multa, eaque hostiliter dissidentia, cœperunt spargere.

gere. *Casitas eorū multò erat magis admirabilis, seu, vt verius loquar, portentosa. Sic enim omnem verecundiam & pudorem naturalem excusserant, vt ipsi infideles & barbari eos horrerent. Alij, qui vxores suas Geneuæ, vel in Francia reliquerunt, puellas quasdam in classe aduectas, vt necessariam Gallicæ colonie illic propaganda operam nauarent, vxores sibi iunxerant; alij cum Americanis, fœminis infidelibus, copulabantur. Quid adulteria & incestus dicam, cùm esset, qui turpissimo contra naturam peccato se polluerent, imo ex hoc numero vnus per vim nepoti proprio, sua sororis filio, stuprum intulit, qui tamen cum reliquis, Richero excusante, & infirmitatis humana rationem habendam esse dicente, diuisiones enim gratiarum esse, supplicium euasit, vt ipse Villagagnon, qui rebus gestis interfuit, asseuerat. Hæc partim ex ipso Villagagnone; partim ex alijs scriptoribus Gulielmus Reginaldus Anglus, in libro què Caluinoturcismum inscripsit; quo collatione inter Caluinianos & Mahometanos facta; perspicuè ostendit, Caluinianos multis partibus in doctrina sua deteriores esse Turcis, & omnibus alijs Mahometanis. En Misene, quales Euangelium tuum præcones in Indiam ablegarit; quibus ad illa vsque tempora tractus ille terræ nequiores non aspexerat.*

Porro egregia Richeri excusatio, ducta ab humana imbecillitate, qua flagitium rogo dignū purgare conatus est, reuocat mihi in memoriam factum factiq; excusationē cuiusdā Manichæi, ex illorū ordine, quos Sanctos seu electos nomi-

Reginald.  
lib. 2. Cal-  
uinotur-  
cismi. c. 11.

nominabant, ab insigni scilicet morū integritate vitęq; sanctimoniam; q; sanct<sup>o</sup>, cū Monialē quandā nō modō violasset, sed & impregnasset, & ob id à fratre Monialis grauissimē quadā vice pugnis & calcib. cōtūderetur, inter crepitātes id<sup>o</sup> identidē clamabat, vt sibi ex auctoritate Manichęi parceretur. Adā primū Heroē etiā peccauisse (peccatū videlicet carnis, ita. n. opinabantur Manichęi) & post peccatū fuisse sanctiorē. Rem his verbis cōmemorat S. Aug. cū mores Manichęorū describit: *An verō illius etiā Sancti, ad cuius disputationes in ficiariorū vitū veclabamur, tantū illud flagitiū prodiretur, si virginē sanctimonialē mulierem tantū, non et pregnātē facere potuisset, sed occultū et incredibile malū, crescēs vterus latere nō passus est. Quod cū mater fra tri iuueni pdidisset, acerrimē dolēs, religionis tamē nomine ab accusatione publica reuocatus est: (erat. n. & ipse iuuenis Manichęus) perfecitq;, vt ille (non. n. hoc ferre quisquā posset) de illa Ecclesia (Manichęorū) pelleretur; & ne impunita res omnino esset, cępit cōsiliū, vt adiunctis sibi amicis, hominem pugnis calcibusq; cōcideret. At ille, cūm grauiter caderetur, clamabat, vt sibi ex auctoritate Manichęi parceretur. Adam primū Heroē peccauisse, & post peccatū fuisse sanctiorē. Hęc de sãcto illo Manichęo, catholicē & verē S. Aug. Poterat autē Richerus excusandi sui Symmyltx gratia nō modō fragilitatē humanā & diuerlitate charismatū, sed & exemplū Caluini & Bezę apud Villagagnonē afferre; & orare, vt illi ex Caluini & Bezę auctoritate parceretur, nam & hos peccasse similia peccata; & post peccatū fuisse sãctiores. Sed satis de Geneuensis. Apostolis, quos polus Antarctic<sup>o</sup> vidit & obstupuit, nō solitus antea talia monstra cernere,*

Sub-

Subdit Misenus: *Tenuēs pecunia prolectant ad religionē amplectendā, locupletes blãditis, stultos errore permouēt. Idē prorsus obiciebat Celsus sub persona Iudęi, Christo & Apostolis; Aiebat. n. Iudęos ad Christiana sacra cōuersos, illectos et deceptos fuisse à Iesu, modo valde ridēdo; vt relictis patrii institutis, & legib. transfugerent in nomē aliud, rationemq; viuendi longē diuersā. Sed vt ille Ethnicus mēiebatur, ita & iste hēreticus. Vsurpabo & hic de Indis Apologā Origen. irrideat licet Celsus (Miseno) q; dicitur, aut introductus ab eo Iudęus (Caluinista) dicitur tamen: Multos penē inuitos attractos esse ad Christianā religionem, spiritu quodam repēdē mutātē intellectu eorum, vt pro verbo exoso ad id temporis non cūctarentur mortem oppetere, post visiones oblatas ipsis vel dormientibus, vel vigilātib; multa enim talia vidimus, qua si memoraremus, duntaxat gesta in nostra presentia, cachinnū tollerēt infideles, rati nos quoq; sicut illos, de quibus malē suspicantur, fingere. Testis est autē Deus nostra conscientia, conari me nō falsis narratiunculis, sed variis exemplis commendare diuinā Iesu doctrinam. Hęc Origen. Quę verissimē itidē de Indis affirmari posse nō inficiabitur, quisquis in historia Indica non est peregrinus.*

*De Iaponiū si saperent, inquis, Iesuita; nihil verborum facerent; Imo desiperent, si nihil verborum facerent; & nobilissimam illam Ecclesiam apud Europæos promeritis laudibus non celebrarent. Gens illa, inquis, planē germana est est Iesuitis, Italis, Hispanis, quod ad superstitionem*

Orig. lib. 1. cont. Cels.

S. Aug. li. 2. de moribus Manichęorum.

*tionem attinet.* Certè fatius est, Iaponios similes esse Italis & Hispanis, quàm Caluinistis. Nam si his similes forent, monstris, non hominibus similes forent, nimioque recedendi à superstitione studio in summam impietatem, & non raro in ipsum Atheismi barathrum inciderent.

Ceterum vt Misenus chartas impleat, & scholia sua propè ad commentarij magnitudinem extendat, describit hoc loco prolixè ex epistolis Indicis mores Bonziorum, qui Iaponicæ superstitionis sacrificuli sunt: & quia quædam suis in cæremoniis, ritibus, & consuetudinibus familia habent cum Catholicis & Orthodoxis Sacerdotibus; calumniatur Misenus, Presbyteros & Religiosos nostros, in primis Iesuitas, Bonzios esse, ritusque illicitos & Ethnicos vsurpare. At quam bruta sit huiuscemodi ratiocinatio, docui iam alibi istum Lithum ex Tertulliano, Origene, & aliis; si Lithus non esset, tandem ab huiusmodi calumniis desisteret; & vel nouas excogitaret, vel penitus obmutesceret; nisi fortè Baptisimum tollendum putet ex Christianorum vsu, quod eius quandam speciem suis adhibuerint Ethnici; *Hoc lauacrum* (Baptismi) inquit

Iustin. Apolog. ad Antost. Pium. Vide Tertull. lib. de Baptismo, cap. 5.

Iustinus Martyr, *Dæmones cum à Propheta prædictum cognouissent, persecerunt etiam vt se aspergerent ij, qui in templa ipsorum intrarent, & ad eos accessuri essent, libamenta & sacrificia peragentes. Tandem verò dant operam, vt abluantur & expientur abeuntes antequam intrent in templa, vbi sedent.* Hæc sanctus Iustinus, qui & supra: *Nos non eadem, quæ alij, sentimus (& facimus) sed omnes nostræ imitantes*

*imitantes dicunt (& faciunt).* Hic quoq; *studium Diaboli recognoscimus*, inquit Tertullianus, *res Dei amulantis, cum & ipse Baptisimum in suis exercet.*

Cur verò Magos vocas, qui signo sanctissimæ crucis, aut aqua lustrali vtuntur? An Magi sunt omnes veteres, qui hoc signo, & aqua benedicta vsi, ingentia miracula patrarunt? Quorum catalogum non lubet hic texere. Nisi inimicus crucis esses; mitterem te ad tertium librum de Cruce; ex quatuor illis, quos nuper edidi; mutares fortè maledictum hoc in benedictum; si quid candoris, & in piam & eruditam illam antiquitatem reuerentiæ adhuc reliquum habes; ibidem reperies exempla aquæ lustralis nō ad vsus Magicos, sed ad curationem morborū malorumq; depulsionem adhibitæ.

Rides deinde necem quinquaginta duorum De his vel trium Patrum, & fratrum nostrorum, qui ex de duas e Lusitania in Brasiliam nauigantes, in ipso cursu pist. apud à Caluinianis piratis intercepti & immanissimè Maffcium contrucidati sunt, quibus, ne Martyrij palmam in sine lib. concedas; *Potuit, inquis, fieri, vt parras darent auaritia, vel libidinis, vel aliorum scelerum.* Magis fieri potuit; imò & factum est, vt tu hic impudentem calumniatorem ageres; quàm vt isti has ob causas, quæ in illis non inueniebantur, interficerentur. Non enim aliam ob causam, quàm ob Catholicæ fidei professionem à collegis tuis Caluinistis perempti sunt. Si scelerati, si libidinosi, si furaces, si prædones fuissent, vel esse voluissent, nihil erat facilius; quàm vitam à libidinosi & furacibus prædonibus impetrare. Nec extenuat hoc factum Caluinistarum; aliud Hispanorum



rum factum aduersus Gallos in terra florida perpetratum. Nam Hispani iure belli à Gallis pœnas sumperunt, vt ab hostibus, & eas quidem pœnas, quas ipsi Galli haudquaquam mitius repetiuisent ab Hispanis, si victoria ab ipsis stetit. At nostri non vt milites, sed vt verbi diuini, Concionatores in Brasiliam vehebantur per uastas illas Oceani vndas; & quidem nauibus Lusitanorum; cum quibus Gallis & Anglis pax iugis, quàm diu res Lusitanica sub proprio Rege stetit: cùm ecce mioparonibus suis Caluiniani piratæ inuehantur; & ad Lusitanos aduehantur; nec Lusitanos tantùm, prælio commisso, obtentaque victoria, leto demittunt, sed & inermes Iesuitas, cædi obnoxias animas, non sine ludibriis per summam sæuitiam excarnificant; excarnificatosque miserabiliter iugulant.

Nec Anglicanos Martyres immunes à moribus tuis abire permittis. *De Anglicanis Martyribus*, inquis, poterat flere Auctor, ne imprudens *fiscarios & veneficos inter Catholicos Martyres referret*. Maior, Misene, gloria est Anglicano-

Vide con-  
certatione  
Ecclesiæ  
Catholica  
in Anglia  
cum hære-  
tis. Treui-  
ris 1588.  
Et Sande-  
rû de schif-  
mate An-  
glicano.

rum Martyrum, maior splendor & celebritas, quâ vt his verborum nebulis inobscurari queat. Extant integra volumina, quæ horum Martyrum encomia decantant: nimis serò cum antiqua illa Iuliani calumnia prodis; qua persuadere vis, non ob fidei professionem, sed ob scelera & veneficia extremo supplicio affectos esse. Vetus hæc est ars Ethnicorum & Hæreticorum, facere Martyres, Martyriique causam diffiteri; aliasque à vero penitus abhorrentes prætexere. Theodoretus de Iuliano Apostata

*Postquam*

*Postquam fidei causa non paucos peremisset, supplicij illius causam afferebat, non pietatem, pro qua mortem subiissent, sed petulantiam: animaduersum in eos, qui contumeliosi fuissent erga Imperatorem, atque hos iussit rumores dispergi, quod inuideret Athletis veritatis, Martyrum nomen ac honorem.* Theod. li. 3. hist. Eccl. ca. 15.

At Carthusiani, Morus, Roffensis, & alij sub Henrico Octauo, nõ eam ob causam duntaxat crudelissimè ab insano Rege tractati & interfecti sunt, quod Romanum Pontificem caput totius Ecclesiæ profiterentur, sed & ob hanc, quod ipsum Henricum nollent pro capite Ecclesiæ venerari. Tu, si adfuisses, vtrumque libenter præstitisses, alterum tanquam articulum symboli Caluiniani: alterum velut quiddam adia-phorum: omnia enim Caluinianis sunt adia-phora, cùm de cute curanda agitur.

Concludis scholia in secundum librum dicto quodam Græcorum ad Pontificem Ioan-nem XXIII. Sed quia Balgum das testem, valde dubitare incipio, num sit Græcorum dictum; an verò tuum Balæique commentum. Ais, Græcos Pontifici, cùm eis scripssisset vnicam tantùm esse Christianam Ecclesiam, seque eius esse caput & vicarium, his verbis respondisse: *Potèriam tuam summã ergo tuos subditos firmiter credimus; superbiã tuam summam tolerare non possumus; auaritiã satiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum*. Faciamus verum esse hoc Græcorum ad Pontificem responsum, non Balæi figmentum, an non ex hoc vnico dicto intoleran-


X 2 dam

dam Græcorū schismaticorum & Hereticorum insolentiā & arrogātiā agnoscere possumus, & præfagiū quoddam futurorum malorū, in quæ miserrimi homines, postea, iusto Dei iudicio tantum supercilium vindicātis, inciderunt? Potentiam Pontificis Romani, leue & suaue iugum, tolerare non potuerunt. Ecce nunc ferreū Turcæ iugū, velint nolint, ferunt; nec vlla spes excutiendi affulget. Auaritiam Pontificis satiare non valuerunt; qui ne obolū quidem ab ipsis exigebat: Ecce nunc infatigabilem sanguifugam Turcā nacti sunt; cui illud vnum in ore, *Da, Da*, cui si dederis, perinde feceris, ac si lanam in flammam traxeris, oleum camino addideris. Dando crefcit cupido inexplebilis, quæ non modò Græcorum opes deuorauit, sed & liberos, impuri tyranni mancipia futuros. Diabolus scilicet cum Romano Pontifice, Dominus cum Græcis, quorum res ab illo tempore, quo secessionem à sede Apostolica fecerunt, in peius ruere, & retrò collapsa ferri cœpit, donec tandem funditus exciso Græcorum imperio, in immanissimi illius tyranni potestatem redacti sunt. Interea Pontifex & Latinus orbis floret, pluriumque accessione indies augetur, etiam schismaticorū: quod te docebit, Ruthenica & Alexandrina ad sedem Apostolicam legatio. Hæc breuiter de conuiciis seu Græcorum seu Balæi. Ex quibus, Misene, cum tuis Caluinistis omen capere poteris, quid vobis sit euenturum, si in impietate erga

Cathedram Petri perseuerare velis.

FINIS LIBRI SECUNDI.

APOLO-



# APOLOGIAE PRO VITA IGNATII LOIOLÆ

LIBER TERTIVS,

CAPVT PRIMVM.

*Diluuntur calumnie Miseni in octo  
priora capita.*

**N**ITIO promittit Misenus breuitatē. Mallē mendaciorum paucitatem, quæ paucis & breuibus verbis nimis quàm prodigè effundit. In capite primo, inquit, Ignati<sup>o</sup> Præpositus generalis eligitur, *in quo pulchrè exprimitur quid sit ἀκκοσιδς hoc est, simulata rei alicuius recusatio*. Recipit enim hunc honorem ἐκ τῶν ἀέκοντιζῶν θυμῶν. Optabat quidam hominem habere pectus clathratum seu fenestratum; quo oculos in præcordia inserere, & quid illic cogitationum volueretur, inspicere posset. Tu ea felicitate natus es, vt etiam sine hac (cum Tertul. A-Tertulliano dicam) *ad translucendum speculari* polog. cap. *materia*, videas quid quisque tacito sub pectore 35.

condat; quo fine; quoue consilio quiduis agat.

Qua fatali perspicacioris naturæ forte cognouisti etiam Ignatium, qui fortasse vita functus est, antequam nascereris, simulatè, non ex animo, Præpositi munus detrectasse. Eodem, opinor, oculorum & mentis acumine intueris, Gregorium Magnum, Pontificatum summum; Basilium, Cæsariensem; Gregorium Thaumaturgum Neocæsariensem thronum, aliosque viros eruditione & sanctitate præstantes alias dignitates recusasse, & cum subterfugere non possent, agrè tandem admisisse; promptiores mandata capescere, quàm mandare. Deinde autem quiduis deponere tecum: tibi ignotum esse, quoniam dicatur aliquid ἐκδὸς ἀέκοντῆς συμῶς agere, etiam si fortasse Homeri sis interpres: quam ignorantiam, unà cum innumeris aliis tibi tui auditores condonare debent.

Notandum, inquis, in hoc capite, Iesuitas inuicem peccata sua confiteri solitos. Mirum ni confiteamur Caluinianis Ministris. Addis causam. Sic enim ipsorum scelera & flagitia ipsis solis nota: neque enim se indicabunt & prodent ipsi. In hoc ipso capite commemorat Ribadeneira, Ignatium, Societate nondum constituta; insigni cuidam ex Franciscana familia Theologo confiteri consueuisse: quid ergo calumniaris Iesuitas solis Iesuitis confiteri? Secundò, cuicumque confiteamur, ille ad *Sigillum*, ut vocatur, hoc est, ad silentium, iure naturali, diuino & humano obligatur, ita ut ne periculo quidem mortis proposito, vel minimum peccatum, quod in confessione cognorit, reuelare queat, & si reuelaret, non penitenti, sed sibi infamiam & ignominiam

miniam perpetuam crearet. Quocirca cuicumque quis peccata sua patefaciat, non est, quod de fide dubitet; quia si confessarius fidem frangeret, crimina non in contentem, sed in perfidi Confessarij caput redundarent.

Reprehendis quod nostri professionem solemnem edituri, fecerint id coram Ignatio, Sacramentum Eucharistiæ altera manu in *patena tenente*. Vbi hoc mandatum, inquis, ut Christiani iuraturi altera manu in patina teneant Sacramentum corporis Christi? Nusquam sanè mandatum est, ut teneant illud in *patina*, ut tu ais; nec ita scripsit Auctor; sed in *patena*, quod vocabulum Ecclesiasticum tu fortassis non intelligis, postquam Caluiniani tui omnes *patenas* cum calicibus diripuerunt, & in pocula vel nummos conflarunt. Sed quæris, *vbina* hoc ipsum sit mandatum. Quæram vicissim ex te, *vbina* mandatum sit, ut iuraturi manum ad Deum leuent, vel duos digitos surrigant: quod Germanis in prisco vsu; vel Euangelia tangant; cuius moris sanctus Chrysostomus testis, vel in conspectu sacrosanctæ crucis, vel etiam contactu eiusdem crucis iuramentum concipiant: quod veterum multi fecerunt, ut libro secundo de sancta Cruce fusiùs ostendi. Nescis ed firmitus & gratius esse iuramentum, quod per rem sanctiorè concipitur: vel saltem, quod in sanctioris rei præsentia concipitur; quid autem sanctius corpore CHRISTI in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento?

S. Chryso-  
stom. hom.  
15. ad An-  
tioch.  
Lib. 2. de  
S. Cruce  
cap. 14.

Rides Codurium, eò, quod illo die, quo professionem ediderunt, plenus omnibus lætitiis incesse- rit. *Latitia Codurij*, inquis, paulò post in- fumum abiit; cùm, præter spem, vita excederet. Non a- biit, Misene, in fumum; sed in cœlum, nisi fortè tibi cœlum fumus est; quod si quis de Caluini- no suspicetur; haud temerè suspicetur. Vestra læ- titia abiit in fumum; quia in Orcum. Nec præter spem vita excessit; cui spes & portio erat Domi- nus, & *vita illa viuentium*; vita verè vitalis. Lau- dat Ribadeneira Codurium à prudentia & dex- teritate in audiendis confessionibus. Vbi Misenus: *de artificio illo*, inquit, *nihil memini me adhuc legere*. Quid te legere meminisses, qui præter chartas Caluini-anas vix quidquam legis? Ex- rant multi libri, tam de modo confitendi, quàm de modo confessiones audiendi, si non legisti, tuæ negligentia id adscribe.

Addis. *Procul dubio singulari methodo vtuntur Iesuitæ nobis plebeis ignota*. Iam sæpius testat<sup>o</sup> sum, istud tuum *procul dubio* finistri apud me omnis esse: portendit enim vel comitantia, vel proxime subsequencia mendacia; vt & hic, cùm ais: *in vicina vrbe matronam quandam, & aliam in nobili Germaniæ oppido, non procul hinc disito; de turpissimis rebus interrogatas esse*. Nostin quid à Ribadeneira exigere soleas, quando minimè id opus est? Nosti quid paulò post ab eodem postules? Cur nomina retices? Aut si mulierum nomi- na non lubet edere, cur non edis nomen viciniæ illius vrbis, & celebris oppidi non procul à te disiti? Vbi es, qui ne in epistola quidem de- dicatoria

dicatoria nomen tui loci apponere ausus es; vt nec nomen typographi in limine libri? Si te tanta tenet cupido sciendi quidnam interrogemus in confessionibus, nō habeo melius consilium, quod tibi dem, quàm vt ipsemet ad proximum Iesuitarum collegium te conferas, & alicui con- fitearis; tum disces, de quibus rebus examinare soleamus confitentes, si ipsi vtrò non explicent peccata, eo modo, quo in legitima confessione explicanda sunt; adhibitis debitis circumstantiis. Sed quia consilium hoc durius forsan tibi videbitur, mitius accipito; Lege saltem ea, quæ appellant *interrogatoria*, à pluribus Auctoribus præscripta; & intelliges iratis mulierculis in hoc genere non semper habendam fidem etiam iu- ratis; quippe quibus infitum elephantem ex musca confingere, præsertim si ira odioque fla- grent. Denique vnus imprudentiam, si quam forte quis admittit; ad omnes deriuare velle, id, Misene, non nisi imprudentis est & ignorantis, quænam sit rerum conditio, & quis sta- tus.

Codurij animam scribit Ribadeneira à quo- dam precationi vacante visam clarissima cir- cumfusam luce, chorisque angelorum per- mixtam. Tu nosse desideras nomen eius, qui hanc animam viderit. Ecce, qua seueritate exi- gas à Ribadeneira, quod paulò antè ipsemet nō præstitisti, vbi id maximè præstitum oportuit. Nam quod Ribadeneira nomen subticuit, id historix nihil officit: tum quia forte is, qui vi- sionem hanc viderat, hæc Ribadeneira scriben- te, adhuc inter viuos agebat; quem proinde no-

minare consultum non erant; tum quia Ignatij testimonio suam narrationem satis firmatum iri credit; si non apud te, tuique similes, certè apud tui dissimiles. Nec inusitatum est tam facris, quàm profanis historiis, nomen eius, qui aliquid egerit, aut viderit, certas ob causas silentio præterire. Alia ratio est, cum scelera de quopiam percensentur. Addenda sunt singula, quæ ad rem pertinent, adiuncta; ne non historiam scribere, sed mendacia & conuicia texere videaris.

Sed ne frustra puteris, tam ardentè nomen hominis illius scire velle, causam subdis his verbis: *Si viueret vel Romam contenderem, vt expiscarer, quæ forma esset animæ, quæ Angelorum.* Si viueret B. David contenderes quoque vel Hierosolymam, vt expiscareris, quæ forma esset Angeli, quem vidit. Idem expiscareris à Zacharia patre Ioannis Baptistæ; & à D. Virgine, imò ab ipso Christo expiscareris, quæ forma sit Diaboli. Quin Ægyptum etiam & Thebaidem peteres, vt expiscareris ex B. Antonio; qua forma sint animæ & Angeli, quia animam Ammonis & animam B. Pauli Eremitæ inter Angelorum choros ad cælum ascendentes conspexit. Dolèdum certè est, tibi, ob mortem omnium istorum, domi iam instar claudi futoris perpetuo sefsitandum esse. Nam quod ad Christum aut B. Virginem peregrinationem in cælum fuscipias, huius rei expiscandæ gratia, id difficilius opus est, quam vt vel in cogitationem tuam cadat; nisi forte viam ad superos ab Ouidio edoctus, illam semitam ingrediaris, quam tenuit

nuit Phaëthon; Sed Calvinista facilius descendit cum Polluce ad inferos, quàm ascendat cum Phaëthonte ad Diuos.

Ad extremum vtar hic defensione Origenis, qui, cum Celsus dixisset, figmenta esse, quæ Euangelistæ scribunt de mortuis à Christo excitatis, in hunc modum Epicurei Philosophi criminationem depulit. *Quod autem & mortui resuscitati sunt, nec hoc esse figmentum Euangelistarum, vel inde apparet, quia si figmentum esset, potuissent multos eius iussu resurrexisse scribere; eosquæ humatos longo tempore; sed quoniam figmentum non est, de valde paucis narratur.* Hæc Origenes. Pari modo, si Ribadeneira in his & id genus aliis visionibus mentiri voluisset, longè plures & admirabiliores confingere potuisset. Ait Ribadeneira; Ignatium cum pro salute ægrotantis Codurij ad D. Petri Montorij sacrificatum pergeret, in itinere Codurij excessum è vita intellexisse. Quid Misenus? *O nugatores: vel impudenter mentitur Auctor; vel Ignatius clam edoctus est de obitu Codurij.* Mortem S. Antonij, S. Hilariionem, absentis absentem, diuinitus cognouisse prodidit his verbis sanctus Hieronymus, cum prius recensuisset, quomodo Aristæneta, scemina nobilis, ad Antonium ire volens, consilium hoc suum cum S. Hilarione communicarit; *cui ille flens, vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere huius Monasterij clausus teneret: & si eundi fructus esset: Biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. Credit illa & substitit: & post paucos dies, veniente nuncio, Antonij dormitionem audiuit.*

Orig.lib.  
2. contra  
Celsum.

Theodor.  
in Iuliano  
& li. 3. Hi-  
stor. Eccle-  
siast. c. 24.

Iulianum Anachoretam, cœlesti reuelatione instructum cognouisse, miserandum Iuliani A-postatæ interitum; Auctor est Theodoretus; Exsurgens enim ab oratione sanctus ille Iulianus solito latior, illi, qui cum eo versabantur nouum admirati sunt spectaculum, inquit Theodoretus, nam cum semper tristi aspectu videretur, tunc visus est subridere; et cū causam rogassent letitia, praesens tempus, inquit, ò fratres est gaudij: cessauit enim impius, iuxta Isaia vocem, & qui tyrannidem exercuit in Deum, iure casus est. Aberat autem Iulianus Eremita à loco, in quo Iulianus Apostata periit, plusquam viginti statius; vt idē Theodoretus alibi tradit. Similibus historiis plenæ sunt veterum historiae. Quæro ex te, Misene, si tua illa verba apponeres ad narrationem S. Hieronymi & Theodreti, num refutatoris, an calumniatoris officio functus esses, & num quis, cui vel vnica prudentiæ mica inest, ob tuam criminationem, merito de rerum gestarum veritate ambigere posset? Nam si dicas, litteris vel nunciis certiores redditos de euentu rei absentis; in promptu erit scitari: Vnde scis litteras aut nuncios accepisse? An vidisti? An ex historiis, vel relatione fide dignorum hominum? An ex reuelatione cœlesti? Vidisse, quî credam, cum tempore illo necdum natus fueris. Ex historiis, si te id cognouisse afferas; cedo, quænam illæ historiae, qui illi fide digni historici? Ex reuelatione cœlesti non admitto: tum quia mendacia cœlitus non inspirantur; tum quia tu ipse omnes huiusmodi reuelationes fabulis annumeras. Superest ergo, vt S. Hieronymū, Theodoretum,

doretum, Ribadeneiram mentitos: Hilari-  
nem, Iulianum & Ignatium per litteras, vel per  
nuncios de rebus absentibus occultè instructos  
fuisse, affirmes instinctu & instructione illius  
spiritus, qui iam olim mendacia suggerendi  
officium sibi deposcens, egrediar, aiebat, & ero  
spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius,  
qui sanè spiritus sedem sibi legit in ore vestro.

2. Reg. 22.

Iuberem te erubescere Misene, si verbis meis,  
vel pauxillum ruboris ex tam perfricta fronte  
elicere possem. An Germanos, quibus tua scho-  
lia potissimum dicasti; pro fungis & stipitibus  
habes, vt non animaduertant, qua arte potissi-  
mum valeas; & quæ arma promas, cum aliquid  
solidis argumentis refellendum occurrit. Quis  
enim sibi satisfieri patiat, solemnibus illis tuis  
solutionibus. O nugatores. Mentitur Auctor,  
Ignatius decepit suos; quas quibus de triuo scur-  
ra fœcundo conuiciorum pectore depromere  
potest. Certè scurram te potius, quam scholia-  
sten esse; docent ea quæ proximè subiungis in  
secundum libri tertij caput.

In secundo capite, inquis, exponuntur initia Ge-  
neralatus Ignatij; quæ ducta ab inspectione culinae:  
quod, credo, boni ominis loco acceptum à Iesuitis,  
coniectarunt enim futurum, vt pater hic suis prospice-  
ret de lautis culinis. Ex Litho factus es Lucia-  
nus; seria in risum & iocum vertere solitus. Qui  
familiæ suæ de lautis culinis prospicere cogitat;  
is non culinam; sed primo omnium forum &  
macellum obire debet. Quod miror te tam stu-  
diosum Plauti non obseruasse in Plautinis Co-  
mœdiis, nam qui apud hunc poetam benignè  
sibi

fibi facere volunt; haud culinam; sed forum perunt, & carnarium; quod & te facere arbitror; quoties tuo animo obsequi collibitum est. Nos quidem ex hoc Ignatij factio omen aliud capere non possumus, quam discipulis exemplum magistri, filiis submissionem & humilitatem optimi patris imitandam esse; eademq; culinæ ministeria, in specie quidem abiecta & sordida, sed in conspectu Domini splendida, à nobis alacriter suscipi debere: quandoquidem exemplum nobis dedit; ut sicut ille fecit, ita & nos faciamus. Quod si rides Ignatium ob viles istas functiones in culina obitas, ridere poteris eadem opera Christum Dominum, linteo sese præcingentem, pedesque discipulorum abluentem, ut sicut in aliis, ita & in his cachinnis veterem Celsum in nouo Calvinista nobis repræsentens.

In tertio capite exponit Ribadeneira professionem Francisci Xauerij in Indiam; & remanentionem Simonis Roderici in Lusitania. *Quid nostra refert*, inquit Misenus, *alterum in Indiam profectum, alterum in Lusitania substituisse*; si tua nil refert, at nostra id refert, Misene. Refert & aliorum, qui primordia, & propagationem societatis extra anni solisque vias libenter intelligunt; si tui solius habenda fuisset ratio; nihil scribendum, omnia cæca nocte tegenda erant.

In quarto capite indicatur duos ex Patribus Salmeronem & Paschasium Broëtum à Pontifice in Hiberniam missos esse, nuncios Apostolicos. Vnde cum redirent, Lugduni capti, & in carcerem coniecti sunt, tanquam speculatores. *Vnde apparet*, inquit Misenus, *Gallos maturè sensisse,*

*fuisse, quid hi Apostolici nunciij sibi vellent.* Totus es Celsus; ut ille ex Euangelis excerpbat, quæ ad calumniam apta videbantur; suppressis aliis, quæ ad commendationem pertinebant, ita tu agis cum Historia Ribadeneiræ. *Hic quoque peccatum discipulorum* (quando fugerunt, relicto Domino) *etiam tum imperfectorum decerpit ex Euangelis*, inquit Origenes, *verum esse credens, ut doctrinam criminetur.* Ceterum quomodo post peccatum emendati, liberè coram Iudæis predicauerint, multasq; iniurias ab illis perpepsi, ad vltimū pro Confessione Iesu doctrine necati sint: id verò silentio præterit. Sic iste refert quomodo duo illi patres in carcerem coniecti; at silet, quo tempore; nimirum cum graue bellum inter Gallos Hispanosque exarsisset; quando etiam tuta & tuti timeri solent. Silet, quàm honorificè à Cardinalibus fuerint ex carcere liberati, & Romam ad Ignatium missi. Hæc omnia silentio inuoluit; quia ad Miseni Sycophantias non valde sunt idonea.

In quinto capite agitur de Collegiis Conimbricensi & Goënsi & Romana domo. *Mirificè*, inquis, *extollitur Alexandri Farnesij liberalitas in societatem.* Et merito: quia, ut rectè dicis; multū debet Farnesiorum familiaris societas.

In sexto capite cōmemorat Ribadeneira, quomodo arduum illud de constituendo Patavino Collegio negotium feliciter confectum fuerit; postquam Ignatius sacratissimū Missæ sacrificiū obtulisset. Hic Misenus: *O nebulones & deceptores.* Hoc, Misene, responsum ad euentum admiratione tā dignū, quiuis nebulo dare potest: neque

Orig. li. 2.  
in Celsum.

neque enim nebuloni & deceptori difficile fuerit, exclamare, tecumque vociferari: *O nebulones & deceptores*; sed num ob id ipse iudicandus sit nebulo & impostor; an alij, quos infestandos sibi proposuit, non te, sed prudentem lectorem arbitrari volo.

In septimo & octavo capite nihil inuenit, quod calumniis incesset; nisi quod haud æquo animo ferre potest, à Paulo tertio Pontifice maximo, datam Ignatio potestatem cooptandi in societatem, quoscunque Deus ad hoc viuendi genus vocaret; sublato certo definitoque numero. Aegrè præterea fert ex collegio Cardinalium sex delectos, qui summa cum potestate in hæreticos inquirerent. Sed quid agas, Misene, nimis sero natus es. Absque te si non fuisset; nunquam hæuissent. Interim pharmacum præsentius non noui; quam illud Lyrici: *Patientia fit leuius, quidquid corrigere est nefas.*

## C A P V T II.

### *Refutatio calumniarum in caput vndum.*

**C**Apud nonum exponit opera pietatis, quæ Ignatius in Vrbe curauit institui. Inter cetera, consilio illius renouata est Decretalis Innocentij Tertij; qua cauetur, ne medici manus curando ægro prius adhibeant, quam ægrotantis anima confessione sit expiata; addita tamen moderatione, de qua Ribadeneira. *Acutè scilicet hoc excogitatum*, inquit Misenus, ad

Cap. cum  
infirmas  
de pœnit.  
& remiss.

depre-

*deprehendendos hæreticos & extorquendos nummos.* Obmutuisses hoc loco, nisi arripuisses triuiale illam omnium Hæreticorum calumniam, criminantium quæstui faciendo, Hæreticisque patefaciendis confessionem inuentam esse. Confessio Misene, peccatis abluendis & dimittendis salubriter à Christo instituta est, non prodendis: nam ne prodantur, lex naturalis, diuina, & humana vetat. Quare si quis etiam Romæ, proderet Hæreticum, ex sola confessione agnitum; periculum sibi crearet proditor, non proditor; si mihi non credis, Misene, fac periculum, & credes. Mala Hæreticorum conscientia semper metuit proditionem; proditionis cogitatio, ne in mentem quidem venit illis, qui sanctitatem confessionis norunt.

De nummis quod addis; sanctè tibi polliceor, Misene, nullum fore Iesuitam, qui vllum nummum à te exacturus sit, licet in singulas hebdomadas bis aut ter confitearis. Si verbis fidem non facio, faciat tibi fidem experientia, Subiungis: *De Iudæorum ad Christianam fidem, conuersione, gloriatur per nos Iesuita licet.* Non gloriatur Ribadeneira de conuersione Iudæorum: Et si gloriaretur, non esset *insipiens*, quia in Domino gloriaretur; sed simpliciter exponit, quidnam pro gentis illius commodo Ignatius Romæ perfecit. Quod autem de Iudæorum conuersione non multum laboras, id non mirum: quia Euangelium Calvinianum non facit ex Iudæis Christianos; sed ex Christianis Iudæos; non meum hoc dictum est, sed ipsorum Lu-

Y  
thera-



theranorum & in primis illius, qui nuper, magno applausu, *Caluinum Iudaizantem* in Theatrū induxit. Nosti virum?

Posthæc ad vr̄bis Romanæ scelera & flagitia exaggeranda progredieris, oblitus, opinor, scelerum & flagitiorum, quæ Caluiniana perfidia vberè prouentu fundit. Dixerat Ribadeneira, Romæ magnam exitisse illarum mulierularum multitudinem; quæ ex prostituta pudicitia quæstum facerent. Tu, *quadraginta quinque millia fuisse ais tempore Pauli Tertij*. Testem huius numeri laudas Balæum. Iam manus do, & assentior. Nemo enim melius nosse potuit, quot meretrices Romæ degerent, quàm meretricius Balæus, omnia prostibula obire solitus: Ita enim mores hominis supra depinxit Alanus Copus Anglus, qui fortè Balæum nouerat. Deinde si ex te aut Balæo quærerem; quot tempore Pauli Tertij fuerint Romæ templa, Monasteria, Oratoria, & Xenodoxia, neuter id perspectum haberet. At cum de numero scortorum agitur; vt digitorum vestrorum, ita & luparum numerum expeditè nostis. Vnde hæc vobis notitia? Vnde nisi quia cum Romam aditis, oculos attentiores ad sordes illas affertis, quàm ad Ecclesias; Deoque dicatas ædes; frequentiusque illa iustra iustratis, quam superis consecrata domicilia; vir bonus & sapiens cum Romam venit; ne vnâ quidem meretricem noscere desiderat; nedum quadraginta quinque millia. Ostenditis profecto, qui sitis, hoc ipso, quod tam accuratè numerum impudicarum mulierum inire potestis.

Ad-

Adhæc, quis ex ipsa numeri immanitate, vos non mentiri videt? Si decem duodecimue millia nominasses, toleranda vtcunque mentiendi impudentia fuisset: sed ad quadraginta quinque millia ascendere; id nimirum omnes verecundia limites transcendit, & haud pauciora, quàm quadraginta quinque millia mendacia continere videtur; vt & illud quadraginta millia, cum Pontificè ex censu meretricio quadraginta millia ducatorū singulis mēsis accepisse fabularis. Enimvero, cum de Roma mentiri luber, modum seruare nescitis, vt proinde ipsa & animi & verborum immoderatione omnem fidem vobis abrogetis; sed relinquamus hoc cœnum Caluinianis scarabæis, dignum, in quo volurentur.

Mirificè porro tibi placet, quod Ribadeneira scribit, maiorem per id tempus in vr̄be fuisset morum licentiam; ipsamque vr̄bem meretricijs sordibus obsoleuisse. *Pudeat, inquis, Pontifices tanta negligentia, quod tot seculis tantam impuritatis licentiam in ecclesia concesserint*: Quid mirum in vr̄bem maximam, ad quam omnium generis homines confluunt, vitia nonnulla irrepsisse, cum ea quodammodo copiosarum ciuitatum conditio sit, vt cum diuersitate nationum importentur etiam diuersa peccata. Quæ vr̄bs tam exigua; quis pagus tam pusillus, in quo non vberem scelerum messem metere liceat? Hierosolymis, vr̄be Saluatoris morte & sanguine consecrata, ait S. Hieronymus, suo tempore fuisse *scorta, mimos, scurras*, Paulinū.

S. Hier. Epist. 13. ad Paulinū.

*& omnia quæ solent esse, inquit, in ceteris vrbibus. Nam quod vos Euangelici tam ab omni labe puri videri vultis, vt flagitiis nullis apud vos sit reliquus locus; id ita esse libenter crederem; nisi naturam Hæresis & flagitiosissima facta parentum vestri Euangelij nossent.*

Natura Hæresis est, inclinare cereosquæ ad vitia facere, præfertim ad vitia carnis. De aliis in præsentia non agam: Agam tantum de Lutherana & Calviniana. Rogo autem Lectorem, vt si fortè castæ eius & verecundæ aures recitando verba tam prætextata offenduntur, veniam tribuat; ided enim ea adduco, vt ostendam quales isti sint; qui flagitia carnis, & meretricum multitudinem Romæ & Romanis perpetud obiectant. Nec id facio sine veterum exemplo, nominatim S. Augustini, qui cum *signaculum sinus*, vnum ex tribus Manichææ sectæ Symbolis, explicandum suscepisset, multa flagitiosissima Manichæorum dicta & facta recensuit, & immortalibus scriptis ad Hæreticorum illorum perpetuam ignominiam consignauit, incitatus ad hoc ab ipsa Manichæorum improbate, qui sibi summam puritatem arrogabant; Orthodoxos autem omnis impuritatis insinuabant. Sed sit præfationis.

Essentiam hæresis Lutheranae, & eius, quæ vt soboles inde exstitit, Calvinianæ, & quo vtraque inclinæ, egregiè his verbis descripsit ipsemet Lutherus, qui primitias huius Euangelici spiritus accepit. *Quam non est, inquit ille, in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est mei iuris, vt absque muliere sim. Rursus vt in manu tua non est, vt femi-*

*na non*

*na non sit, sic nec in te est, vt absq; viro degas: non enim libera est electio aut consilium, sed res est necessaria, vt marem fœmina, fœminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quo Deus ait: Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plusquam præceptum, diuinum puta opus, quod non est nostrarum virium vel vt impediatur, vel omittatur, sed tam est necessarium, quàm vt masculus sim, magisq; necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, dormire & vigilare. Est implantata natura baud secus ac membra ad eam rem pertinentia. Idcirco sicut Deus nemini præcipit, vt sit mas aut fœmina, sed creat, vt ita esse oporteat; ita nec præcipit crescere & multiplicari; sed creat, vt necesse sit eos multiplicari, & si quando volumus prohibere, ipsum prohiberi non vult, sed transit nihilominus viam suam per fornicationem, adulterium. Sodomiam. Sic Lutherus, vel potius hæresis ipsa ore Lutheri, sic concionantur Ministri Germani quam eandem esse Ministrorum Calvinianorum peruulgatam concionandi materiam, videlicet non esse nostrarum virium diuinum opus vel impedire, vel omittere, sed tam esse necessarium, quàm edere, bibere, &c. ab aurito & oculato teste est memorix mandatum, eamque ob causam præscribunt, vt sui ordinis quisque, etiamsi octogenarius sit, fœminam sibi deligat, id boni exempli loco fieri erga populum interpretantes: Id quod (nimirum, vt septuagenarij, & octogenarij iuenculas sibi co-*

Gulielm. Reginali. 2. Calvinoturcismi cap. 11.

Archibal. Hamiltó. lib. 2. c. 29. demonstr. confusion. Calvinist.

S. Aug. lib. 2. de mor. Manich.

Luthe. ser. de matrimonio.

plulent) in Anglia factitatum est à clarissimis concionatoribus, à Ministris, à Sacerdotibus, à primi nominis Episcopis.

Luth. Tō. Alio autem loco Martinus Lutherus addit, 7. Epist. hanc vim genitalem & feruentis naturæ inclinationem in mulierem, in corpore masculino, sic creari & conseruari, vt nullis votis eradi possit, ideòque qui sine muliere manere statuit, ille (inquit hic Euangelista) nomen hominis à se deponat; planum faciens, se Angelum esse aut spiritum. Homini enim à Deo nullo modo conceditur, ita vt supra vires sit ab hac temperare posse, & hoc cogente verbo Dei volentis & iubentis. Hæc & alia multa Lutherus: vel potius Hæresis per Lutherum, Caluinum, Bezam, & similes carnis & sanguinis præcones.

Hoc vnicum decretum Lutheri, ait Auctor quidam Hæreticis non ignotus, & ea, quæ dicit, experientia ipsa edoctus; quasi lex diuina nunc passim habetur, neminem posse continere, non magis, quam non expuere saluam; nec magis virum muliere, vel mulierem viro carere posse, quam vllum hominem cibo & potu. Et hoc vbique decantatur, impossibile esse, vt aut adolescens aut puella, si modo Veneri apti sunt, à Venere possit abstinere. Ecquid verò pueri & puella hanc legem suis flagitiosis cupiditatibus pratexunt? Nihil est clarius aut crebrius. An non enim videmus adolescentulos hoc tempore, palam scortari, & si ab hoc vitio retrahuntur, sibi dari vxores flagitare contumaciter? puellas quoque, si aut libidine

dine lapsa sint, aut alias impudicè lasciuiant, tam has quam illos, proteruè hanc Lutheri legem obtendere, neminem castè continenterque posse viuere, cum Venus æquè necessaria sit ac potus cibisque. Ex his nouis nuptiarum ritibus pueri nubunt, puellula nubunt, & sic nascuntur viri illi, tam strenui Heroës, qui bello Turcas vltra Caucasum montem submouebunt. Hactenus ille.

Hi fructus & effectus vestræ doctrinæ sunt, Misene, cuius parètes conuenienter placitis suis vitam duxerunt; quomodo enim moribus à doctrina discrepant? Martinus Lutherus cum de se ipso testatur, quod sub initium sui Euangelici Apostolatus (antequam Catharinam Borram sibi copulasset.) propter libidinis vehementiam & amorem mulierum ad insaniam penè redactus fuerit: cum suis commentariis sacras scripturas illustrans, ad textum Salomonis, matronam bonam commendantis, apponit hanc marginalem notam (quam se ab hospita sua Isennaci didicisse, suoque experimento comprobasse significat:.) Nihil amabilius vel suauius est in terra, quam amor mulierum, si cui is potest contingere: cum fateatur se non magis à muliere potuisse abstinere, quam à cibo & potu; cum conjugalem copulationem rem diuinam, spiritualem & cælestem pronunciat, quid aliud significat, quam eius mentem & spiritum totum, in eo diuino & spirituali & cælesti opere fuisse occupatum?

De stigmatis Caluini iam dudù te aliquid inaudiuisse arbitror: vt & de caussa; si nihil audiisti instruere te poterit Cōradus Schliffelburgi<sup>9</sup> homo Euangelic<sup>9</sup>; qui & Bezā his colorib<sup>9</sup> depīgit.

Reginald.  
loc. cit.

Luth. Annot. in cap. 31. prouer.

Li. 2. Theolog. Caluini.

*Certò constat, Theodorum Beza à pueritia imbibisse vatam impudicitiam & impudentiam, totamque aetatem explendis suis libidinibus & cupiditatibus, ac describendis suis amoribus, & vlciscendis suis rivalibus exercuisse, atque in meretricem, lenam, & cynadum transformatum esse. De quo item constat & hoc, quod obscenissimos versus scripsit ad Germanum Audebertum Aurelia, & eundem tanquam Adonidem à Theodoro Beza factum esse.*

Inunc, Misene, & quare, cur Romæ permittantur Lupanaria, non autem in Euangelicis ciuitatibus. Vbi tota doctrina lupa est, luparumque perfugium, quid opus est lupanaribus? An ego credam fornices & prostibula ibi esse, vbi auctores huius Euangelij verbo & exemplo ad luxuriam quasi clasicum canunt; vbi ipse Euangelicus spiritus suis sub pectore stimulis & facibus ad libidinem incendit, vbi sine fronte clamatur, *castitatem seruatu esse impossibilem?* Apud Orthodoxos, qui peccant, non peccant impulsu doctrinæ & fidei, qua imbuti sunt, cum sit sancta, casta, pudica, inclinans & impellens ad omne virtutis genus, sed suapte malitia sese flagitiis contaminat. Et quid mirum in populosas & amplas vrbes, magnam scelerum colluuiem aliquando sese insinuare, quantumuis licet illis, qui ad clauem Reipublicæ sedent, diligenter aduigilantibus; cum non raro eueniat, vt vnus paterfamilias, cui vnus domus cura & gubernatio commissa, vix prohibere queat; quò minus

minus intra angusta illa familiæ septa, aliqua committantur; quæ ipse committi nolle? Tenui rimula inimicus homo illabitur in agrum Dominicum, & bono femini infelix lolium lappaque tribulosque superfeminat; satis est, quod tandem exsurgant superiores, feuerisque legibus fluxam disciplinam instaurent; & vitia, quæ exstiterunt, demetant. Quod & Romæ factum Ribadeneira affirmat. Quod si, Misene, oculos non modò meretricios, sed & honestos, virtutisque amantes haberes, animaduerrere debebas, Romæ, quidquid sit de peccantiũ numero, lógè plures esse, qui sanctè castèque viuunt partim in Matrimonio, partim extra coniugium. In mentem reuocare debebas infinita illa virtutum exercitamenta Romæ vfitata, & innumera illa misericordiæ opera in egenos conferri solita; quæ tuorum similibus in ganeis helluantium, & lasciuientium fœditates innumeris partibus cõpensant. Scripsi de hoc ipso argumento non pauca contra alios Romæ criminatores, Heliam & Leiserum: Tu lege, tibi que dicta existima.

Ad Ignatium reuertamur, sed dispari animo; tu calumniandi, ego defendendi. *Vide, inquis, quam sollicitè curam agat meretricum.* Ignatius. Idem, opinor, dicis; quoties caput illud de peccatrice à Domino suscepta legis: *Vide quam sollicitè curam agat meretricum Christus.* Et tamen istæ meretrices præcedunt Caluinistas in regno cœlesti, vt olim eorum similes Phariseos, ipsius veritatis testimonio. *Tria, inquis, genera meretricum Romæ esse animaduertit. Alterum earum, quæ nullos*

In refutat.  
hist. Ord.  
Iesuit. cap.  
10,

Lucæ 7.

Matth. 21.

*habent maritos, alterum nuptarum.* Tertium genus tu ipse, nescio ex quo cerebro, confingis; nam inter nuptas & non nuptas, quodnam interiectum genus sit, tu fortè quàm Ribadeneira melius nosti, quippe in hoc argumento exercitator ex ipsa tui Evangelij disciplina.

*Primum, inquis, notandum, Romæ etiam nuptis concessum esse, ut maritis desertis corpora prostituunt.* Non scribis, Misene, scholium, sed mendacium; corpora vulgare nulla lege Romæ cōcessum est nuptis. Quod si quæ nuptæ, contra connubij fidem, vagæ libidini sese addicunt; id præter ius fasque fit, diuinum & humanum, etiam Romæ; nec toleratur hoc genus meretricum eo modo, quo alia tolerari & permitti solent prostibula matrimonij vinculis exsoluta. Quod si interdū reperiuntur huiuscemodi mulierculæ; quid mirū, in tanta hominū multitudine & confusione, vbi præ abeūtium adeuntiumque in singulos ferme dies innumera turba; vix sciri potest, quis cuius sit, quis aduena; quis solut<sup>o</sup> matrimonio, quis nexibus matrimonij illigatus? Pauperis est numerare gregem, Misene, & exigui oppidi, omnium indigenarum nomina tenere, & conditione & sortem; qui genus, aut vnde domo quilibet.

Reprehendis Ignatium, quod putaret, se nõ sumpturum inanem operam; si omni suo labore vel id efficeret, vt vna nocte tales foeminae Dominum non offenderent; *Breue sanè tempus,* inquis, *prestituit bonus Ignatius castitati meretriciū.* Non præstituit hoc tempus Ignatius, vt tu cōmimisceris; sed publicè professus est, quibusdam

dam laborem & conatum eius admirantibus, ob instabilitatem huius generis mulierum, se satis magnum operæ pretium reportaturum, si efficiat; vt vel vna nocte à flagitiis abstineant. An parum tibi videtur præpedire peccata vel vnus diei, vel vnus noctis? *At Deus, inquis, tam cogitatione impudica; quam voluntate offenditur peccandi & peccato ipso.* Primum necesse non est, vt illæ mulieres, illo itidem breui tempore, proposito & voluntate peccarint. Cur enim vt ab opere, ita & à consilio operis perpetrandi abstinere non potuissent? Deinde in hoc genere peccati semper opus ipsum grauius est, quàm propositum; tum ob communionem alterius personæ, quæ ad flagitium adfiscitur, aut admittitur, tum ob alias circumstantias. Quare multum boni præstitit ille; qui vel à solo opere misera ista libidinis mancipia retardarit.

Redis nunc ad lupanaria testa tibi non ignota. *Quæro, inquis, cur hi generales Ecclesie Reformatores lupanaria Romæ esse passi sint? Cur non Pontifici Romano ostenderunt turpitudinem hanc Christiano nomini probrosam? Loco nostro respondes tibi ipse. Si responderint, inquis, malum inueteratum tolli non posse, & indecorum atrectare, quod obtinere nequeas, & omittenda potius praua-lida & adulta vitia; quàm vt palam fiat, quibus flagitiis impares simus; præsertim cum Augustinus dicat,*

S. Aug. lib.  
2. de Ordine,  
cap. 4.  
tom. 1.

ni &

*ni & Calviniani eiusmodi iustra nulla habeant.* Noli querere, Misene, noli querere, alioqui repetam causam, quam supra attigi, planiusque & clarius explicabo. Hæresis ista lupa est, nuda, muli & Remi; ubi habitat, ibi lupanar est; non, nisi fallor, à lupa lupanar appellatur. Noli gloriari de sublatis lupanaribus. Abstulistis centum; substitulistis mille. Fucus iste exterius parum perstringet prudetum oculos, qui ipsam naturam vestrae sectæ penitus intuentur, quam Venus concepit, peperit, aluit, educauit in sinu venerorum & turpissimorum Apostatarum; quæ omnibus suis alumnis, non nisi veneream mentem afflare & iniicere potest.

Hebr. 13.

*Queram itidē, inquis, qui fiat, ut Vicarius Christi scortatores ferat, quos Apostolus cum adulteris coniungit.* Ideo fert, quia extirpare nequit; ideo fert, quia frustra brachia contra hoc tam valens vitium tenderet, & quia tollendo lupanaria, meretricibus omnia impleret; quod nunc vobis acciderit; vos ipsi videritis. Temeritatis neminem condemnabo; qui id sibi persuaserit, ob rationes supra allatas. Ideo fert, quia & Deus mala fert iustissimas ob causas: Ideo fert, ut maiora mala, nempe adulteria, homicidia, & id genus alia impediatur; quæ sæpius existerent, si magistratus quædam mala non permitteret, spectata hominum conditione & natura. At quod Apostolus coniungit fornicatorem cum adultero, id nihil est; Pares sunt non criminis magnitudine, sed celestis regni amissione: æque enim uterque à beatitudine excluditur: at pares non sunt peccati gravitate, quia adulter & legem castita-

tis

tis & iustitiæ violat, & alienum thorum per summum scelus contaminat: fornicator verò nihil contra iustitiæ leges committit. Vnde iste tolleratur: ille nequaquam.

*Augustinum, inquis, ipse Apostolus refutat, eorum damnationem iustam pronuncians, qui facienda mala censent, ut bona eveniant.* Parcius ista, Misene, probabile est, S. Augustinum melius novisse, quæ sit Apostoli mens, quam tu scias. Nam & ipse Biblia evoluit, licet non Lutherana aut Calviniana. Aliud est mala permittere, aliud mala facere; permittere mala; ut eveniant bona; vel ut vitentur maiora mala, nusquam damnauit Apostolus, alioquin damnasset etiam Deum, qui iustissimè mala permittit, tum eo fine, ut vitentur maiora mala; tum ne iis sublatis, maiora bona tollantur. At facere mala, ut eveniant bona, id nec Deus facit, nisi fortè secundum atheam Calviniani Theologiam; nec facit id magistratus, qui lupanaria vel vsuras permittit ad imitationem Dei. Nec peccat permittendo, si, ut supponimus, iustæ permittendi causæ suppetant. non enim approbat magistratus mala, quæ permittit, nec rata & grata habet, sed tantum à pœna in foro suo eximit.

*Ipse Augustinus, inquis, refutat se alibi, cum affirmat delictorum compensationem non esse admittendam.* Vellem locum notasses: Grandia sunt Augustini volumina; ubi inueniam hæc paucula, quæ recitas, verba? Nam quod speres, tuam Calvinianam fidem nobis loco citationis fore; frustra es. Scimus qua fide fides hæc patrum testimonia proferat; sed quacumque fide hunc locum produ-

Rom. 3.

prodixeris; quæso, quidnam ad propositum facit? Afferit alicubi S. Augustinus, lupanaria non esse tollenda, ne omnia libidinibus turbentur, hoc est, ut maiora flagitia euitentur: hic asserit,

Vide S. Thom. 2. 2. esse admittendam, ubi videlicet compensatio permisi peccati non est eiusmodi, ut sit consentanea rectæ rationi, vel ex parte boni præponderantis, ne scilicet impediatur, iuxta illud Matthæi 13. *Sinite vtrag, crescere, ne forte eradiceis cum eis & triticum:* vel ex parte mali etiam præponderantis, ne videlicet fiat. At ubi vel vtraque,

vel altera harum causarum adest, tum compensatio delictorum admitti potest. Permitti possunt, nonnulla peccata, quorum permissio compensatur, vel maiore bono, quod sequitur, vel maiore malo, quod euitatur. Hactenus de

S. Hier. e-  
pist. 78. flagitiis Catholicæ religionis professoribus à te obiectis. Quid verò, ò Hæretici, *maledictorum* pannos hinc inde consuitis & eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis? Num idcirco non estis vos Hæretici, si nos quidam assertionem vestram crediderint peccatores, & os impietate sædum non habebitis, si cicatricem potueritis in nostra aure monstrare? Quid iuuat vestram perfidiam, vel prodest pellis *Ethiopica*, & *Pardi* varietas, si in nostro corpore nauus apparuerit?

Caput decimum, in quo de variis Collegiis Ribadeneira scribit, intactum præterit calumniator. Veniamus ergo ad caput proximè subiectum.

## CAPVT III.

*Refelluntur cauillationes Miseni, in caput vndecimum & tria sequensia.*

**I**N vndecimo, inquis, capite longa narratio extat de morte Fabri. Atqui pro sanctitate & meritis Fabri, narratio illa brevis est: aded diues virtutum cœlestiumque charismatum Faber extitit. Nihil, inquit, illum magis commendat, quàm quod cum Bucero congressus est. Tu hoc dicis fide solita; non Ribadeneira: mirum enim fuerit, si in homine rerum diuinarum contemplationi deditissimo, nihil magis eximium fuisset, quàm, quod cum desertore illo & transfuga Bucero in arenam descenderit; fortiterque conflixerit. Est quidem hoc excelsi & eruditi animi non exiguum documentum; sed maiora fuisse in illo viro Dei ornamenta, facile perspicere poteris; si ad Petri Fabri laudes clausos oculos; & cœcam mentem non attulisses.

*Sine fructu*, inquit, in Germania non fuit: Nam Petrum Canisium Diabolo lucrifecit, & hospitem suum Moguntia (forte ere alieno oppressum) Caribusanū effecit. Plura præstitit Faber in Germania; quæ tu liuore excæcatus dissimulas. Lector legat ipsum Ribadeneiram. Quod si nihil aliud effecisset; quàm quod Petrum Canisium, cuius laus in tota Ecclesia, ad Societatem adiunxit, haud inanè cœpisset operam, quippe primus quodammodo Auctor omnium eorum, quæ Canisius tot annis fructuosè ad Ecclesiæ propagationem & amplificationem docendo & scribendo præ-

do praestitit. Hospiti illi ad Carthusiam aditus non patuisset, nisi prius aere alieno; si quod contraxerat, dissoluto, ne putes religionem esse obaeratorum perfugium. Ingressu in religionem non soluuntur debita; aliàs fortasse tu etiam & alij Calvinistæ, quibus multa facta nomina, religionem amplecteremini.

De historia vndecim millium virginum, quâ hic vellicas, consule monumenta illustrissimam Baro. No. hic vellicas, consule monumenta illustrissimam Baronij. Fortè de Amazonum expeditione nuntiat. ad Mar. tari defines. Rides quod Fabri opera Patres 21. Octob. Carthusiani nos operum & meritum Ordinis sui participes fecerint. At nos qui probè intelligimus, quanto ab illis Patribus beneficio affecti sumus, meritò exultamus, & ex animo nobis tantum thesaurum gratulamur, & cum B. Dauide clara voce canimus: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Nec est, quod metuas fore, ut non sint opera, in quorum communionem nos veniamus: nam bonorum operum haud solet esse tanta penuria in sanctissimo illo Ordine; quanta in ordine Calviniano; vbi nihil agere summa est religio, & plus credere, quam Deus ipse velit, ut credas; suprema perfectio.

*Laudes Fabri*, inquis, *legat qui volet, & credat, quæ volet.* Etiam sine tuo iussu leget candidus lector, quicumque volet; & credet plus, quam tu voles; quia omnia credet. *Hæreo*, inquis, *in diuinis illustrationibus, quibus ille abundavit. Si commentariū illius videre, fortassis tolleretur omnis dubitatio.* Utinam hæeres in diuinis illustrationibus, non hæeres in calumniis, mendaciis, sordibusque Calvinisticis, Commentariolum Fabri, quibus ille

quo ille huiuscemodi illustrationes, & rerum celestium sensus, & quasi experimenta consignauit, sapius vidi; sed nihil in illo ad gustum Calvinianum, cui dapes appositas iuuenilia Bezzæ subministrant; longè alios ignes, longè alios amores, longè alios stimulos, tum decantantia, tum decantando excitantia.

*Quod Auctor*, inquis, *tam sancti hominis animam silentio præterierit, mirari satius nequeo; ut & illud, quod Ignatius hominis mortem non præviderit aut prædixerit.* In promptu causa est, cur Ribadeneira animam Fabri, ut Codurij & Hoziij; non dixerit ab aliquo visam; quia mentiri noluit. Mentitus autem fuisset, si id quod non acciderat, vel certè num acciderit, ignorabat, accidisse commemorasset, vel hinc colligere deberes vera esse, quæ de aliis in hoc genere scribit Ribadeneira, ut supra te ex Origene docui, qui si mendacibus visionibus & apparitionibus Ignatij & sociorum gloriam amplificare voluisset; cur non & hic de anima Fabri, viri verè sancti, tam egregia oblata occasione, commentum aliquod adferre potuisset? Nam mendaci perinde est, quoties, vbi, & quando mentiatur, si vlla sese mentiendi occasio offerat.

Eandem ob causam nihil scripsit Auctor de prædictione Ignatij, quia quod Ignatius futurum non prædixerat, id Ribadeneira eum prædixisse scribere non poterat. Quod si miraris, cur *DEVS* Ignatio mortem Fabri non reuelarit, non Ribadeneiram, sed *DEVM*



4. Reg. 4.

tibi adeundum examinandumque iudico, is enim causam nouit. Eadem opera sciscitari licebit, cur olim Helisæo non patefecerit mortem filij Sunamitidis, tam bene de Propheta illo merita.

Caput duodecimum explicat vniuersi Ordinis Carthusiensis erga Societatem nostram benouolentiam & charitatem: *Non inuidemus Iesuitis*, inquit Misenus, *hanc charitatem, vt nec participationem diuinorum sacrificiorum, orationum, abstinentiarum, ceterarumq; piarum exercitationum.* Agimus tibi gratias, Misene, quod inuidiã tuam cohibes, ne ad hæc etiam bona nostra sese extendat, quæ nihil alioqui intactum relinquere solet, omnia contactu suo foedare nititur: suspicor tamen te, si non participationem meritorem; certè animorum coniunctionem & consensionem nobis inuidere. Malles enim dissidia esse inter Ordines, quam mutux charitatis nexum.

Caput decimum tertium exponit, quomodo Ignatius pro benefactis malefacta receperit. Romæ quidam marito vxorem eripuerat: hanc ab adultero volentem, & meliora sequi meditantem Ignatius abstractam in diux Marthæ domum transtulerat. Mœchus ira & amore furens, Ignatium & Socios tota vrbe traducere cepit, sparsis famosis libellis, & chartis impudicarum rerum plenis. Hic Misenus, metuens, opinor, ne sua priuetur Cynthia; *Quis*, inquit, *Ignatio hoc iuris concesserat, vt ille vxorem marito eriperet?*

*riperet?* Non eripuit marito, bone Misene, sed mœcho. Annon aliud apud vos etiam, maritus, & aliud mœchus? Addis, *Cur ereptam adultero, non reddidit marito, præsertim repositenti?* Repetisse maritum vxorem illam, tu ipse fingis. Næg enim vllum ea de re verbulum Ribadeneira. Deinde quæ in domum sanctæ Marthæ transferiebantur, non eripiebantur maritis, si nuptæ essent; sed illic degebant, donec maritis reconciliarentur; superiorisque vitæ turpitudinem salutari pœnitentia expiarent, quod intelligere poteras ex capite nono huius tertij libri; vbi Ribadeneira recenset, quo consilio hæc domus sanctæ Marthæ ab Ignatio, aliisque exædificata fuerit.

*Quod autem addit Auctor*, inquit Misenus, *libellos famosos fuisse à marito illo (quem ego suspicor fuisse lenonem) compositos, multi suspicio mouetur, nonnulla fortasse verè fuisse coniecta in illam Societatem.* Primùm non maritus; sed mœchus famosos illos libellos sparfit. Cur deprauas verba & sententiam Ribadeneiræ? Cur non sincerè recitas; quæ Auctor noster scribit? Vana ergo est & illa tua suspicio; & planè temeraria, cum ais, maritum fuisse *lenonem*. Quis maritus huius fœminæ fuerit, ne verbulo quidem Ribadeneira significat, sed de solo mœcho totam historiam texit. At scenæ tuæ seruebat lenonis mentio. Quia enim nostros infamia saltè aliqua, aspergere volebas; Lenonis mentionem iniiecisti, quasi si leno chartas illas infames in nostros sparsisset; aliquid verisimilitudinis habitu ræ fuissent, vtpote profectæ ab homine, qui

Z a quod

quod obiiceret probè exploratum haberet. Sed fides lenonia, Misene, non nisi apud homines lenonios fidem & auctoritatem inuenit. Prudentes hoc ipso alicui dicto fidem abrogant, quod à lenone prodiisse intelligunt, qui omni iure intestabilis est, cuius epitheta miror tibi non venisse in mentem, vel ex Plauti Pseudolo, in cuius lectione tam tritius es. Reuoca in memoriam, quæ illi duo *altrinfecus assistentes ingerunt: Impie, sceleste, verbero, bustirape, furcifer, sociofraude, parricida, sacrilege, periure, legirupa, pernicies adolescentum, fur, fraudulentè, impure, cœnum.* Calviniani tamen *Balliones* his hominibus, qui tot dignitatis titulos præ se ferunt, prono assensu credunt; quotiescunque contra religiosos famosum libellum edunt.

Denique cur retices; quomodo nostri, re in iudicium adducta, indicum sententia infontes sint pronuntiati; & in eo iudicio, vbi non agebatur de fidei dogmatibus, sed de moribus, vbi nulli etiam bene Catholico paritatur, si scelerum obiectorum conuincatur? Cur itidem silentio præteris, quomodo ipse mœchus, mutata mente, ex insectatore fautor, & ex oppugnatore, propugnator Ignatij effectus sit, quantisque beneficiis iniuriam hanc postea compensarit? Sed qua fide hanc accusationem tractas, eadem tractas & sequentem.

Sacerdos quidam ambitione motus, multa in Ignatium crimina iactarat, præter cetera etiam crimen Hæreseos. Tu Sacerdotis nomen

men exprimi cupis. Dupliciter potest quis certò & signatè describi. Primum, si nomen eius exprimatur & cognomen. Secundò, si officium, quo fungebatur, & locus, in quomunere aliquo fungebatur. Vt priori modo Ribadeneira Sacerdotem hunc non descripserit, at descripsit posteriori, id quod non modò fatis est, sed sæpius superfluum. Scripsit enim Sacerdotem hunc præfuisse Catechumenorum domui, tempore Ignatij, idque, vt ex tota relatione Auctoris intelligere licet circa annum Domini M. D. XLIV. An non satis speciatim expressit, quis Sacerdos hic fuerit? quem tu ais, *non fuisse solum, sed multos alios bonos & doctos viros similia Ignatio obiecisse; & hæc falsò vni alicui affingi.* Vnde nosti, Misene, similia illo tempore Ignatio fuisse à pluribus obiecta? Prome Auctorem, quo nixus hoc affirmes. Hic iterum cerebrum tuum: & vt ægri somnia, malè cohærentia mentis tuæ phantasmata nobis adduces. Verum nec cerebrum tuum, nec quæ in cerebro recubat phantasia, tantam adhuc apud nos auctoritatem obtinuit; vt eam bibliothecæ loco habeamus; indeque phantasmata & inania spectra, tanquam volumina depromamus, & quidquid nobis distant, pro indubitato arripiamus. Illud mirabile: *bonos & doctos viros* apud te censeri, qui alienam famam falsis criminationibus euersum eunt: & ex alieni nominis ruina inclarescere contendunt, qualis & Sacerdos iste; qui tandem ob flagitia Sacerdotali officio priuatus, perpetuisque carceribus adiudicatus fuit.

In capite decimo quarto Ignatius Societatem foeminarum cura liberat: Cùm enim iussus à Pontifice Ignatius, paucissimarum mulierum curam suscepisset, mirum dictu, inquit Ribadeneira, quantum illi molestiae & occupationis trium foeminarum gubernatio paucis diebus attulerit. *Merito*, inquis, *mi Petre: nam vel vnus gubernatio multum negotij nobis facessit; Si tantum negotij vel vnus mulieris cura vobis facessit; qui sit, quod plerique vestrum, imò omnes, hoc negotium tam promptè, tam alacriter & hilariter suscipiant, qui sit, quod nulli inueniantur apud vos, qui nolint esse negotiosi, hoc est vxorij? qui sit, quod nullus vestrum sententiam illam Tertulliani mente reuoluit, quam ad mulierem protulit: Tu es Diaboli ianua; tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinae legis prima desertrix, tu es, quae eum suassisti, quem Diabolus agredi non valuit: Tu imaginem Dei, hominem tam facile elisisti; propter tuum meritum, id est, mortem, etiam filius Dei mori habuit.*

Tertul. lib.  
de habitu  
mulieru.

S. Hieron.  
lib. 1. cont.  
Iouinian.

*Fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, inquit sanctus Hieronymus, in quo querit, an vir sapiens ducat vxorem: & cum definiuisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit; hac autem in nuptiis rard vniuersa concordant: non est ergo vxor ducenda sapienti: quod pluribus deinceps ostendere pergit non ex Caluiniano Euangelio: sed*

sed ex ipsius legis naturalis & quotidianæ experientiae præscripto. Sed mollis flamma vestras exest medullas, quam per cõtinentiam non exinguit hæresis, sed per alias superiniectas flamas magis accendit.

## CAPVT IV.

*Cauillationes Miseni in caput decimum quintum vsq; ad vigesimum secundum.*

**C**apite decimo quinto cõmemorat Ribadeneira, quomodo Ignatius nostris ad Ecclesiasticos honores aditum intercluserit, & cùm Episcopatus Claudio Iaio, & Petro Canisio, & Cardinalatus Francisco Borgiae oblatum fuisset, summa vi apud Pontifices obstitit, ne quis ad illas dignitates eueheretur. Ait Misenus, hoc ex inuidia factum; quod videret, alios sibi præferri, & sub simulatione humilitatis, paupertatis, & modestie suam inuidiam rexisse. Multò credibilis est, Misene, te mentiri, quàm Ignatium id quod agebat simulasse. Non enim is erat Ignatius, in cuius animo liuori locus reliquus esset. Et vnde nam scis Ignatium ex inuidia suorum honoribus obstitisse? Fortè ex more vestro. Apud vos enim alter alterius profectibus inuidet, & quidquid sibi non videt collatum, id perditum æstimat, bonumque alienum suum damnum reputat. Sed non ea consuetudo Ignatio, non foctis, non vlli bono. causas obstitendi alias non habuit, quàm quas Ribadeneira commemorat, quasque ipsemet Ignatius Pontifici coram exposuit.

Cum quidam viuenti Ignatio, idem ferè quod tu iam mortuo, obieciſſent; ſed ſine calumniis, ſtatim voti religione interpoſita coram omnibus teſtatuſ eſt, ſe nullam vnquam dignitatem extra ſocietatem admiſſurum, niſi à Chriſti vicario ita compelleretur, vt tergiuerſari, repudiareque illam ſibi citra peccatum non liceret. An non, ſi quidquam in rebus humanis clarum & perſpicuum eſt: ſatis clarum & planum fecit Ignatius ſuum animum, voto edito, & iureiurando, veritatis cognoscendæ tam firmo argumento, concepto? Sed Caluiniſtæ ne iuratis quidem credunt; quia iuramenti religionem nihili faciunt, linguamq; iuratam, & mentem iniuratam circumferunt; hinc omnes ex ſua perfidia æſtimant.

Sed ait Miſenus, *hoc ipſo* (voto ſcilicet) *ſatis indicauit, ſe non eſſe alienum à dignitate Cardinalitiæ vel Episcopali, modò offeratur à Pontifice.* Minimè hoc indicauit, Miſene, ſed obedientiæ vim cõſiderans, & Pontificis ſummam in omnes poteſtatem, nominatim in ſe, & in totam ſocietatem, affirmauit ſe non ceſſurum vllis monitis, niſi Pontifex ſub obedientiæ præcepto, & ſub mortali peccato obedientiam imperet: quo caſu, nemo probus eſt, qui non potius velit obtemperare, quàm negati obſequij maculam in ſe ſuſcipere. Idem quod Ignatius; Ignatij exemplo vouent omnes, quicumque in ſocietate noſtra profeſſionem edunt. At hoc non eſt erga dignitates Eccleſiaſticas affectum eſſe, vt tu inſcitè calumniaris, ſed potius alienum; cum argumentum ſit animi nullam penitus Eccleſiaſticam

eam dignitatem recipere volentis, niſi ineuitabili peccati neceſſitate conſtringatur.

Quod ſi Ignatius ex inuidia ſuis aditū ad inſulam & purpuram intercluſiſſet, facilè, mortuo Ignatio, viam ſibi & aliis aperire potuiſſent Præpoſiti Generales, Ignatij ſucceſſores. At tantum abeſt, vt hoc fecerint, vt conſantiſſimè ſemper honores iſtos detrectarint. Si inuidia Ignatij Borgia nolens & inuitus à purpureo galero excidiſſet, potuiſſet illum obrinere tum, cū in ſocietate ſuperiorem neminem agnoſcebat, vt potè præpoſitus Generalis. Potuiſſet etiam Iacobus Laines non modo hanc, ſed & hac maiorem dignitatem conſequi. Potuiſſet & is, qui modo vniuerſæ ſocietati præeſt P. Claudius Aquauia, ad Archiepiscopatum Neapolitanum, & inde ad altius faſtigium euehi; niſi forte dicturus eſt ipſos Generales non modo alios, ſed & ſe ipſos ex inuidia præpedire, quo minus ſis honoribus inſigniantur, quo quid ſtultius? Quis enim ſibi inuidet? Inuidia in aliena, non in propria bona tendit.

Doles quod Cardinalis Marcellus Ceruinus, poſtea Pontifex Maximus, tantum Ignatio tribuerit, vt eius ſolius auctoritatem, ſibi loco omnium rationum eſſe diceret: & ob id Cardinalem, imò Pontificem Marcellum, *probum ſuperſtitionis mancipium* nominas. Si Caluino tuo aut Bezæ tantum Cardinalis ille tribuiſſet, laudares factum, quod nunc vituperas; Exſpectabat videlicet Marcellus ſcholia Miſeni, vt diſceret, quantum Ignatio tribuendum eſſet. Vulgatum eſt illud de Pythagoræ diſcipulis, *αὐτὸς ἴσα.*

An nunquam in tuis prælectionibus dictum & factum hoc laudibus extulisti? Cur quod tibi placet in Ethnicis, id reprehendis in Christianis? Sed minus honorem illum inuides Pythagoræ; quàm Ignatio; Ethnico quàm Christiano, quia minus odio in Pythagoram ardes; quàm in Ignatium.

In decimo sexto capite nihil quod criminetur reperit, illud valde libenter audit, inuentos esse etiam in Hispaniis, teste Ribadeneira, qui institutum nostrum oppugnarent. Ita quotiescunque in libro Ribadeneiræ aliquid legit, quod quoquo modo contra nos faciat; auidè illud arripit, & ingerit, & pleno assensu comprobatur: præterire solitus eas, quæ plerunquæ adduntur in melius mutationes sedatis tempestatibus; quando agnita veritate ab oppugnatione tandem cessatum, ipsique oppugnatores affectum sinistrum in dextrum verterunt: quod & hic vsu venit; sed tu dissimulas; quia calumniatoris personam agis, & quidam adeo scite, vt si quando agenda esset Plauti *Asinaria*, ego tibi aliã, quàm *Diaboli* personam nõ demandarem.

Caput decimum septimum continet publicum testimonium Magistri generalis Ordinis Prædicatorum de societate. Quod qui voler, inquit Misenus, conferat cum commendatione, qua se mutuo ornant seruuli Plautini in *Asinaria*, moxque bonam partem scenæ cuiusdam, cuius interlocutores Leonida & Libanus, transcribit, vt chartas impleat; & iam nunc probè agit personam Diaboli, qui apud Plautum

vnus est ex Actoribus *Asinariæ*. Cum autem noster Misenus in *Asinaria* Plauti tam versatus sit, suspicari quis posset non iniuriã, de titulo *Comædiæ* aliquid illi adhæsisse, & asinos in *Asinaria* venditos, ad Misenum, iure hæreditario, peruenisse, & in pectore & ore eius stabulari, vnde etiam toties ruditer rudunt, vt sæpius nimis velim *habere perticam* qua verberem asinos, qui toties occipiunt clamare, non vt cum apud Plautum essent, ex crumena, sed ex impuro suo ore.

Ceterũ si ad tuos Calvinistas, præsertim Bezam & Calvinum ipsum, colloquium hoc Leonidæ & Libani remittam; an non aptius & personis conuenientius id fecero, quàm tu, qui ne decorum quidem in effictione personarum seruare nosti, quod toties etiam Celfo obiicit Orig. li. 1. rigenes, qui Iudæum contra Christianos disputantem introduxerat, eique multa attribuerat, in Celsum, & lib. 2. quæ Iudæo nõ nisi ineptissimè affingi poterant. Ego decorum obseruabo. Quid enim non, vel ipso decoro iudice, decorum erit, si Calvinus ita alloquatur Bezam. *Edepol virtutes, qui tuas possit collaudare, sicut ego possum, qua domi* (Parisiis, Geneuæ, Lausannæ) *duellique* (in bellis Gallicis potissimum Aureliæ) *malè fecisti; Na ille edepol pro merito tuo nunc memorare multa possit. Vbi fidentem fraudaueris* (factum vbique) *vbi hero* (Regi Galliæ) *infidelis fueris. Vbi verbis conceptis sciens libenter periuraris;* (factum id millies) *vbi parietes perfoderis,* (in tota Gallia) *in furto vbi sis deprehensus* (in plerisque Galliaë templis.)

Respondeat huic Beza. *Fateor profectò vt praedicas, Caluine, esse vera, verum ad eò na & tua quoque malefacta iterari multa & vera possunt, vbi sciens fideli infidus fueris, vbi prehensus in furto sis: & manifesto denotatus (stigmatè) vbi periuraris: vbi sacro manus sis admolitus, vbi heris (regibus Galliae) damno, molestia & dedecori saepe fueris; vbi creditum tibi quod sit, tibi datum esse pernegaris, vbi amica, quam amico tuo fueris magis fidelis. Num. malè relata est gratia? vt collegam collaudaui. Respondeat Caluinus cum Leonida: vt meq; teq; maxime atque ingenio nostro decuit: Sed ad institutum reuertamur.*

Aliquot annis post, inquit Ribadeneira, D. Francisci Minorum Ordo de obseruantia, Ecclesiae & ipse lumen & ornamentum, propensionem & benevolentiam Patrum Ordinis Praedicatorum insigni charitate imitatus est. *Arque ita, inquit Misenus, tria Idololatrarum sodalitia familiaritatem coierunt; vt videatur ista conspiratio ad oppressionem veritatis reuocari & appellari posse. Si nomen idololatrarum mutes in nomen Religiosorum, & nomen veritatis in falsitatis; tum quod scribis admittam, admittetq; mecum libenter, quisquis veritatem amat, & falsitatem odit.*

In capite decimo octauo ostenditur nostros in varias Africae partes penetrasse: non tamen diu mansisse apud Congi Regem, quòd, quamuis Christianis sacris initiatus, vità tamen Christiano indignam ageret. Tu negas hanc fuisse causam,

causam, sed hanc, quod Rex ille, vt & Rex Angola, non de Religione, sed de regione solliciti fuerint; suspicari emissarios illos esse Lusitani Regis speculatores, vel potius proditores. Mirum dictu, quod tu semper post tot annos melius nosti, quo quiduis consilio gestum sit; quàm illi, qui rebus gestis interfuerunt; & quàm Ribadeneira, qui hæc, quæ scripsit, ex ipsorum ore & relatione scribere potuit. Nam quod ad speculatores & proditores attinet, nondum eò penetrauerant recentes istæ Machiauellistarum, politicorum & Calvinistarum artes; qui vt religiosos honesto titulo exterminent: speculationes nescio quas & proditioes fingunt: nec amantior fuit Rex Lusitaniae Ioannes regni noui acquirendi, quàm Christianismi propagandi.

Quod autem Ribadeneira ait: nostris iam in Angolæ regnum tutissimum patere aditum, illud neque credere placet; inquit Misenus; neque refutare libet. Cur verdè credere non placet; quòd tota Lusitania non credit; sed euidenter perspectum habet? Multis iam annis tam nostri, quàm Lusitani in regno illo sedes fixas statuerunt. Sed Miseno id non placet credere. num propterea falsum erit, quia tibi non placet credere? *Nec lubet*; inquis, *refutare*. Luberet, si posses Misene. At quia non potes, non lubet: calumniari tamen lubet, quasi posses, si luberet.

Caput decimum nonum pauca habet; quæ nos erudire possint, inquit Misenus. Scribe; quæ nobis Calvinistis placere possint; nisi forte, inquit,

*aliquis admiratione dignum putet, quod etiam Sicilia, societatem illam admiserit, & Bauaria Principes eandem fouerint. Omnino admiratione dignum est, societatem in omnes penè oras, eo ipso tempore penetrasse, quo Hæretici iam totum Catholicum orbem sibi deuorasse; aut certè propediem deuoraturi uidebantur. Recte mones Lectorem, ut hoc tanquam admiratione dignum notet.*

Caput vigesimum explicat nostrorū in Brasiliam nauigationem, & Antonij Criminalis in India pro Christiana fide gloriosam mortem. Misenus uocat *interitum miserabilem*. Usque ad eone mori miserum est, Misene, pro Christo? *Laudare, inquit, non possum, quod sponte periculo sese obtulerit. Nolo disquerere, num illicitum sit sponte sese offerre Martyrio: hoc dico, Antonium Criminalem non sponte in illud vitæ discrimen sese coniecisse. Nam Christianæ rei vacantem oppresserunt repente aduolantes Ethnici, telis ad necem inferendam instructi. At fugere poterat Antonius: Ita est, & fugisset; si non pastor, sed mercenarius fuisset: At pastoris munere se fungi non ignarus, prius in nauim recipere sese noluit, quam oues in tutum locum deduxisset. Quod dum sedulo agit, ab aduentantibus hostibus circumuentus est; & occisus. Placere tibi charitas hæc & fortitudo Antonij nequit, sat scio: quia nihil simile tui ministri faciunt, primi fugere soliti, cum de capite agitur, oblitii hædorum suorum, non enim ouibus præsumt lupi, in pace léones, in prælio cerui.*

Anto-

Antonium hoc elogio ornat Ribadeneira: Fuit vir sui contèptor, diuini honoris studio flagrans, obediètiæ in primis cultor, orationis assiduitate & uirtute præstans: Eius similes Xauerius optabat esse omnes, qui in Indiam mitterentur. *Notandum, inquit Misenus, votum Xauerij. Plane notandum est, at non eo, quo tu notas modo. Ex eo facilis coniectura est, inquis, non multos Iesuitas illi esse similes aut fuisse. Item. Sequitur multos ex Iesuitis mundi esse admiratores, & ambitiosos, & in precibus negligentes, ac uitiis multis præditos, & uitæ flagitiosa.* En quam idoneas consecutiones Misenus ex voto Xauerij deducat. Agam tecum ruis exemplis; ut melius, quam ineptus & imperitus sis intelligas Si quis Geneuensis Ciuis optaret, omnes ministros, qui mittuntur Geneuam, similes esse Bezae, num ex hoc voto rectè colligeres; non multos ministros illi esse similes, aut fuisse? Nequaquam. Quia etiam cum hoc votò fieri potest, ut multi & sint & fuerint illi similes. Deinde multo minus bene concluderes ex illo voto, multos ex ministris esse ignaros; stupidos, truncos, blennos, Crassos; Brutos, Bestias, Asinos; Quia licet tam insigniter non sint eruditi, quàm Beza, nec tantum lingua valeant, quantum ille; eruditi tamen sunt, & eloquentes; non modo infra; sed & supra modum, licet non ad miraculum.

Eadem vis est voti illius Xaueriani. Esto non fuerint omnes similes Antonio in iis, quas commemorauimus, uirtutibus: non sequitur tamen, multos esse *admiratores mundi,*

oratio-

*orationi minimè deditos, flagitiosos; quia in virtutibus gradus sunt; alij aliis altiores, nec oportet, vt qui non confitit in summo, sit in nullo, & in quo non apparet singularis & eximius mûdi contemptus, & in precibus concipiendis feruor; is sit amator mundi, & orationis minimè diligens. Vides, Misene, tuarum consequentiarum absurditatem: quas quænam Dialectica te docuerit; ignoro equidem, nisi forte ineptia hæc non proueniat ex vitiosis regulis, sed ex penuria prudentiæ, & ex impetu calumniandi; qui te non finit perspicere, quidnam ex quaque re aptè sequatur, quid non sequatur.*

In capite vigesimo primo ingreditur Misenus noster, quasi iam recens ex carceribus emissus, stadium conuiciandi & criminandi, proposito sibi Iulio Tertio Pontifice; in quem iratus, & mille mendaciorum turmis instructus, incurrat. Testes mendaciorum suorum laudat eosdem, quos supra, cum Pauli Tertij Pontificatû insectaretur, Vergerium, Balæum, Schleidanum triarios istos; & quasi omnis mendacij Triumuiros. Sed quia superius & speciatim & generatim fusè egimus de horum fide; & quare tribus istis, vt & aliis Romanæ sedis calumniatoribus, nihil penitus sit credendum, satis erit Lectorem ad Caput illud libri secundiremittere, vt inde contra virulentos Hæreticorum calamos antidotum petat. Suffecerit hic illud vernicum elogium, quod Iulio Onuphrius his verbis tribuit: *Pauci fuerant, qui in Romana Curia diuturnius, iustius, fidelius & laboriosus per tot annos, quam Iulius Tertius versati fuerint; in quo vno nullus*

Lib.2.ca.5

*nullus vnquam in maxima varietate rerum gerendarum, superbiam, nullus auaritiam, nullus negotiorum, quæ is suscepisset, neglectû, aut quæstus aliquam cupiditatem notasset.*

## CAPVT V.

### *Refutatio calumniarum in tria postrema libri tertij capita.*

**I**N capite vigesimo secundo describit Ribadeneira institutum & formam societatis. *Hoc caput, inquit Misenus, docet Iesuitas esse bonos Aristotelicos.* Non pudet nos Aristotelis, nec doctrinæ Aristotelicæ, quam publicè & priuatim profitemur; ac proinde longè maluitus audire Aristotelei; quam Ramei, quia illa appellatio laudis est, hæc vitij. *Sunt, inquis, Theoretici & practici.* Omnis homo Theoreticus & practicus est, Quia omnis homo *speculatiuum & practicum* intellectum habet, illum cognoscendis, hunc agendis rebus. Si quis tamen Misenum excipere velit; cum hoc non magnopere contendendum puto. Factus est enim sicut *equus & mulus, quibus non est intellectus, nec Theoreticus, nec practicus.* *Qui in Theoria, inquis, errant, verisimile est illos malos esse practicos.* Non abnuo. Tu vicissim concede, quod subdo: At Misenus & Calvinistæ errant in Theoria, ergo non est verisimile, sed necessariû, illos esse malos practicos.

Quod autem societas ministeria sua gratis obit, id interpretatur Misenus astutiam. Si non gratis obiret; interpretaretur auaritiam; ita ca-



lumniis nunquam destituitur. Nec male agunt sacerdotes alij, etiam iudicio nostro, qui ob sua ministeria debito stipendio sustentantur. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Nescitis, inquit Apostolus, quonia qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant. Sed nec male agunt, qui hoc iure suo sese abdicant; nec ob id aliis inuidiam constant; sicut si tu sponte tua gratis bonas litteras doceres, an hoc facto tuo Collegis tuis inuidiam constares, qui victus comparandi gratia gratis non docent? An hæc tua ratio lucelli captandi quæstuosior esset, quam illa altera simplex; quæ certum Minerual paciscitur? Certè si quæstuosior esset, plures eam Ministrorum Caluinianorum inirent, quam in-eunt.

Addis. *Suam religionem aiunt esse non Monachorum, sed Clericorum.* Ait Ribadeneira, nostrâ societatem esse Religionem Clericorum, & ita appellari à Concilio Tridentino; de Monachis nullum verbum facit: Tu tamen pro tuo acumine iners; *sunt Clerici; ergo non Monachi:* Vera quidem est conclusio, sed quid si Monachi essemus, an magis nos amares? An solum nomen Clericorum in nobis odisti? *Si nominis odium est,* inquit Tertullianus, *quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut male-dicum, aut impudicum, Clericus verò quantum interpretatio est, de sorte deducitur.*

1. Cor. 9.

Tertul. A-  
polog. c. 3.

Ais: *prudenter hæc societas asperiores in victu at-que vestitu leges remittit. Sic enim plures alliciunt otiosos & delicatos ventres.* Si societas hæc otiosus & delicatis ventribus dicata esset, audeo dicere, cateruatim ad eam aduolaturus Caluinistas, malas bestias, ventres pigros & otiosos, antiquum Cretenfium genus. Cur enim ad Lutherum & Caluinum tantus tam cito concursus est factus; nisi quia dissoluta omni disciplina, præsertim Religiosa, ventribus istis Euangelium hoc nouum longè iucundissimum & omni acceptione dignissimum visum est. Si talis esset disciplina Ignatij, cur eam pari facilitate non amplecterentur? Religiosa disciplina ventri nequit esse grata; tum quia religiosa; tum quia disciplina; ab utraque enim venter abhorret, nihil minus, quã disciplinam; & quidem religiosam disciplinam, ferre à naturâ suâ doctus. Quod si in societate nostra aliud disciplinæ genus non reperiretur; quàm arctum illud & perpetuum obediendi, suamquæ voluntatem ad superioris voluntatem accommodandi studium, satis profecto Misenus disciplinæ haberet, in quo se tota ætate exerceat.

Sed pergis ad alias cauillationes. *Societas o-mittit canonicas illas decantationes.* Ita sanè, ob causas quas Ribadeneira memorat; non quas tu deblateras; *tenerior,* inquis, *credo est, quàm vt continuis huiusmodi boatibus par esse possit.* Calumniaris. Non obstat teneritudo; sed alia officia, quæ cum hoc consistere nequeunt; præter cetera, munus docendi in Scholis,

Ais:

A a 2 cui

cui si teneritudo nostra sufficit; cur non etiam sufficeret decantâdis publicè in templo diuinis laudibus? maioris enim laboris est munus discendi, & docendi publicè, quàm munus cantandi. Sed quia duo hæc munera coniungi nequeunt, ideo societas elegit id, quod his temporibus videbatur magis necessarium, relicto altero, omnibus fermè Religiosis vfitato.

*Tacitè, inquis, monent Canonicos, facitè illos posse supersedere boatibus illis sine iactura Ecclesiæ.* Turpe est vel puero mentiri; quanto magis viro. Cur ergo Misene, facis, quod si bonus vir esses; vel in pueris castigares? Nos ne Canonicos monemus, vt à diuinis hymnis concinendis desistant? An S. Paulus, quia non missus erat baptizare, sed *Euangelizare*; tacitè illos, qui baptizabant, monuit, vt à baptizando cessarent? Nouum profecto monendi genus. An quia non ago, quod tu agis, Misene, ideo me tacitè mones, vt à meis actionibus desistam? *Pungunt etiã Canonicos, inquis, cum scribunt, eam partem se amplexos esse, qua minus culta sit.* Nos non pungimus Canonicos; sed tu nos vbique pungis conuiciis. Munus Canonicorum non est iuuentuti erudiendæ operam dare. Quocircâ si societas munus hoc sibi delegit, nullam iniuriam Canonicis irrogauit. Eisdem non pupugit Ribadeneira, cum scripsit, partem minus cultam à societate electam esse. An non enim ea pars (ratio, inquam, tradendi omnes disciplinas à Religioso non alienas) iam cultior & vberior est; postquam extitit Ordo, qui se huic rei ex professo consecraret; qui perpetua serie scho-

scholis & Academiis professores & præceptores suppeditaret, quibus post Dei animarum curam, nulla cura potior esset, quam curare, vt discipuli in pietate & litteris progressus quam maximos faciant, nulla spe vilius pretij, aut alterius temporalis emolumentii.

*Dicitur ibidem, inquis, baptismum necessarium esse ad salutem.* Quid hic tibi displicet Caluinita? *Addi debebat, inquis, si haberi potest; non enim priuatio sacramenti, sed contemptus damnat:* Si hæc verba in Euangelio legerem, crederem: sed quia lego in Miseno: non credo. Verba Christi clara sunt. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum cælorum.* At infans non baptizatus, etiam sine Baptismi contemptu, non renascitur ex aqua & spiritu; infans igitur non baptizatus non potest introire in regnum cælorum. Sola ergo priuatio sacramenti damnat. Sed noui qualenam virus sub his tuis verbis implicatum delitescat, quod nunc explicare non lubet.

Infames & facinorosos non admittit hæc societas, inquit Ribadeneira. Misenus interiicit hæc duo vocabula: *Sed facit.* Item. *Ex accusatione Academia Parisiensis liquet contrarium.* Facere facinorosos, Misene, non religiosæ sed hæreticæ institutionis est, in cuius disciplina nullum magisterium virtutis est. Quod de Academiæ Parisiensis accusatione ais, puto te memoria lapsum (propemodum dixissem mente) nisi er-

ror librarij irrepserit ita perperam scribentis, pro inuectiua Antonij Arnaldi, frauris tui ad mendacia & conuicia pænegemelli, excepto quod tu in proparulo Caluinismum profiteris; ille specioso Catholici nomine tectus tacito sub pectore Caluinum & Machiauellum condit; qui, vt criminationes suas vendibiliores redderet; sub Parisiensis Academiæ nomine eas venditauit; cum tamen non Academiæ, sed suo & paucissimorum aliorum loco Philippicam illam effutiuerit, quod te docebit Franciscus Montanus Gallus, si relictis Arnaldicis Sycophantiis veritatem ipsam cognoscere velis.

Mont. cõ-  
tra Arnal.  
cap. 3.

Quod verò Ribadeneira scripsit, à præfectis & magistris nouitiorum in singulorum ingenium ac facultates diligenter inquiri, id tu explicaseo consilio fieri, vt *Iesuitæ ditiores retineant, pauperiores excludant*, accepto facultatum vocabulo, pro fortunis & possessionibus, non nisi reclamante conscientia. Vix enim tam stupidum, quanquam eximiè stupes, te arbitror, vt quæ mens Ribadeneiræ fuerit, quidque *facultatum* nomine intellexerit, non perspexeris. *Facultates* mentis & ingenij examinant Tironum institutores; non fortunæ & opû: de quibus Nouitiis liberum, arbitrato suo disponere. Quare vana etiam calumnia est, tum dimitti aliquem, & ex cœtu nostro eiici, cum *ex egestate aut ignorantia eius nihil lucelli, aut vtilitatis publicæ, vel in augendû societatis emolumentis, vel in idolis fulcendis sperari potest*. Fustuarium mereris, cum hac acclamatione præconis; *ἐνορκῶντος*. Neutra

caus-

caussa est. Minimè verò omnium quæstus spes negata: Neminè ob penuriâ excludimus, dummodo donis aliis gratiæ & naturæ probè sit excultus. Societas hæc non mercatorum est, sed seruorum Dei; in qua non opus æs in commune contribuere; sufficit, si operam & industriam pietatis & ingenij conferas; quam ab omnibus exigimus; etsi non à singulis parem; quia non omnes his dotibus pares; alius enim quinque, alius duo talenta accepit, alius vnum. Qui nullum, aut certè ad societatis institutum non accommodatum; eum, fateor, non retinere; sed vel exacto iam biennio, vel ante dimitti. Quod si necdum planè perspectus vota Deo nuncupauit; idque labentibus annis patefit, quod probationis tempore perspicere non potuit: dimissio non datur inuito; nec offertur nihil cogitanti, sed non minore charitate & beneuolentia tractatur, quàm alij, qui pondus diei & æstus sustinent, & talenta sibi credita ad vsuras expendunt.

Gaudeo autem placere tibi formam gubernandæ societatis, quæ est, vt præsit vnus Generalis Præpositus, adiunctis quatuor Assistentibus. *Rectè*, inquis, *ac ordine hoc fit à Iesuitis*. Rectè hoc asseris & ordine, non item quod sequitur. *Olim idem fiebat in Ecclesia*. Nam quatuor Patriarchæ erant eiusdem potestatis. Romanus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus: Falsum. Nunquam eiusdem ac Romanus Pontifex potestatis fuerunt tres reliqui Antiochenus,

Hierosolymitanus & Alexandrinus, pro quo tu nobis Constantinopolitanum substituis; cuius in Canone illo Concilij Nicæni, ex quo Hæretici hanc æqualitatem stabilire volunt, nulla mentio, vt nec Hierosolymitani, sed tua nihil interest, num verè aliq̄uid cites; quia calumniari instituisti; non docere.

Pergis. *Nihil iuris habebat Romanus Pontifex in alios, & poterant reliqui res illum continere in officio.* Falsum, Misene, falsum. Maior omnibus erat: Quia Episcopus Episcoporum, Patriarcha Patriarcharum, Pastorumque Pastor: profer vel vnum exemplum potestatis ab illis tribus, vel potius à duobus Antiocheno & Alexandrino vsurpatæ in Pontificem Romanum tanquam in subditum. Sed nolo de his plura: quia plurima Bellarminus.

Ceterum quis non rideat, cum ais, è re Christiana futurum fuisse, si Pontifici olim assignati fuissent assistentes, ex Germania quidem Philippus Melanchthon; ex Gallia Caluinus, ex Hispania Ludouicus Viues. Egregia triaga. Cur præteriisti ex Saxonibus Lutherum, & ex Batauis Erasmus? Forte ideo, quia *numero Deus impari gaudet.* At quinarium quoq; impar est. Forte, quia iuxta vetus dictū: *Tria sunt omnia.* Iam certè ima summis permixta cerneremus, & cœlum inferno, infernusq; cœlo cedere loco debuisset, his tam inclytis viris ad Reipublicæ clauū sedentibus. Pōrifex, si nescis, Cardinales Assistentes habet: horū cōsilia audit, maior nō modo singulis; sed & omnib. quia à Christo cōstitutus, à Chri-

à Christo potestate illa donatus, à Cardinalibus & Ecclesia tantummodo declaratus. Quo fit, vt ipse supra omnes sit, non modò sigillatim; sed & simul & vniuersè spectatos. Alia ratio illorum, qui à communitate aliqua potestatem accipiunt, his enim singulis maior ipse est; non omnibus.

Nunc tua in nos conuicia denud excutiamus. *Vide, inquis, arrogantiam impura Societatis.* Vide, Lector, impudentiam huius impuri Calvinistæ. Quid ita verò? *Gloriatur, inquis, de perfectione, ad quam tendat.* Dixerat Ribadeneira, omnibus religionibus eandem perfectionem esse propositam, quamuis ad eam diuersis viis & mediis tendant. An hoc est gloriari de perfectione? An hoc dictum tantam verborum asperitatem meretur, quantum tu hic bile percitus adhibes? *Quid est, inquis, illa perfectio; vbi inuenta, & apud quem, excepto Christo, reperta?* Facilis responsio, perfectio hæc, quam religiosa vita, vt finem propositam habet, charitas est, non qualiscunque, sed intensa, feruens & ardens; ad hanc remotis omnibus impedimentis Religiosi contendunt; & verò ex vocationis suæ instituto cōtendere debent. Hæc charitas, in qua perfectio consistit, non in solo Christo reperta est, quamquam in hoc perfectissimè & cumulativissimè; sed, nisi fallor, in diua virgine quoq; non enim frustra Angelus *gratia plenam* pronunciauit. Itē in Apostolis, & in tot sanctis Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Monachis & Eremitis: Et hodie ad eandem aspirant; & perueniunt itidē plus minusve omnes illi, qui rebus mortalibus

à sese abdicatis Deo seruiunt; & in cultu diuinae totius vitæ decursum consumunt.

Sed probas testimonio Clementis Alexandrini (loco tamen non notato) perfectionem inter homines non reperiri. Ait enim, *perfectionem esse apud Deum, qui semper docet; infantiam verò, & puerilem quasi inscitiam apud nos, qui semper discimus*. Loquitur Clemens de perfectione cognitionis diuinæ & nostræ, non de perfectione charitatis, nostramque ad illam comparatam, ait esse infantiam & paruulorum cogitationem, quod verissimum est. Hanc Clementis esse mentem testantur hæc verba, quæ subdit contra Hæreticos, *Mihi & mirari subit, quomodo quidam audeant se perfectos dicere & Gnosticos, supra Apostolum sapientes, inflati & elati, cum ipse Paulus de se ipso fateatur, non quod iam acceperim, aut perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam; gloriabantur isti Gnostici se omnia scire, vt & Celsus Philo-*

Philip. 3.

Orig. li. 1.  
cont. Cels.  
Euseb. c. 67.  
Hieroclé.

osophus apud Origenem; & Apollonius Tyaneus apud Eusebium; hos refellens Clementis ostendit, eorum scientiam ad diuinam compositam quasi nullam esse. Interim sicut non obstante hac humanæ scientiæ tenuitate, si cum diuina comparatur, verè quosdam appellamus *doctissimos, eruditissimos, & ad summum doctrinæ culmen prouectos; vno verbo perfectos; ita non obstante, quod perfectio, quæ in charitate consistit, prope nulla sit; si ad infinitam illam perfectionem referatur; vera tamen perfectio est, in aliquibus maior, in ali-*

aliquibus minor: quia in charitate consistit, quæ augeri & remitti potest, & sicut non obstante, quod hominis substantia fermè nihil sit collatione facta cum immensitate substantiæ diuinæ; licet in genere & gradu suo sit vera & perfecta substantia: ita accidit etiam in perfectione charitatis & gratiæ.

Quod si perfectio hæc in hac vita non reperitur, cur Christus ad perfectionem nos cohortatur; nec ad quamcunque; sed ad perfectionem sui patris. Cur Apostolus clamat; *perfecti estote*. Sed tu, more tuo, in vocabulo hæres; nihil perfectum existimans, quod ampliore perfectione perfici possit: quo pacto vix quidquam ex rebus creatis perfectum erit, cum vix quidquam reperiat, quod non possit amplius perfici; Imò nihil omnino; nam nulla res est, quæ à Deo pluribus perfectionibus, saltem externis, non queat absolutior reddi. Sed satis de perfectione cum Caluinita; qui ne notionem quidem nominis huius formare potest, nedum rei subiectæ.

Matt. 5. 19.

2. Cor. 13.

Adiungis. *Distinguit Ribadeneira Religiones, & nescio quam dissimilitudinem introducit: Vnus est Deus; vnus Baptismus, vna religio, fide constans & charitate non ficta. Hanc nos agnoscimus; qui Christiani sumus. Nescio num sis Minister seu Prædicans: hic certè Prædicantis munere fungeris; ita velut ex suggestu, quasi ad circumfusam multitudinem tonas. Cum vno Deo, Misene, cū vno Baptismate, cum vna Catholica & Apostolica Religione; probe consistit illa Ordinum*

dinum diuerſitas, quia diuerſi ſunt non fide & doctrina; non ſine illo vltimo, qui Deus eſt & beatitudo; non ſine perfectionis, qui in charitate conſiſtit, ſed viis & mediis ad deſtinatas iſtas metas ducentibus. Idem volunt, idem quaerunt, idem toto pectore exoptant; tota diſſimilitudo in via viſitur, non in termino ſeu terminis.

Addis, *Eadem eſt in omnibus confirmatio ſuperſtitionis; eſt diuerſitas aliqua eſt in conſtitutionibus, vt quondam in ſacris Iſidis & Oſiridis vnica ratio numinis religionisq; erat: tamen teleta (ſeu initiationis) diſcrimen intererat maximum.* Teſtem das Apuleium, qui te fabulari docuit. Doles nimirum omnes religiones ad propugnationem Catholicæ fidei, & ad oppugnationem hæreticæ perfidiæ conſpirare, quod tu homo, vt ab omni religione; ita & ab omni ſuperſtitione alieniſſimus, interpretaris *ſuperſtitionem*: ſed fatius eſt, vt habeamur à te ſuperſtitioſi; quàm religioſi. Ego quidem, ſi optio daretur, mallem à te iudicari malus; quàm bonus. Nam ſi iudicaretur à te bonus, hæreticus forem; ſi malum me exiſtires, Catholicus ſum.

Comparatio tua diuerſarum conſtitutionum, quibus diuerſi ordines gubernantur, cum ſacris Iſidis & Oſiridis; non oſtendit diuerſitatē illam eſſe improbandam; vt non ſemel iam tibi in his libris apologeticis oſtendi, cum ita argumentatus es: *Ethnici hoc vel illud fecerunt. Ergo repudiandum eſt.* Idein doceat te nunc S. Hieronymus, vt vel tandē calumnias inanes dediſcas, & quid ex eiufcemodi argumento colligendum ſit, intel-

intelligas. Ita ergo S. Hieronymus. *Quomodo virginitati vera non praiudicat imitatio virginum diaboli, ita nec veris ieiuniis Caſtorum (ita enim legendum) Iſidis, & Cybeles, & quorundam ciborum in aeternum abſtinentia. Et ſicut ſigna, que faciebat Moſes, imitabantur ſigna Egyptiorum, ſed non erant in veritate: ita per omnia, que in emulationem Dei facit diabolus, nō religionis noſtra ſuperſtitio, ſed noſtra arguitur negligentia, id nolentium facere, quod bonum eſſe etiam ſeculi homines non ignorant.*

Caput vigefimum tertium continet nouam Gregorij XIII. Pontificis Maximi conſtitutionem, & ſocietatis confirmationem, quam Miſenus, non reuerentia Summi Pontificis, nec quod iam ad fundum calumniarum perueniſſet; inexhaustus enim eſt, ſed neſcio quam aliam ob cauſam intactam præterit, contentus de ea ſuum lectorem monuiſſe. Itaque progredientem ad vltimum caput ſequamur. Vbi Ribadeneira fuſè docet; cur Collegia habeat Societas iuuentutis inſtituendæ gratia, multaque ex ſacris & profanis Auctoris adfert, quibus demonſtrat, quā ſalutare ſit, bonis moribus & litteris iuuetutem *expolire*. Miſenus ait, id eo conſilio ab Auctore fieri, ne quis exiſtimet *rem antiquiſſimam eſſe nouam*. Calumnianti excidit veritas, etiam præter voluntatem: Omnino enim antiquiſſima res eſt, vt iuuentus à viris religioſis inſtituatur. Memini me legere, ipſum S. Hieronymum de ſe ipſo ſcribentem, ſe, cum in Bethleemitico Monafterio verſaretur (at quantus vir Miſene) adoleſcentibus Virgilium & Liuium explicari. Sed

S. Hieron.  
cont. Rufinum.

vt hoc antiquissimum sit; vt allatis exemplis non paucis demonstrat etiam Auctor noster, at certè antiquatum iam & fermè collapsum instaurauit Societas, & quod olim à paucis præstitum, id curauit, vt à quam plurimis præstaretur; vt taceam planè nouum esse, & superioribus seculis inauditum, vt integer Ordo; quæ patet orbis diffusus, inter primarias suas occupationes vendicaret sibi iuuentutis institutionem non modò in sublimioribus illis Philosophiæ & Theologiæ disciplinis; sed & in mansuetioribus Musis; aut ostende mihi, Misene, vel vnum Ordinem, qui ante Iesuitas hanc prouinciam ex instituto excolendam sibi delegerit. Euolue tuum Polydorum; absque quo si esset; nihil penitus de religiosis Ordinibus scires.

Quod autem Ribadeneira de corruptis huius seculi moribus conqueritur, *quid aliud*, inquis, *Lutherus scriberet, si viueret*. Non sum necius, Lutherum itidem conqueri solitum de corruptione morum, vitiorumque vbertate. Sed hoc inter Ribadeneiram & Lutherum interest, quod ille conqueritur, vt Catholicus, & qui ex animo vitia excisa cupiat; hic vt Hæreticus, & simulatè, & vt omnis improbitatis Auctor. Conqueritur Lutherus de sceleratis in Ecclesia, non vt in Ecclesia sanet, sed vt ex Ecclesia ad synagogam suâ pelliceat; & sceleratioribus efficiat; more Donatistarum, qui, vt inquit sanctus Augustinus, *commemorando & exaggerando multorum in Ecclesia peccata, quasi apud ipsos iusti aut plures aut omnes sint, ab vnius Ecclesia vera matris vberibus nos auertere atque*


August. in  
Psalm. 10.

*arripere moliuntur, affirmantes, quod apud ipsos sit Christus, & quasi piè studioseq; admonentes, vt ad eos transeundo transmigramus ad Christū, quem se habere mentiuntur.* Cōqueritur Lutherus de praua vita, vt incendiarius de excitato à se incendio. Ignem appropereat extinguere, sed oleo, & id genus aliis nutritiis, flammæ potius alendæ, quàm cohibendæ idoneis. Nullus vnquã Hæreticus existit, qui publica vitia emendarit; semper cum hæresi nouæ flagitiorum copiæ inuehuntur; & quod plures hæreses exoriuntur, eò vberior scelerum mensis succrescit. Nam post hæreses semper *plurimi porci currunt, quos, vt ait sanctus Hieronymus, Gehenna succidia nutriant.*

S. Hier. li.  
2. contra  
Iouin.

### FINIS LIBRI TERTII.





# APOLOGIAE PRO VITA IGNATII LOIOLÆ

*LIBER QVARTVS;*

CAPVT PRIMVM.

*Refutatio calumniarum in sex priora capita  
libri quarti.*

**I**N capite primo libri quarti abdicare se conantem Generalatu Ignatium Socij prohibent, Quid hic Misenus? Ex Ignatio, inquit, *Paulum Apostolum hypocrita faciunt.* Qua de causa, oro? Quia inter ceteras rationes, quas attulerunt, vt generalis Præpositi officium, retineret; adduxerunt etiam hanc; quod ipse *vt sapiens Architectus*, fundamentum Societatis posuerit; supra quod ipsi & reliqui eius filij, tanquam *lapides viui superædificarentur.* Tam vecors & amens, credo, non es, vt putes socios Ignatij fecisse ex Ignatio Paulum, quoad naturam. Quod si ex Ignatio fecerunt Paulum imitatione; seu, si persuaserunt sibi, Ignatium exstructione Societatis; & in hac tam admiranda fabri-

fabrica excogitanda & disponenda, sapientem illum Architectum Paulum imitatum esse, atque aded Paulum fuisse non natura, sed imitatione, quid hic culpæ contraxerunt? Quæ enim culpa imitari Apostolum; qui ad sui imitationem omnes inuitat. *Imitatores mei estote*, inquit, Philip. 3. *sicut & ego Christi*: Nihil excipit, in quo exemplar ad imitationem propositum aut nolit, aut nequeat esse; si in omnibus: ergo etiam in architectonicæ sapientiæ peritia: Quod si imitator alicuius, ille ipse est, quem imitatur, non natura, sed imitatione: cur Ignatio nominis huius honorem inuideas? Cur ægrè feras; si pro tali à primis illis Societatis patribus sit habitus?

Quamquam in toto capite nulla penitus de sancto Paulo sit mentio; nulla inter illum & Ignatium instituta est comparatio. Calumniæ ansam inde tantummodo accepit Misenus; quia Ribadeneira modos quosdam loquendi ex Apostolo vsurparat, vt spirituale hoc Societatis ædificium ab Ignatio feliciter fundatum, oculis & animis ed clarius repræsentaret. Si quis Minister Caluianus pro concione diceret, Caluinum sectæ vestræ esse parentem, ipsum Magistrum omnium ac ducem à Deo electum, vt huius spiritualis ædificij, quasi architectus, fundamentum poneret, super quod Caluinista, tanquam *lapides viui superædificati*, ipso *summo angulari lapide Christo Iesu, coalescant in templum sanctum cum Domino*: nihil, opinor, quod calumniis incesferes, hic reperires: imò dictum hoc tanquam aptè ad Caluinum accomodatum,



summoperè, vt sapiens Caluinista, laudares. Si Caluinus tuus sine scelere Paulus est, iudicio tuo; cur non idem esse possit Ignatius? Largire, mi Misene; hac in parte tantum Ignatio, quantum largiris Caluino.

In secundo capite exponit Auctor, quomodo Ignatius animum ad Constitutiones scribendas adiecerit, deiectus spe deponendi onus præpositi generalis. Hanc spem vocat Misenus *simulatam*, ea, credo, de causa: quia Misenus, nihil ferid agit, nisi cum calumniatur & mentitur; hæc enim duo negotia summis viribus sibi perficienda putat. Reliqua omnia simulatè facit. Hinc alios ex ingenio suo æstimans, omnes sibi reputat esse similes. Interim mirandum est; quam acuta sit mente Misenus; qui intimos & abditissimos pectorum recessus penetrat, hominum non modò adhuc viuentium, sed & ante quadraginta & amplius annos ex hac vita ad alteram euocatorum; quo tempore Misenus iste vel nondum natus erat; vel in cunis iam tum tenui meditabatur arundine dolos & calumnias; quas aliquando effufurus esset. Inter quas & hæc, cum ais; *incubuisse Ignatium, vt certis societatem legibus vinciret, digniorem, quæ vinculis ferreis constringeretur; & in Orcum precipitaretur.*

- S. Hier. li. 1. contra Iouin. Origen. li. 1. contra Celsium.
- Mihi tu quidem tanquam arreptus morbo phrenetico Hippocratis vinculis alligandus videris. Quid enim hæc tua dicta aliud sunt, quam infanix plena conuicia cuius peulanti linguæ obuia? *Dicendum*, inquit Origenes, similia Celsi maledicta refellens: *hæc verba congruere raba-*

*le, non ei, qui pollicita præstare, & vtilissima scholia scribere studeat. De illustrationibus & visionibus Ignatio diuinitus oblati, quas hic solitis argumentis, hoc est, meris criminationibus iterum exagitat Misenus; actum iam est copiosè libro primo, dissectæque nebula; quas Caluinista iste veritati offundere nitēbatur.*

Quod autem Ignatius quadraginta continuos dies Deo sacrificium Missæ obtulit, ob id vnum, vt statueret, expediretne nostris Professarum domorum Ecclesiis reditus aliquos esse ad ipsarum Ecclesiarum vel fabricationem, vel cultum & ornatum; id duobus scholiis illustrat Caluinianus Scholiastes: Alterum continetur his verbis: *O diligentem sacrificulum; o causam grauem, quæ tot sacrificia requireret.* Alterum his: *Nota nouum vsum cænae Dominicae. Tolle sacrificuli scomma, & substitute Sacerdotis Christianum vocabulum, fateborque Ignatium diligentem fuisse sacerdotem; & in immolando diuino sacrificio assiduum; nec lenis causa, nisi apud leues, propter quæ quadragies sacris operatus Ignatius. An non enim maxima deliberatione, & non tam cū hominibus, quàm cū Deo consultatione egebat negotium illud, non temporarium, sed perpetuum futurum; non ad vnum alterumue hominem, sed ad integram religiosam familiam tam longè lateq; diffusam spectaturum?*

Porro quod hunc vsum sacrosancti sacrificij miraris, vt nouum, satis indicas te ignorare quæ sit sacrificij nouæ legis virtus, & quo sine ab Ecclesia DE I perpetuo sit

immolatum. Nec mirum, te hæc nescire: Non enim sacrificantibus, sed cœnantibus assistere soles: non sacrificare, sed cœnare doctus. Cœnâ certè Caluinianam ineptam esse explorâdæ numinis voluntati, libenter concedo; moneoque te, Misene, vt si qua res ardua tibi expedienda occurrat, quæque Dei ope & directione valde indigeat, orés potius, quàm cœnes: Citius enim quid factò sit opus, intelliges orando, quàm cœnando.

Tertium & quartum caput omittit Misenus; quod agant de institutione Romani Collegij; & aliorum in Hispania; *qua me, inquis, non visurum puto vnquam*: nec suadeo, vt eorum videndorum cupido te capiat: Aut enim in Hispaniis versari deberes, vt manifestus Caluinista; aut vt occultus. Illud periculi plenum est; hoc hypocrisicos & simulationis.

In quinto capite memoratur mors Claudij Iaij vnus ex primis Ignatij sociis. *Scire velim, inquit Misenus; quid anima ipsius factum, in cœlumne, an in purgatorium abierit.* Deum examina, Misene; non Ribadenciam: ille enim nouit, quis locus cuiusque animæ meritis consentaneus; nemo hominum id exploratum habet, nisi singulari beneficio alicui diuinitus patefiat, quod factum, cùm animæ Hozij & Codurij ex hac vita ad cœlestem migrarunt. Ne tamen nihil ad quæstionem tuam respondeamus; noueris, Misene, nos non frustrâ nobis persuadere, animam Claudij, rectâ ad Superos translata esse. Hanc enim sedem egregia vitæ sanctitate iam dudum promeruerat vir Dei, rerumque cœle-

cœlestium amans, mundi contemptor, cui *uiuere Christus, mori lucrum.* Vtinam tu tam certus cœli esses, incertior orci, quàm es, dum Caluinianus es.

Si de Caluiniana anima quæstio tua proponatur, paucissimis verbis res cõfici potest. Nam purgatorium vobis non est destinatum, vt ipsimet fatemini; nec limbus paruulorum ad vos pertinet, quia nec sensibus, nec malitia paruuli estis: Multò minus reseruatur vobis limbus Sanctorum, etiam vestro iudicio. Nec ad cœlum ascendere potestis: quia nimis altum est; Laboratis vertigine; deinde quis vestras animas ed subueheret, destitutas alis gratiæ & diuinæ charitatis? Nec superest aliud habitaculum, quàm *loca sœnta situ*, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror.

Caput sextum exprimit initium & causas Germanici Collegij Romæ instituendi, *de quo ego non laboro*, inquit Misenus. Leuas ergo me labore; quia si de hoc collegio laborasses; mihi vtique etiam laborandum fuisset. Pergamus ergo simul ad caput,

quod proximè subiungitur.



*Refelluntur cauillationes in caput  
septimum.*

**I**N capite septimo memoratur obitus Francisci Xauerij, qui in India, inquis, tot homines conuertit ad Religionem Christianam, quot conuertit auctori visum. Tuos mores describis, Mi-fene, non Ribadeneiræ. Tu enim non quod factum, sed quod tibi inanissimè visum scribere consueuisti. Verax historicus, qualis Ribadeneira, res gestas scriptis mandat; non sua phantasmata.

*Inter laudes Xauerij, inquis, miror etiam hanc poni, quod fuerit virgo & impollutus.* Ideo fortassis miraris; quia existimas, vt olim Nero & alij Ethnici, neminem posse esse virginem & impollutum. Ne tamen tam bruta persuasione imbutus videaris, aliam causam tuæ admirationis adducis. *Non aliter, inquis, poterat esse ex voto castitatis:* imo verò poterat post votum castitatis susceptum castissimus esse; nec tamen planè virgo & impollutus. Quid enim si ante castitatis votum in matrimonio vixisset, quales non paucos in religionibus inuenire est, qui ex voto castitatis castissimi sunt, nec tamen virgines & planè impolluti. Deinde potest quis ante castitatis votum, & antequam Deo sese per Religionem consecret, virginittatis iacturam facere modo illicito; etiam postea ex voto castam & immaculatam vitam ducat; Talis non erit virgo, nec planè impollutus.

Iustus. Augustinus post conuersionem suam à Manichæorum secta ad veram fidem, instituit vitam castissimam, nec dubium, quin ex voto, quia Monachus, & Monachorum institutor, & tamen non fuit *virgo prorsus & impollutus.* Idem dictum puta de aliis quàm plurimis. Ex quibus intelligis, Xauerium potuisse castitatis voto obstrictum, votique obseruatorem religiosissimū esse, & tamè non *prorsus virginem & impollutū:* si videlicet ante votum editum virginittatem & integritatem amisisset: quod multis sanctitate & eruditione clarissimis viris contigit. Non ergo laudat Ribadeneira Xauerium à re, quæ necessariò cum voto votique obseruatione connexa sit; sed ab excellentiore quodam munere, nimirum ab innocentia à primis annis, vsque ad extremum spiritum inuiolabiliter custodita.

*Licet hic suspicari, inquis, non omnes Iesuitæ esse tales, aliàs laus esset communis omnium, non peculiaris Francisci.* Mirabiles formas consequentias. *Xauerius fuit virgo prorsus & impollutus. Ergo non omnes Iesuitæ sunt tales:* Probas antecedens: *Quia laus esset communis omnium, non peculiaris Francisci,* perinde ac si quis ita sine ratione ratiocinaretur. Paulus Apostolus planè fuit sanctus, & charitate Dei incensus: Ergo non omnes Apostoli sunt tales, aliàs laus esset communis omnium, non peculiaris Pauli. Quasi verò laus communis omnium nequeat tribui vni: Imo. ideo cuiilibet tribui potest; quia quiuiss

communitatis illius pars est , & vt pars particeps laudis illius efficitur ; vt si de ciuibus alicuius ciuitatis verum sit affirmare , omnes esse bonos viros , iurisque & æqui amantes, vtique idem de singulis verè affirmare licebit ; & si quod totius est , tribuam vni , quatenus totius illius pars est , quis me nisi iniquus & inuidus reprehendet ? Quis tecum exclamabit : *Ergo non omnes tales sunt , qualis iste*, imo verò ideo iste talis est ; quia omnes tales. Quis vociferabitur laudem communem omnium , fieri propriam alicuius ? Hæc dixerim , vt cognoscas , quàm inconsideratè quiduis effutias . Faciamus enim non omnes Iesuitas esse *virgines* prorsus & *impollutos* , vt fuit Xauerius ; at necesse non est ; vt quod tu insinuas , sint flagitiosi iam dum Iesuitæ sunt , vtoque castitatis obstricti ; quia fortassis aliqui matrimonio iuncti fuerunt . Fortè aliquibus accidit id quod Augustino & aliis . Non omnes *Ioannes sunt* : reperiuntur & *Petri* : satis est , quod postquam à vana seculi *conuersatione* abstracti ad Deum viuum sese conuerterunt , promissa faciunt ; & quod vouerunt , Domino sanctè & integrè præstant . Sed tu vel sine occasione calumniandi occasionem arripis .

*Non memini me legere* , inquis , *in illo auctore Latino marem dici virginem* : Si vir virgo est , poterit & vigo dici ; nam quod res est , id & nominari potest ; An putas ideo nullum marem dici posse virginem ; quia difficile ,

ne di-

ne dicam impossibile est , inuenire marem Virginem de grege Calvinistarum , qui , vt S. Hieronymus de Iouinianistis ait , *equi insanientes in foeminas facti sunt , statim vt mulieres viderint , adhincunt , & impatientiam suam , pro nefas , scripturarum solantur exemplis*. Hæresis certè id effecisse videtur , vt nomen Virginis non modo non queat amplius tribui hæreticis maribus , sed vix etiam puellis . Nam quod S. Hieronymus ait de foeminis à Iouiniano deceptis , id iure optimo quis vsurpet de foeminis Lutheranis & Calvinianis : *Ipsa mulieres misera & miserabiles praeceptoris sui ( Lutheri & Caluini ) verba cantantes : quid enim nisi semen requirit Deus ? non solum pudicitiam , sed etiam verecundiam perdidierunt , maiorique procacitate defendunt libidinem , quam exercent*.

At quod in Cicerone alioque latinitatis Auctore nomen *Virginis* non legisti tributum mari ; quid refert ? quam multa quotidie in ipsis sacris biblis , & in Ecclesiasticis monumentis legimus : quæ frustra quæras in Ethnicorum monumentis ? An non in Apocalypsi nomen *Virginis* maribus tribuitur ; vt & græcum *παρθένο* : quod ipsi vestri Interpretes vitare nequeunt ; si fideliter locum illum velint reddere : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; Virgines enim sunt , hi sequuntur agnum , quocunque ierit*. In quæ verba S. Hieronymus ; *De singulis* , inquit , *tribubus , excepta tribu Dan , pro qua reponitur tribus Leui , duodena millia Virginum signatorum creditura di-*

Hier. li. 2.  
contra Iouinian.

S. Hier. lo.  
cit.

Apoc. 14.

Hier. lib.  
1. contra  
Iouinian.

cuntur, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Ac ne putaremus de eis dici, qui scorta non norunt: statim intulit: Virgines enim permanserunt. Ex quo offendit omnes, qui virgines non permanserunt ad comparationem purissimæ & Angelicæ castitatis, & ipsius Domini nostri Iesu Christi, esse pollutos. Hi sunt, qui cantant canticum nouum, quod nemo potest canere, nisi qui virgo est. Idem Hieronymus Iacobum Apostolum virginem vocat, & Christū, quem dicit, ipsum Virginem primitias Virginum suorum in se Virgine dedicasse. Similia alij patres: quos si Ribadeneira imitatus est, cur reprehendis? aut si hunc reprehendis, cur non & illos?

Ex quo vides falsum esse, quod subiungis, Urbano secundo ita loqui concessum fuisse, propter Pontificiam auctoritatem; Nam interpres vetus Apocalypseos, imò & Hæretici, & S. Hieronymus, ita locuti sunt; & tamen non propter Pontificiam auctoritatem. Quod si Ribadeneira dixisset, Virgo impollutus; perpetuus, vel aliud de genere eodem, potuisses fortassis ei, tanquam seuerus Orbilius, diem dicere, dicamq; scribere, velut reo læsæ Maiestatis Grammaticæ; at id fecisset non sine exemplo Patrum, nominatim ipsius Hieronymi, apud quem vidisti iam, virginem signatos, virgines suos; ac proinde cum Ribadeneira Hieronymum quoque & alios non paucos vocare debuisses in iudicium, quos nemo sanus latiniore & eloquentiore Miseno esse negat.

Arguit

Argtè verò Urbani Pontificis Canonem interpretaris; quo, vt inquis, sanxit, ne quis ad ordines admittatur, nisi sit Virgo: hoc est, vt explicat Balæus; inconiugatus; scortator, Sodomita: vel vterque. Nesciebam te esse tam insignem glossatorem Canonum: Si Balæo virgo est scortator, Sodomita, vel vterque, tum non abnuo, Balæum fuisse Virginem: Quia fuisse egregium scortatorem, supra ex Alano Copo ostendimus. Reuoco item quod supra dixi, nullos (ita liceat loqui, Misene, sinè tua virgula) apud Hæreticos reperiri virgines. Si enim ex noua Balæi & tua impositione, nomen virginis prædictam notionem subiectam habet, libentissimè concedo, omnia apud vos esse plena Virginum, qui (nisi mauis, quæ) putant delicias esse, iniustitiam, sordes & maculas, & nihil aliud, nisi de voluptatibus cogitantes, qui habent oculos plenos adulterio; & insatiabili libidine, & decipiunt animas necdum Christi charitate robustas. Nec plura de his, tantum moneo te, vt si Pontificum canones legere velis, Gratianum potius adeas quàm Balæum, apud quem aliter sonat hic Canon, quàm à te ex Balæo referatur. Sic enim habet: Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probata sit castitatis, & qui vsque ad Subdiaconatum vnicam & virginem uxorem habuerit.

Necdum finis corrigendi, q; correctione non eget; Ait Ribadeneira, Xauerium in aduersis fuisse infractum: Tu negas hoc sensu hanc vocè apud probatæ notæ Auctores reperiri. Nō agitur hoc

Hier. lib.  
1. contra  
Iouinian.

d.32. Can.  
Nemo.

hoc, Misene, vt singula, quæ Ribadeneira vsurpat vocabula, ex Ciceronis aut alterius Ethnici scriptoris officina deprompta monstremus. Fax etiam est, Christiano præsertim, SS. Patrum, vt Hieronymi, Augustini, Tertulliani, Lactantij, Arnobij & similibus vocibus vti. Deinde non malus, opinor, latinitatis Auctor Plinius est, cui *infractus est, non fractus*; Et doctissimus quidam vir apud Ciceronem idem vocabulum eodem sensu accipit: sed satis, si non nimium de his Miseni nugis.

Plin. lib. 3.  
cap. 50.

Cic. orat.  
post reditū  
ad Quir.  
Budeus le-  
git. nō mo-  
do infra-  
cto, vbi a-  
lij: nō mo-  
do non in-  
fracto.

Scribit Ribadeneira Xauerium ter fecisse naufragium, vt *habeamus*, inquit Misenus, *alterum Paulum*. Si alter Paulus est, quisquis ter naufragium facit; multi profecto Pauli erunt ex nautis, qui ne pilum quidem Pauli habent. Triplex naufragium non recensetur à Ribadeneira, vt ex Francisco faciat Paulum; sed vt ostendat, quid Xauerius terra marique pertulerit. Duos aliquando tresue dies, inquit Ribadeneira, Xauerius iactatus vndis in tabula seruatus est, vt *habeamus*, ait Misenus, *alterum Vlyssem*. Eadem verba adiicere potes ad illud Apostoli dictum: *nocte & die in profundum maris fui*, nisi forte ex Apostolo pro tua reuerentia & modestia velis facere Palinurum.

2. Cor. 11,

Subiungis: *Nequid autem superstitionis complemento desit; Auctor addit, orationis spiritu excellens erat Xauerius, in qua totas frequenter noctes ponebat*. An tu pro superstitione habes, sine intermissione orare, totasq; noctes non somno, sed precib<sup>9</sup> trāsfigere? Sed animaduerto, cur hæc re narib<sup>9</sup> tuis superstitionē halet. Preces fundebat

Xau-

Xauerius coram sacrosancto Eucharistia sacramento. Id scilicet Caluimianus spiritus ferre nequit. *Habemus hic*, inquis, *alterum Ignatium, sed stupidiorum*. Quid ita verò? Quia Auctor scribit, Xauerium in Iaponia suis pedibus iter facientem, ita interdum acceptum esse, vt vepribus se indueret, in lapides offenderet, pedes lacera- ret sine dolore, sine sensu. Ad illa verba, *suis pedibus*; annotat in primis Scholistes: *mirum ni alienis*. Quid? tune nunquam alienis pedibus iter fecisti? Quid cauillaris nugator? Nonne ita loqui licet, si quis peditem, non equitem fuisse significare velit? Sed hanc cauillandi libidinem affricuerunt tibi seruuli & parasiti Plautini; quibus talia dicta frequenter in ore.

Secundò, talem hominem, qualis hic describitur à Ribadeneira, ais *ab Aristotele vocari furiosum & vesanum*. Mentiris Misene; vt paucis me expediam: nullum eiusmodi hominem vidit Aristoteles vnquam, qualis Xauerius, nullum eiusmodi descripsit: *μαρῶμενον καὶ ἀνάλγητον* Aristot. 3. appellat Aristoteles illum, qui viro forti per extremum oppositus, nihil penitus metuit, ἀφοβία & stupore defixus. Talis non fuit Xauerius virtute fortitudinis inclutus, quem à tua calumnia vel ipse Aristoteles vindicaret, si viueret; in medio cum virtute constitit, non in extremo; at furiosi illi & stupidi, de quibus Aristoteles, in extremo versantur. Nam quod molestias viæ & pedum vulnera non sensit, id non stuporis, sed coelestis cuiusdam ardoris; quo circum præcordia flagrabat; argumentum erat.

An

An nescis, generosos milites ita pugnandi cupidine aliquando abripi, & quasi à sensibus abstrahi, vt grauisissima vulnera, ne animaduertant quidem, donec ardor ille resederit? Quid mirum, si idem Xauerio euenit in remotissimis illis regionibus: cum tot hostes sibi debellandos, & tam arduum certamen ineundum intueretur, cum vexillum crucis contra trophæum Diaboli, iis in locis erigere cogitaret, quibus fortassis lux Euangelij nunquam affulserat: Plenus Deo cœlestibusq; solatiis, quibus effectum; vt corporis incommoda sine doloris sensu toleraret; dulcedine illa rerum spiritualium omnem molestiam & asperitatem laboris sopiente; cuius rei experimento si Ministri Calviniani tecum carent, & si vel culicis morsum sine gemitu non ferunt, haud mirum, quia peponem loco cordis habent.

Interim cum Xauerium *insanum* nominas; iam nunc mihi contemplari videor statum illum terribilem, cum *stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*, cum tu, nisi respicias, tuique similes, non Xauerium insaniam, sed vosmet ipsos summæ dementiæ accusabitis, illamque threnodiam flebilibus vocibus modulabimini, an lamentabimini? Nos *insensati* (nota Misene ἀναισθήτους seu ἀναίσθητους) vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est.

Si talis fuit, inquis, Xauerius; non miror illum *vapulasse à Diabolo; sic enim Auctor: Orantem il-*

*lum Diabolus grauitè aliquando verberauit. Ignoranti excidit veritas, & ex dentium septo effugit; si tamen excidere tibi potest veritas; quæ nullam in te est, nisi aliunde profecta in os tuum derepente inuolet; parique celeritate euolet, ne suffocetur. Omnino quia talis fuit Xauerius, à Dæmone vapulauit; sicut & S. Antonius ab eodem salutis nostræ capitali hoste plagas plurimas accepit; quia Dæmonibus toto vitæ suæ instituto ex diametro aduersabatur. Non puto te aut vllum alium Calvinistam à Diabolo vntquam verberatum esse. Nimis amat vos. Quis pugnis amicos oneret? pugni Diabolo non gestunt in amicos, sed in inimicos.*

S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.

Porro Xauerius ex Iaponia primitias quasi Ecclesiæ & Summo Pontifici offerens, hominem Iaponium non modo salutaribus baptismi vndis ablutum, sed & in societatem nostram adscriptum Romam misit; vt perspecta maiestate Romanæ Ecclesiæ, inquit Ribadeneira, in patriam reuerteretur. Hic Misenus; O *superbum Iesuitam, filij Dei regnum in his terris nullam habet maiestatem: Vestra videlicet sententia; at non Prophetæ, cuius hoc de Christiana Ecclesia oraculum: Et erunt reges nutritij tui, & regina nutrices tue: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* An hic nullam, Misene, agnoscis Maiestatem? Si veteris Synagogæ in templo, in sacrificiis, in ritu & caeremoniis sacrificiorum, in numero & multitudine & ordine ministrorum; in copia victi-

Isaïæ 49.

victimarum, in auro & argento alióque apparatu, tanta maiestas fuit, quantâ quoad Iudæorum Respublica stetit, sol orientisq; cadensq; nequam gentium aspexit; an tam insipientes; vt Ecclesiæ Christianæ, cuius vetus illa umbra duntaxat erat; nullam censeas esse maiestatem, nullum splendorem, nullam magnificentiam? Quasi verò fieri possit, vt sit magnificentior umbra, quàm corpus: aut figura, quàm veritas: sed proprium vobis est luci Ecclesiæ tenebras velle offundere: ne luce clarius elucescat vos extra Ecclesiam esse.

Scribit Ribadeneira, Xauerium multis questionibus, iisque diuersissimis sibi propositis, ita omnibus vna responsione satisfecisse; vt omnibus omnes dubitationes scrupulósque eximeret: idque multo etiam euidentius atque illustrius, quàm si sigillatim cuique respondisset: *Non dissimilis hac in parte agyrtis*, inquit Misenus, *qui panacæam vendunt, qua omnes omnium morbi curantur.* Non desunt, qui credant, Apostolos, accepto Spiritu sancto, vno sermonis idiomate vsos, ab omnibus quantumuis diuersissimarum linguarum nationibus intellectos esse: quod colligunt ex illo miraculum tantum admirantium dicto: *nonne, ecce, omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus.* Qua ergo facilitate Deus efficere potuit; vt vna lingua audita; quiuis eas notiones animo formaret; easque res intelligentia apprehenderet; quas formasset & apprehendisset, si vocabula suæ linguæ audisset, eadem etiam potentia effi-

efficere potuit, vt Xauerio cum Bonziis disputante; vna responsio diuersis; imò & disparatis questionibus satisfaceret; Deo interius mentes erudiente; & id quod diuersæ solutiones & responsiones præstare debebant, per diuinum illud suum magisterium præstante. Quod si fideo Xauerius tibi Agyrta est, panacea omnibus morbis depellendis instructus, nescio cur non & Apostolos in Agyrtarum numero collocaturus sis, illa sua lingua, omnium linguarum vim & efficacitatem possidete, tanquam panacea quadam munitos.

Cetera quæ Ribadeneira commemorat de ægris à Xauerio per signum crucis; aut per aquam lustralem sanatis, de energumenis liberatis, de cæcis illuminatis, de mortuis excitatis, de Prophetiæ dono; de quæ aliis non paucis miraculis: refellit Misenus quatuor argumentis. Primum est; *Quis hac credat præter Iesuitas & alios fanaticos?* Secundum. *Ribadeneira metuens, ne edicto vetetur mentiri, corradiit mendacia crassissima.* Tertium, *eiusmodi mendacii in filium Dei blasphemis, Iesuita chartas complent.* Quartum, *nenio non videt Iaponium illum (qui Romam venit) à Xauerio ideo fuisse ablegatum, & domi oneratum mendacii, vt Roma illa venum exponeret.* His argumentis, Misene, quid non euerteres; si argumenta sunt, & non potius impudentis linguæ scommata & conuicia, tibi tamen tam familiaria, vt nullâ alia vnquam à te sint expectanda. Cur non calumniis tuis aliquam saltem veri umbram affingis, ductis rationibus vel à persona Xauerij; vel à natura & conditione miraculorum, vel à tem-



pore, vel aliunde, quibus si non verè, saltem in speciem videaris historiam Auctoris nostri refutare. Nunc cum sola & nuda conuicia iactes, quis te non rideat? quis te impostorem esse non animaduertat? totidem enim verbis, quiuis alius tui similis criminator oppugnare poterit miracula D. Hilarionis, D. Antonij, plurimorum Anachoretarum; quæ S. Hieronymus, Athanasius & Theodororus prodiderunt, An propterea euertet?

Euseb. in  
lib. contra  
Hieroclè.

Cum Eusebius contra Hieroclem miracula de cæcis visu, de què mortuis vita donatis, quæ de Apollonio Tyaneo ferebantur, & à Philostrato litteris consignata sunt, refellere instituisset, tanquam commentitia, non contentus fuit dicere: *Quis hac credat præter Hieroclem & Philostratum, & alios fanaticos? Mentitur Philostratus: discipuli Apollonij mendacis onerati, ea mundo venalia proposuerunt; Sed re alius & penitus inspecta, ductis argumentis validissimis à persona, vita & moribus, ab inconstantia & leuitate Apollonij, à testimonio discipulorum eius, à propria confessione, aliisque circumstantiis accuratissimè ostendit, ea omnia fuisse partim vana diaboli ludibria; partim arrogantissimi Tyanei falsissima commenta. Cur non simile quid hoc loco præstitisti? cur, nisi quia nequiuisi? Magnum certè Xauerij miraculis præbes veritatis testimonium, Misene; cum ea non nisi illis spiculis oppugnas, quæ quo quis sceleratior est; eo promptius & copiosius promit.*

Similibus machinis ea, quæ sequuntur, inuadis: *Quæ de corpore mortuo, inquis, confingit, ridicula*

*dicula sunt, quod scilicet durauerit per quindécim menses incorruptum, naturali colore ac viuido, humida carne ac succosa, nihil tetri odoris aut fœdi præ se ferens: Ex hoc vno, inquis, discimus frontem huius sectæ. Imò ex hoc vno, vt alia infinita non suppeterent; discimus tuam frontem; qui præter nudas asseuerationes & criminationes nihil penitus affers; & nec vel stultis quidem probabilem rationem adducis, cur hæc, quæ de Xauerij corpore Ribadeneira refert, à vero sint aliena. Quid enim? An tu solos Iesuitas in India esse credis? An non plurimi Lusitani omnis cõditionis & status, id quod Ribadeneira scribit, oculis suis aspexerunt? An non tota Goa, Prorex Indiæ, & totus regius senatus; & Episcopus Goënsis cum suo Clero tanti miraculi testis est? An non etiam hoc & alia Xauerij opera supra naturam edita legitimis, imò oculatis testibus comprobata, & instrumentis publicis comprehensa ad Ioannem Tertium inuictissimum Lusitanæ Regem missa sunt à Prorege Indiæ? Quæ est ista tua vanitas, Misene, vt præter te, qui mendacissimus es; nemo tibi sit verax.*

Scilicet Ribadeneira, aut alius quiuis Iesuita, miraculum hoc de integritate corporis Xaueriani confingere potuit, nemine Lusitanorum aut Indorum id aduertente; donec tandem post quinquaginta propemodum annos tu de *Asopu puteo asinus* extitisti; fraudem quæ deprehendisti & patefecisti; qualè deprehendes etiã, nihil dubito, in corpore S. Hilarionis, quod *sanctus vir Hesy chius Cyprius cum ingenti vita sua periculo post decem ferè menses furatus est*, inquit S. Hieronymus.

Vide Comment. de rebus Indicis. Editum Colonæ.

Tertul. lib. 4. contra Marcionem.

S. Hier. in *Quod Maiumam deserens*, verba sunt Hieronymi, totius Monachorum & oppidorum turbis prosequentibus in antiquo monasterio condidit, illa sa tunica, cuculla & palliolo & toto corpore, quasi adhuc viueret, integro, tantisque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putaretur. Sed satis in praesentia de Xauerio. Exstant eius acta non breui historia, sed iusto volumine explicata ab Horatio Turfellino societatis nostrae presbytero, cuius gloria, ut & Ignatij, minor non sit Haereticorum calumniis; sed maior; nam haeresis alta petit, & lingua procaci ferit.

## CAPVT III.

*Dissoluantur criminationes Miseni in caput octauum & reliqua vsque ad decimum sextum.*

**C**Apud octauum explicat nostrorum in Insulam Corsicam aduentum, missu Pontificis. *Sed dum Iesuita*, inquit Misenus, *se commendant in Insula Corsica reformatione, praclare coarguant negligentiam Pontificum.* Primum, Ribadeneira neque se, neque suos labores commendat; sed alios & alienos, licet hominum ex societate. At hoc nemini vetitum; cum ne illicitum quidem sit suos labores praedicare, si necessitas & proximorum utilitas id ita exigere videatur; alias minimè id fecisset Apostolus, qui non modo labores à se exantlatos aliquando commemorat; sed & plus reliquis sese studij & operæ in vinea domini excolenda posuisse, intrepidè affirmat. Quam aut tu hic Pontificum negli-

2. Cor. 11.

negligentiam somnias, si Pontifex nostros in Corsicam destinauit, ut noxias herbas inter segetem Dominicam enatas euellerent: hoc certe non negligentiae, sed diligentiae & vigilantiae est, nisi forte tu eam diligentiam à Pontificibus requiris, quæ non modo orta Zizania extirpet, sed & ne crescant, praepediat, quæ maior est, quam ut in hominem cadat. Nam quis tam sedulus & indefessus agricola; qui vlla cura efficere queat, ne mala herba cum frugibus submittantur?

*Nec plane intactos*, inquis, *Canonicos dimittunt; dum aiunt, ex illis nonnullos, quibus forte seuerior disciplina odiosa erat, multa contra Iesuitas Romam pertulisse falsa & acerba.* Scilicet admodum tibi curæ est; quis à nobis ex Catholicis tangatur, dum modo tu nos tangas, & apud omnes odiosos & inuisos mendaciis tuis efficias. Innocentes à Ribadeneira non tanguntur; nocentes tanguntur, non ut vulnerentur, sed ut sanentur. Neque nouum est & insuetum in numero tam numeroso proborum, repertos esse, qui deformationis, quam reformationis amantiore essent, & qui (quæ huiusmodi hominibus solemnis iam est consuetudo) linguam & calamum in eos armarent; per quos sibi peccare non amplius integrum fore credebant. Sed cur retices, quam praclaris Corsicæ Magistratum tam politicorum, quam Ecclesiasticorum testimoniis nostri ab omnibus inuidorum criminationibus sint absoluti insontesque declarati?

In capite nono ait Ribadeneira in Hispania inquisitum esse in librū exercitiorum. Hic Mi-

senus, *Inquisitionis vel nominanda auctorem pudere debebat. Nam quod discrimen poterat subire idololatra apud idololatras? Cur verò pudere debuit Ribadeneiram, nominandę inquisitionis, quam vel maximè nominare debuit; vt constet librũ exercitiorum eò esse probatiorem, integriorẽ, & saniorẽ & vtiliorẽ, quo à pluribus accurate examinatus, excussus, & ad libellam Orthodoxę fidei, & Christianę pietatis exactus est. Catholico quidem apud Catholicos Iudices nihil periculi imminet; at quoad se Catholicum probat; quoad suspiciones vel obiectiones diluit, & à se legitimè amolitur, multum interdum operę suscipiendum, multumq; tardij & molestiæ deuorandum est. Etsi fateor, in inquisitione longè erectiore animo esse Catholicum, quàm Hæreticum; quia alter innocens est, alter nocens.*

*In decimo capite, inquis, de variis collegiis agitur, quæ ad nos nihil pertinent: Æquè parum ad te pertinebant alia capita totius libri, cur ergo intacta non reliquisti?*

In vndecimo capite docet Ribadeneira; quale fuerit decretum quod Sorbona seu facultas Theologica Parisiensis nondum cognita societate contra nostros edidit: quod decretum Misenus maximi facit, nihil alioqui Sorbonæ, Sorbonicisq; Doctoribus tribuere solitus, exemplo videlicet Lutheri, Caluini & Bezæ, qui vix vllos Theologos contemptius tractant, & despiciunt traducunt, quam Parisienses. At cum contra Iesuitas agitur, magni ab illis fiunt, etiã illi, quos alioqui nihili pendunt. Quare Misenus grandi verborũ apparatu decretum hoc proponit; seu po-

tius

tius summam decreti; non tamen ex ipso decreto; quod nunquam vidit, sed ex Arnaldo, homine non vnus, sed mille & amplius mendaciorũ conuictõ à Francisco Montano: qui tanto candore Gallos nostros exagitaui, quanto Misenus vitam Ignatij. Cur verò, Misene, vetus illud & primum Sorbonæ decretũ aduersus nos valere cupis, nulla habita ratione edicti, quod eadem facultas postea pro nobis publicauit, meliº prospecto societatis instituto, & experientia cognito, non ita rem sese habere, prout initio maleuoli quidam iactarant.

Ignorare videris illud: *Non est nouũ vt priores leges, ad posteriores trahantur. Etsi enim & posteriores leges ad priores pertinent; tamen si contraria sint non pertinent.* Et licet Sorbona vetus suum decretũ non mutasset per posterius, parum tamen antiquum illud molestiæ nobis adferret, quando illo nõ obstante, nostri in Galliæ regnum recepti sunt ab Henrico II. Francisco II. Carolo IX. Henrico III. Regibus; à Parliamentis, seu supremis curiis, & ab aliis Gallicani Regni statibus.

In capite duodecimo exponit Ribadeneira martyrium Petri Corree & Ioannis Sosæ in Brasilia. Tu ais, *in hoc capite nihil memoratu dignum contineri:* quia sanguinem pro Christo fundere, non est apud Calvinistas memoratu dignũ. Ad dis; *nã oēs Hispanos vel Iesuitas Martyres appellari debere, qui in India vel ob furta, vel ob stupra, vel propter alia flagitia trucidantur.* Omnino Martyris titulũ non meretur; quisquis propter huiuscemodi facinº vitã amittit: sed istud tibi probandũ superest, Corree & Sosam à Barbaris nõ ob Christianã

Montanus  
cap. 3. suæ  
Apologiæ.

L. Non est.  
L. Sed & ff.  
de legib.

Vide Frã-  
cisc. Mon-  
tanum in  
Apolog.  
cap. 25.

Religionem, sed ob malefacta preemptos esse: nimis grandis est lior tuus, qui mortuis detrāhere nititur gloriam, quam sanguine sibi pepererunt.

Caput decimum tertium agit de Ioanne Nungues Æthiopiæ Patriarcha creato; & in Indiam misso. Ait Ribadeneira, Æthiopes credendi regulam petere à Patriarcha Alexandrino variis Græcorum erroribus infecto. Hic tu, *Neoterici Græci, quidquid errorum habent, id à Romana Ecclesia maxima ex parte suxerunt*: Quod tam verè dicis, quam verè quis assereret, Lutheranos & Calvinianos errores suos magna ex parte à Romana Ecclesia suxisse: Suspicio te nescire quidem errores Græcorum. Suxeruntne à Romana Ecclesia errorem de processione Spiritus sancti ex solo patre? Errorem de beatitudine sanctorum? errorem de purgatorio, errorem de Primatu Pontificis Romani; errorem de vtraque specie quasi necessaria ad salutem ex præcepto diuino, vno verbo, alios errores partim ex arrogantia, partim ex incitia natos?

In capite decimo quarto commemorat Ribadeneira, tempestatem Cæsaraugustæ in nos concitatam: eam Misenus appellat *lepidam comœdiam inter idololātras*, videlicet nihil Miseno est lepidum, nisi Iesuitis sit molestum & luctuosum, & quo Iesuitis est molestius & luctuosius, eo huic Lepido est lepidius. Ait, *fuisse tantum simulatam persecutionem*; quod Cæsaraugustani nostros expulsos paulo post honorificè reuocarint. Abunde etiam hoc loco declaras, quo sis in nos animo. Simulata est tuo iudicio omnis calamitas, quæ Iesuitis obtingit, nisi

nisi sit perpetua, quasi in nos committi nequeat aliquid, cuius postea, re maturius deliberata, auctores pœniteat; quodque mutata voluntate in melius restituatur.

In capite decimo quinto ostenditur, quo pacto nostris aditus sit patefactus in Belgas; & quibus collegiis Societas sit aucta. *Notum illud*, inquit Misenus: *Mala herba citò crescit*. Non nego, Misene, vetus hoc dictū. Sed probādum tibi restat, Societatem esse malam herbam: Si malum duntaxat citò cresceret, haberes fortassis non leue argumentum, quo ex tam præpropere ordinis nostri incremēto, demonstrares, cum malis herbis annumerandum esse: sed quia bonum itidem citò crescere, lætifque successibus prouehi potest, singulari Dei ope & beneuolentia, ideo nullius momenti est tua hæc argumentatio; *Citò creuit, ergo est mala herba*; sicut nec illa admodum magni roboris est: *Citò creuit, ergo est bona herba, sed inspiciendus est itidem modus & tempus, quo quid creuit; & finis ad quem creuit, & ex his omnibus simul iunctis sententia de bonitate vel malitia rei ferenda est*. Nam si quid citò crescat, vel quia vi, & armis, & sanguine promouetur, & quasi irrigatur, vel quia eius modi est; quod vt amicum & gratum ad carnē & sanguinem inuitat; & quæ stricta sunt & arcta laxat; vel quia vtramque ob causam citò multiplicatur; id absq; omni dubitatione malum est & repudiandum: Si quid autem citò crescat, quod carni & sanguini sit aduersum; quodque omnes disciplinæ & honestatis leges sanctissimè custodiat; id non nisi optimum censerī debet, quippe

quod non nisi peculiari Numinis favore, tam celeri auctu grandescat.

Priore modo crescit, Misene, hæresis, quam partim arma propagant (testis Lutherana & Calviniana secta, vtraque nata ex cruore, & cruore amplificata) partim propensio hominum ad vitiorum illecebras, quas hæresis plena manu propinat, & si arma desint, hæc sola causa ad subitam propagationem sufficit, cum semper innumera turba reperitur, quæ a seueritate virtutis abhorreat, & ad laxam, solutamque vitam, quam hæresis offert & adfert; cæco impetu ruat.

Posteriore modo citò creuit nostra Societas, vt & alij ordines, quod libro primo dictum. *Lib.*, ca. 1. Bona ergo herba est; non mala, nisi fortè tibi, cui omne bonum malum. Certè Ignatius noster in suo ordine diffundendo non tenuit modum; quem tenuit Calvinus aut Lutherus: *Non enim vt Tyrannus* (liceat vsurpare verba Origenis) *sed duxit secum alios à legum obedientia* (quod fecit Lutherus & Calvinus) *nec vt latro* (Calvinus & Lutherus) *manum aliquam suorum armavit contra homines, nec vt opulentus allèxit obuiis largitionibus, nec impostorum* (Caluini & Lutheri) *more attraxit: Sed vt Doctor diuinæ religionis & scientia, omnisque moralis disciplina, quæ iuxta eam viuentes Deo conciliare valeat. Quare religio ab illo instituta non nisi bona esse potest, & non nisi vt bona citò succreuit.*

Hæresis vestra citò creuit, vt olim Romæ Bachanalia; quorum tu hic mentionē facis, admonitus

nicus, opinor, ab ipso tēpore, quo hæc tua scholia conscripsisti. Certè cum sectam vestram propius intueor, vel germen, vel genimen eam veterum Orgiorum esse arbitror: quia cum ventris voluptatibus coniunctum habet amplioreni furorem; quam vel furiosissima Mænas toto pectore capiat. Creuit hæresis vestra, vt olim secta Epicurea: *Epicurea disciplina*, inquit Lactantius, *multò celebrior semper fuit, quàm cæterorum; non quia veri aliquid adferat; sed quia multos populare nomen voluptatis inuitat. Nemo enim non in vitia pronus*: Idem prorsus de omnibus sectis hæreticis, præsertim de vestra; de nullo autem Catholico ordine asseuerari potest. Vt enim hæresis voluptatem alumnis suis tâquam mulsu proponit, ita quiuis Ordo religiosus vitæ asperitatem, sui que perpetuam abnegationem sectandam esse perpetuò docet. Quare hæresis seu citò seu lentè crescat, semper mala herba est; vicissimque religiosa congregatio bona herba est, seu citò seu tardè amplificetur.

Lactant. II.  
3. cap. 17.

#### CAPVT IV.

*Reselluntur calumnia in tria postrema capita.*

**C**apite decimo sexto exponit Ribadeneira felicem Ignatij ex hac vita ad alteram transitū, cuius Ignatium ignarū non fuisse ait. Hic Misenus; *Æquum fuerat patrem illum, si sciret, vel præsciret diem obitus, vocare ad se suos assistentes, & compellere filios suos; ac de rebus ad se pertinentibus monere, hortari ad constantiam, patientiam. Melius, credo, sciuit Ignatius, quid æquum*

æquum, quidue bono Societatis necessarium esset, sub finem vitæ suæ, quàm tu iuris & æqui planè inscius. Ex humilitate & Christiana modestia id intermisit; Vir verè humilis, inquit Ribadeneira, qui cùm obitum suum præsciret, neque Vicarium generalem creare, neque filios accersere, neque monere, neque hortari voluit, neque benedicere: vt illi spes omnes suas in Deo constitutas haberent, ab illo penderent, ipsum nihil fuisse, nihil esse arbitrarentur.

Caput septimum complectitur iudicia & testimonia grauissimorum virorum de Ignatio, Ex his primus est Iacobus Laynes, vir sui temporis longè doctissimus & celeberrimus, qui vbi mortuum Ignatium audiuit, sublatis illico manibus, oculos in cælum conuertit, & se Ignatio ardentissimè commendauit: *O superstitosum hominem*, exclamat Misenus; & *anthropolatram*, qui præterito Deo viuento, mortuo homini se commendat. Idem hoc tuum scholium quadrat ad vitam S. Pauli primi Eremitæ conscriptam à sancto Hieronymo; vbi Hieronymus de S. Antonio, cùm animam B. Pauli ad cælos ascendentem cerneret: *Cumq; iam dies altera illuxisset; videt inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum populos niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere: Et statim in faciem suam procidens sabulum capiti superiaciebat, ploransque & euulans aiebat: Cur me Paule dimittis? cur in salutatu abis? tam tardè notus, tam citò recedis.* O superstitosum hominem & anthropolatram, qui præterito Deo viuento cum mortuo homine pro-

uolutus

uolutus in genua; & caput arena conspersus fabulatur.

O superstitosum & anthropolatram ipsum Hieronymum, qui se mortuæ fœminæ cõmendat; *Vale*, inquit, *ò Paula & cultorũ tui vltimam senectutem orationibus iuuua.* O superstitosũ Theodoretum; qui ferè semper, quoties Anachoretæ alicuius res gestas absoluit; precibus eius, cuius vitam litteris mandarat, sese suppliciter commendat, ratus Deum nostrum esse Deum *viuorum*, non *mortuorum*, cùm si Caluianum istum Sadduceum audimus, Deus sit *mortuorũ*, non *viuorum*. Solus pius & religiosus Misenus, qui vt ab omni superstitione quàm Iõgissimè abstitat, satis planè insinuat, quid de animarum immortalitate sentiat.

*Vide*, inquit, *euentum huius commendationis, statim meliuscule habuit Iacobus; & redditus est sanitati, quàm Ignatius illi à Deo impetrasse creditus est, à Iesu itis scilicet, non à me.* Multum videlicet moramur, quid à te impetratum credatur, quasi nihil à Deo vllius intercessione impetrari possit, nisi id tu digneris credere. Nihil certè à Deo impetraretur; quia, nisi planè fallor, vel nihil omnino credis, vel credis, quantum fert corde voluntas. Vt sancti oratione sua apud Deum agris sanitatem obtineant, ad eò inusitatum non est, vt penitus peregrinum esse oporteat in antiquitate Ecclesiastica, qui id in dubium vocet, aut impium, qui neget. Recensui tibi ex S. Ambrosio alibi exemplum de Constantia Constantini Magni filia, ope B. Agnetis sanata. De illis, qui auxilio Protomartyris Srephani pristinas vires

S. Hier. in epitaph. S. Paulæ. Theodo. in histor. religiosa.

Libr. 1.

recu-

S. August.  
lib. 22. de  
ciuit. Dei,  
cap. 8.

recuperarunt; multos tibi suppeditabit sanctus Augustinus, & Euodius, qui miracula ad memoriam S. Stephani edita duobus voluminibus comprehendit. Sed ad alia.

Claudius Iaius acerbissimo dolore stomachi correptus, Deum rogauit, vt per merita feruij sui Ignatij ipsū molestia illa liberaret, & simul atque preces fudit, liberatus est. Ista Ribadeneira. Quid scholiastes, nō prater solitum furiosus? *O hypocrita, indigni merito Christi. Estne hac fides vestra, Deum orare per meritā hominum: Omnino per merita hominum, sed Sanctorum. Fides hęc nostra & est, & erit, Deo adiuuante; quia veterum & omnium Orthodoxorum fuit. Si Moyses homo Dei Deum ad misericordiā flectere volens, trium sanctissimorū Patriarcharum Abraham, Isaac & Iacob merita ei proponere conseruit. Recordare, inquit, seruatorum tuorum Abraham, Isaac & Iacob, ne aspicias duritiā populi huius & impietatem atque peccatum; Cur nos eundem per merita aliorum sanctitate præstantium hominum non obsecraremus? Fortē tuo itidem iudicio Moyses hypocrita fuit; & indignus merito Christi. Utinam, Misene, tam dignus esses; indignior certē eius es, etsi non dignior.*

Cū Nicolaus Bobadilla ardentissima febris æstuarēt, Ignatio iam mortuo se commendans statim morbo leuatus est. Videamus Miseni refutationē. Ergo parentatis, inquit, parētis vestro eiusmodi mendaciū? Hęc refutationē exposuisse est superasse. Quid enim virium, ut artis est in illa? Quasi verō nullus vnquam mortalium, inuocato alicuius Sancti auxilio, morbo aliisue periculis liberatus sit. Quid sanctulo viro sanctissimo

euenerit, cū nomen sancti Ioannis inlames, opemque implorasset, docebit te S. Gregorius, si discere velis.

Franciscus Borgia vim verborum Ignatij admiratus dicere solebat: Loquebatur tanquā potestatem habens. *O Idololatra, vociferatur Misenus, aude sine tu Ignatio tribuere, quod Scriptura soli Filio Dei tribuit? Is loqui dicitur tanquam potestatem habens, cuius sermo & prædicatio non in persuasibilibus humana sapientia verbis consistit, sed in ostensione spiritus & virtutis: Si hoc ita proprium Christi est, vt nulli alteri tribui queat sine idololatriæ scelere, quo iure id sibi tribuit Apostolus; qui & ipse vtique loquebatur tanquam potestatem habens; quia sermo eius non erat in sapientia hominum; sed in virtute Dei. Noueris ergo duplicis generis dona in Christo fuisse: quædam Christi omnino propria, in quorum cōmunionem nemo adsciscendus erat; quædam cum Christi seruis communicanda, ex quorum numero gratia & vis & efficacia dicendi. Priora nulli, excepto Christo, tribui possunt; posteriora possunt; quia communia, vel si mauius, communicata: & ita quidem tribui possunt; vt quis eadem quoque sacræ Scripturæ verba vsurpet, eo sensu, quem accommodatitium plerique vocant, cuius creberrimus apud sanctes Patres est vsus.*

Subdis: *Heus tu Petre, cum Italia tot doctis viris abundet, vt facile reliquas Europæ nationes ornamento illo superet, quæ sit, vt ne vnus quidem reperitus sit, qui vestrum Ordinem cōmendarit. Magna cōfidentia affirmas, quod te nescire nemo non*

S. Greg. li.  
3. Dial.  
cap. 37.

1. Cor. 2.

Exod. 32.  
Deut. 9.

videt,

videt, quisquis aliquid videt. Euoluistine omnia Italorum monumenta? Paulus III. Iulius III. Marcellus II. in quæ hoc capite furiosissimè incurris, Itali fuerunt; nonne Societatem cõmendarunt tot Pontificiis diplomatis & priuilegiis concessis? Sed hos tu inter viros doctos non numeras: quia Pontifices. Alios ergo videamus, Cardinalis Baronius, quoties in suis operibus commendat, cùm vniuersim totam Societatem, tum nominatim certos ex Societate homines? Sed huius testimonium fortè non admittis; quia Cardinalis est. At hoc iam non agitur, sed hoc, utrũ aliquis ex Italis, vir doctus, ordinè nostrum commendarit. Baronius certè non modò Italus & doctus est; sed & longè doctissimus. Ioannes Iosittus totam Ignatij vitam in sermonem Italicum transtulit. An hoc sine commendatione Onuphrius Panuinus Italus est, & vir doctus, nonne Societatem commendat in historia Pontificum? Petrus Matthæus Italus est, nisi fallor, & vir doctus, qui, quantis laudibus Societatem extollat, intelliges, si scholia eius legas in Pauli III. Bullam, qua Ordinem nostrum instituit. Quod si Gallus sit, eo grauius erit eius apud te testimonium. Thomas Bozius & Italus est, & vir doctus, qui in suo opere de signis Ecclesie, Societatis nostræ, non sine laude crebrò meminit. Quid multa? Plurima Ordinis nostri encomia à doctis Italis profecta proferre liceret, si mihi propositum esset elogia Societatis colligere, non mendacia Miseni refellere: qui nunc maledicentiam suam ad Xauerium transfert, qui venerabatur Ignatium quasi sanctum, aliisque dicere consueerat: Pater Ignatius magnus omnino sanctus est.

Graue

*Grave testimonium*, inquit Misenus, *hominis superstitiosi* καὶ κολακευτικῷ. Adulatio tantum à Xauerij animo abfuit, quantum Xauerius corpore aberat ab Ignatio, cùm Ignatio has laudes tribueret. Qua spe, oro, homo in Iaponia, hoc est, in alio orbe degens; adularetur Ignatio Romæ viuenti? Omnis adulator commodum aliquod advertisementibus suis querit & expetit: quod te nõ fugit; quippe qui Plantinos Artotrogos, & Peniculos, & Ergasilos intus & in cute noueris.

Idem Xauerius epistolas in genua procumbens præ reuerentia ad Ignatium scribebat. *Hoc legens*, inquit Misenus, *vel Crassus ἀγλασος appellatus, saltem dentes restringeret, si non planè arrideret. Credo, si non modò Crassus, sed & Caluianus esset. At si quis neque Crassus sit, neque Caluianus, is nec dentes restringet, nec planè arridebit: sed in Xauerio plurimas, pulcherrimasque virtutes admirabitur, humilitatem inprimis, qua tantus vir claruit; obseruantiam & pietatem singularem erga Ignatium vt patrem; & reuerentiam erga eundem, vt sanctum, vt alias ex hoc Xauerij facto elucescentes præteream. Porrò spiritum Dionysij, quod hic egeris & ingeris; quodque ab adulatoribus eius facie acceptum scribis, tibi tanquam Plautino alicui Saturioni aut Gelasimo relinquimus excipiendum, aut si mauis, lingendum: Volumus enim tibi id esse adiaphorum.*

*Audi*, inquit Misenus, *quid sequatur. Audiamus ergo, quãdo tam sollicitè ad audiendũ nos inuitas. Xauerius cõtra omnium tempestatum vim & periculorum incursus, nomine se atq; inter-*

Dd

cessio-



cessione Ignatij muniebat, appendebatq; collo, quasi scutum firmissimū Ignatij nomen manu ipsius Ignatij scriptum, & suæ professionis vota. Quid Misenus? *Vide, ait, superstitionem extremam, Et; Pontificij multas anas vt magas comburunt, dignior vel tribus rogis hic Franciscus.* Quid tu hic rogo dignum blasphemias? An quia precibus & intercessione Ignatij adhuc viuentis sese ex cunctis periculis saluum & incolumē euasurum sperabat? At, vide Misene, ne Apostolum ipsum rogo adiudices; qui sperabat se per orationes & intercessiones fidelium ex carcere, in quo Romæ detinebatur, liberatum iri. *Spero, inquit, per orationes vestras me donari vobis.* Idem sperabat se infidias Iudæorum euitaturum per preces Sanctorum: qua de caussa grauisissimis verbis eas ab illis efflagitat. *Obsecro vos fratres, inquit, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem S. Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa.*

An Xauerium rogo dignum vociferaris, quia Ignatij nomen ex collo suspendit? Quid criminis in hoc facto? *Magi, inquires, ligaturas, & nescio qua amuleta ex collo suspendere solent.* At magi malè id faciunt, tum quia malo fine; tum quia malo modo, etiam si bona alioqui sint, quæ ex collo suspensa ferunt; Xauerius autem ex collo ferebat non Apollonij Tyanei nomen, sed Ignatij, nec eo fine; vt lumen de celo ad canum deuocaret: Sed vt Ignatij meritum à Deo ex maris terrarumque discrimi-

nibus

nibus, quæ plurima ei subeunda erat, eriperetur. Nec illicitum est ad eum finem Sancti alicuius nomen circumferre, sicut illicitum non est ad eum finem precibus vel viuentiū adhuc, vel iam cum Domino regnantium vti, vel reliquiis cœlitum sese munire. Quod si omnes illos inter veneficos numeres, qui ex collo ferūt vel Iesu nomen, vel alicuius Sancti, vel reliquias, vel crucifixi imaginem, vel partem Euangeliorum, vel aliquid quid Christianis vsitatum, & communi fidelium vsu iam olim receptum, tum certè innumeri & sanctissimi viri magi erunt, tuoque iudicio in cineres vertèdi, Sed ego citius mihi persuasero, te impostorem ex contumeliis consutum esse, quàm sanctos illos homines veneficos. At satis de hoc argumento; quod alibi fufius à

Lib. 2. de  
cruce, c. 16.  
& in Para-  
lip. ad illud  
cap.

Fortassis tu quiduis aliud, vt ex collo feratur, patieris, dummodo non sit nomen Ignatij. Verum si sincerus vir & candidus esses; debebas saltem Xauerio & Ignatio tantū concedere; quàm vestri ordinis homines cōcedunt suis. Quis reprehendit illos, vt veneficos vel veneficas, qui ante paucos annos Augustani cuiusdam tumultuosi Prædicantis imaginem ceruicibus apertā circumferebāt? Quis apud vos nō interpretaretur potius pietatē & obseruantiam, quàm veneficiū; si quis Caluini, aut Bezæ, aut alterius ex Iarario Bezæ Herois nomina aut imagines Calvinianæ deuotionis ergo circumgestaret? quod & sepius factū; nam Caluinus Geneuæ cū Christi Sanctorumque imagines omnibus ex locis sustulisset, suam postea permisit è plurimorum collis suspensam

Ad Philé-  
mon.

Rom. 15.

Vit. Calui: publicè gestari, multisque eum tantæ absurditatis admonentibus, qui putarant ipso insciente à simplici populo Caluini nimio amore inconsideratius flagrante, hoc factitatum: stomacho. se respondit: *Si quis hoc spectaculo offendatur ne deinceps aspiciat, oculos sibi eruat, vel abeat citò, & suspendat se.*

A domesticis testimoniis venit Ribedeneira ad externorum de Ignatio elogia. Primum locum tenet Marcellus II. summus Pontifex, qui Ignatium maximi semper fecit. Hic Misenus, ut testimonij huius pòdus minuat, refert, quifnam Marcellus ille fuerit, cūq; non posset illi vllū crimen obiicere, attulit nescio quæ leuissima, quæ potius ad cōmendationē, quā ad vituperationē Marcelli pertinent; si tamen vera sunt, & non ut cetera fermè omnia, quæ isti de Pontificibus scribunt, ex calumniādi impotenti libidine cōficta. *Primum est, quod Cardinalis cū esset, scriptū ediderit, quo dixerit, expeditionem in Lutheranos potius adornari debere, hosque multo deteriores esse omnibus Turcū.* Primum, ignoscere debes Italo, qui vestram sanctitatem minus perspectam habet, si talem de vobis opinionem concepit, qualem nō modò multi Prædicantes de Papistis & habent & in vulgus sparserunt, sed in primis generis vestri dux & auctor Lutherus. Deinde, nō mirum, Marcellum eo fortassis tempore hæc dixisse aut scripsisse, quo Lutherani vi ferroque armati Carolo V. Imperatori formidabili exercitu imminēbāt, Religionemq; funditus ex Germania extirpare cogitabant, quod sanè Turcæ nunquam facerent, licet Germaniam occuparent; quia

Catholi.

Catholicos longè plus amant, quàm vllos aut Lutheranos aut Calvinianos, quorum fraudes, periuria & impietatem in Deum, ipsi quantūvis licet barbari, vehementer detestantur.

Alterum est, quod Marcellus legatus Pontificis ad Concilium Tridentinum, Iacobum Nachiantem (Naclantum, opinor, scribere volebas) Clodiæ Fossæ Episcopum, *ex Concilio Tridentino expulerit; quod dixisset, se non posse probare decretū, in quo scriptum erat, Traditiones pari pietatis affectu suscipi atque asseruari debere; quo scriptum Euangelium.* Meritò expulit, si expulit; & si hoc, quod tu ex Hæreticis auctoribus commemoras; non natum est, ut alia pleraque, in eorundem malè sanò cerebro. Quis enim ille vnicus; qui se integro Concilio; hoc est, tot doctissimorum & sanctissimorum Patrum definitioni opponeret?

Tertium crimen est, quod Dominicum Gulielmum abire iusserit ex Concilio *ea de causa, quod Concilium Constantiense supra Papam fuisse pro concione dixisset, idemque priuatim etiam defendere contenderet.* Neque huic iniuriam fecit, si eum amandauit. Quid enim opus erat illis ad populum phaleris, eo præsertim tempore?

Quartum & quidem grauissimum crimen est, quod locū in Concilio nō concefferit Paulo Vergerio Episcopo Iustinopolitano, ideo, quod negasset *legendas* sanctorum Georgij & Christophori esse veras. Non hæc sola Marcello Vergerij exterminandi causa fuit, si fuit: Iam tū præstantissimus Cardinalis animaduertebat, quorsum Vergerij conatus spectarent; & quid veneni sub pectore cōclusum parturiret, quod

postea impius & ambitiosus apostata peperit. Nō agebatur de *legendis* illis, mi homo, sed de sacra Scriptura; de traditionibus, deq; aliis fidei nostrę questionibus & capitibus, in quibus iam tū Vergerius non exiguū eius, quod paulō pōst in apertū protulit, monstri, argumenta dedit: ob hęc ab aditu Cōcilij credendū est exclusum fuisse Vergeriū; non ob illas historicas de vita Sanctorum controuersas; si tamen exclusus fuit, tam enim fides tua & auctorū, qui hęc talia referre solent, lubrica & incerta est; vt meritō de omnibus quę scribunt, dubitare; plurima tanquam falsa negare, paucissima, vt vera credere possimus.

Iure autē querat quis, quid tibi uolueris harum rerum cōmemoratione de Marcello Ceruino, postea Pontifice Maximo? An mirandum nō est, si Ignatium suspexit, eumq; ex omnib. hominibus maximi fecit? Atqui non video, quomodo hoc illis tuis seu mendaciis, seu historiolis conficias? Quid enim in illis criminis, quid impietatis; quid optimo & doctissimo viro; qualis Marcellus, nō consentaneū, quid probatissimis moribus alienū? *Similis*, inquis, *simili gaudet*. Omnino, Marcellus optimus, Ignatio optimo; Christianę religionis propagandę ardore flagrans, Ignatio, qui pari pietatis studio incensus erat: Religiosissimus, religiosissimo. nec plura de Marcello, quem si fata terris Pontificem dedissent, non tantū ostendissent, fortē tam longē lateq; Hæresis vestra nunquam serpsisset.

Sequitur amplissimum de Ignatio Ludouici Gonzali testimonium ad Ioannem III. Lusitanę Regem perscriptum, quod legat, qui uolet, apud Ribadeneiram. *Ad hunc modum*, inquit Mi-

senus

senus, *Hispani Hispanos commendant*. Verius diceres: Lusitani Hispanos. Sed quid tum? An ideo commendatio falsa? An non Germani, Germanos; Gręci, Gręcos, Itali, Italos commendant. Si iudicio tuo nulla commendatio vera est, nisi quā diuersa nationis homo alteri tribuit, plurima profectō tam Latinorum, quā Gręcorum encomia expungēda & obliteranda erunt: quippe à Latinis data Latinis, & à Gręcis, Gręcis. Multi ex Gallis Caluinum & Bezam laudant. Num ea laus tibi displicet?

Nec Archiepiscopi Toletani, nec Proregis Sicilię præconia in Ignatium collata ferre, potes; quia vterq; Hispanus fuit. Quid tandem tecum incipiemus Misene? Quis Ignatij laudes decantare debet, qui tibi stomachum non moueat? Visne Germanum, vis Polonum, vis Indum; Gallum, vel alterius nationis ciuem? At quisquis ille sit, nunquam æquis auribus Ignatij laudem accipies. Ausim dicere, nec Caluinistam laudatorem Ignatij ferres. Inuidia tumes & liues.

Prædictis adiungit Ribadeneira Ioann. Auilę excellenti virtute, prudentia & doctrina virum, qui præter cetera, se *pusillum*; Ignatium *Gigantem* nominare solebat, ob animi viriumq; in reb. arduis perficiendis magnitudinē. Misenus hic Gigantis vocabulū cupidē arripit: quicq; olim Gigantes fuerint, & quā scelerati, & in Deos impij, verbosē describit; quasi, si lectio veterum nos non docuisset veterum naturam Gigantum; id non doceret nos hodie experientia, quę tot Caluinianos & Lutheranos Gigantes nostris oculis in singulos dies obiicit. Cum vocabulū aliquod

per Metaphoram alicui tribuitur, Misene, nec possumus, nec debemus totū illud, quod significat, ad rem, cui per translationē tribuitur, transferre; sed tantū id, cuius respectu & cōsideratione Metaphora illa instituta est; alioquin si oēs Gigantum proprietates, vel etiam vitia referre vis ad Ignatium, eō quod ab Auila *Gigas* sit nominatus; poteris etiam easdē proprietates & vitia eadem transferri ad Christum, qui & ipse *Gigas* appellat<sup>9</sup> est, nō ab Auila, sed à Spiritu sancto, ore Dauidis his verbis: *Exultauit vt Gigas ad curam vendam viam;* vt proinde ex hoc etiam loco scholium per metaphoram ad Dauidicum illum Psalmum transferre queas: vt tua opera & industria tandem accuratius intelligamus, qua de causa Gigantis nomen Seruatori nostro Propheta dedit.

In capite decimo octauo docet nos Ribadeneira; qua Ignatius corporis statura, & qua constitutione fuerit, more scriptorum tam profanorum, quàm Ecclesiasticorum: qui plerunque adiungere solent, qualis ille fuerit, quod ad externam quoq; corporis constitutionem attinet; cuius res gestas litteris consignatas ad posteritatem transmittere ingressi sunt. In hoc capite nihil magis Miseno placet, quàm quod Ribadeneira ait, Ignatium ex altero crure claudicasse, sed honestè. Omnino honestè, ô Calvinista, tum quia parum; tum quia ex honesta causa. Ex vulnere enim, dum Regi suo fidelem operam nauaret, accepto, cū adhuc militaret. Fortasse non omnes Calviniani Ministri, qui claudicant, tam honestè claudicant.

Quod


Quod autem ieiuniorum penitentiaꝝ magnitudine corpus afflixit; in eo, inquis, Apostolico precepto non paruit *Sanctus ille vir: Tabet enim illud honorem habere corpori: Si honorare corpus est corpus saginare; fateor Calvinianos Physcones debitum honorem non denegare corpori, cuius honos totus in eo positus est; vestro iudicio; vt pinguis aqualiculus propenso sesquipede exster. Si ieiuniis & penitentiaꝝ operibus nefas est corpus atterere, viresq; extenuare; quippe monito Apostolico aduersum, cur ipse Apostolus corpus suum castigauit, & in seruitutem redegit; cur tories monet, vt exhibeamus nosmet ipsos sicut ministros Dei, in vigiliis, ieiuniis, & plagis, aliisque id genus molestiis? Periculum est, Misene, dum corpora vestra nimis honorare contenditis, ne & corpora ipsa, & præterea Deum inhonoretis, vel dehonestetis; Veniet, veniet tempus; cum corpus se minus à vobis honoratum fuisse exoptabit, sed frustra: Quasi verò corporis honos sit sagina; & vt Tertullianus vocat, *multiuorantia; saginentur pugiles & Pyctæ Olympici; illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessaria. Sed nostra alia robora, aliaq; vires; quibus non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi potestates, aduersus spiritualia malitia; aduersus hac non carne & sanguine, sed fide & spiritu robusto oportet assistere, &c.**

Tertull. de  
ieiuniis.

FINIS LIBRI QUARTI.

Dd 5

APO-



# APOLOGIAE

## PRO VITA IGNATII

LOIOLÆ

LIBER QUINTVS,

CAPVT PRIMVM.

*Diluuntur cauillationes Miseni in caput  
primum libri quinti.*

Apolo. ad  
Constantium.



VM S. Athanasius ab aduersariis suis Arianis infinitis propemodum calumniis exagitatus esset; hæc tandem verba protulit: *Miror eos calumniu non delassari: Sed quia defatigari non possunt, æquum est, vt nec ego defatiger, quanto enim plures mei exstiterint purgationes, tanto tetriores illi apparebunt. Quod sanctissimo huic Antistiti olim vsu venit, idem & ego nunc experior: Vehementer enim miror, Misenum, tot tantisque mendaciis & criminationibus huc vsq; in Ignatium nostrum effusus, necdum lassatum esse: Sed quia ad conuicia senaper recens & integer accedit: par est, vt nos similem alacritatem ad apologiam Ignatij afferamus, vt quo plures vitæ*

cius

eius defensionem exstiterint, eo magis elucescat, quam egregius calumniator sit iste Calvinianus Misenus.

Quamquam quis vel mediocriter bonus est, qui crassissimis Miseni imposturis & Sycophantiis fidem adhibeat? Verè enim & præclare S. Athanasius scribit, calumnias non inuenire *auditores & approbatores, nisi improbos & sceleratos; Insidia Doeg, inquit, contra sacerdotes plurimum valere, sed auditor ibi Saul iniustus fuit. Iesabelis quoque calumnie noxam religiosissimo Nabutha intulerunt: Verum & ibi Achab ille malus & prauaricator aurem præbuit. Contra, sanctissimus ille David istiusmodi homines ad se nequaquam admittit: sed vt rabiosos canes aduersatur, ita dicens: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequer: Si clanculū detrahentē hostis loco habebat, quo loco habuisse censendus est illum; qui publicè id fecit; multoq; adhuc magis detestatus fuisset illū, qui ne parum accuratus in calumniando videretur, calumnias suas litteris mandasset.*

Sed nunc Misenum audiamus. *Quintus liber conscriptus est de virrutibus Ignatij, quarum alie à Christianis omnibus requiruntur, non tantum à Iesuitis, alie & quidem illustrius etiam, in iis enituer, qui Christiani nunquam fuerunt; quam vnquam in Ignatio; vt non videam quam ob causam puerriliter hæc concinnata sint. Aliud est Misene, pertinere, aliud habere: Omnes virtutes Christianæ ad quemuis Christianum pertinent. Sed num quiuis, qui Christiano nomine censetur; omnes virtutes Christianas habet?*

Omnes

Omnes virtutes ad te pertinent: Sed num vel vnam habeas, admodum certè, ne quid te cœcem, dubito. Habere, laudis est: pertinere, necessitatis. Ergo Ignatium commendat Auctor noster, non quod variaz virtutes ad eum pertinerint; sed quod variis virtutibus exornatus fuerit, & quidem excellenter. Laude & præconio dignum est, studio & labore indefesso adquirere, quod ad quemlibet pertinet; & hoc in quouis prædicari potest: hoc ipso, quod multi sunt, qui ea quæ ad se pertinent, negligunt: eiq; comparando, nihil curæ impendunt, ex quorū numero minimè Ignatius.

*Quod autem ais, quasdam virtutes clarius enituisse in Ethnicis; quam in Ignatio, vellem nominasses illas virtutes, quarum splendor ex infidelium cordibus emicans, aded tuos oculos præstinguit. Fortè intelligis ardens illud orandi, meditandi, resq; cœlestes contemplan di studium. Fortè mortificationem & sui abnegationem; fortè charitatem Dei & proximi. Forte Christianam illam humilitatem & obedientiam religiosam. Aut si has, quæ cæterarum fundamenta sunt; non intelligis; explica, oro, quasnam intelligas. Nam Christianas virtutes illustrius enituisse in animo Ethnicis; quàm in pectore Ignatij Christiani, id verò admirabilius est, quàm vt extra paradoxa Stoica collocetur; cum Christiana virtus censenda non sit; nisi quam gratia Christi format & expolit: imò D.*

S. Aug. lib. Augustinus; ne veras quidem virtutes nominat, quæ diuinæ charitatis sunt expertes; *Si ad consequendum veram beatitudinem,* inquit, quam-

*nobis immortalē fides, quæ in Christo est, vera promittit, nihil profunt homini virtutes, nullo modo vera possunt esse virtutes.*

Accedit, quod hic non quæritur, in quonam illustrius quædam virtutes enituerint; num in Ignatio, an in Ethnicis; nulla enim inter Ignatium, & à fide Christiana alienos contentio instituitur; sed simpliciter exponitur: quarumnam virtutum fulgor in Ignatio replenduerit, quem tu non imminuis, cum in aliis itidem, & quidem ampliorem repertum tradis: splendorem Lunæ non imminuit ille, qui eundem, & quidem multo nitidiorem, in sole inueniri ait. Sed vt in pauca rem conferam; teque diu suspensum non teneam, noueris Misene, minimam quamq; virtutem in Ignatio, vt & in quocunque alio Christiano, gratia Dei prædito, maiorem esse & illustriorem, quam maximam in quouis Ethnico; hoc ipso, quod in illo cum gratiæ & diuinæ amicitiz, vt ita dicam, sole coniuncta est; in hoc autem ornamento illo caret.

At quod non vides, quam ob causam hæc pueriliter concinnata sint, id non mirum, quia pueriliter concinnata non sunt, idcirco neque pueriliter concinnata vides. Quod non est, non videtur; aut si videtur, falso videtur; & non fine mentis aut oculorum hallucinatione: Nulla omnino causa est, ob quam pueriliter concinnata videri possint. Tandem hic nihil vident, aliquid vidisti.

*De virtutibus, inquis, Ethicis, multo pulchrius Plato, Aristoteles, Plutarchus; quam omnes Iesuitæ*

*in vnam massam conflatæ vel scripserint, vel scripturi sint.* Non agitur hic Misene, quis pulchrius aliis de virtute scripserit; sed quis pulchrius aliis ex virtutis præscripto vixerit. Scripserint Auctores à te nominati de virtutibus moralibus doctissimè & scitissime: quid tum? At nullus Christianus est, si non solo nomine, sed & re Christianus sit, cœlestisq; gratiæ opes possideat, qui secundum virtutem non pulchrius viuat, quam sapientissimi illi viri; maiores dicendi & scribendi, quam rectè viuendi & agendi magistri.

*In primo capite, inquis, agitur de orationis gratia & familiaritate Ignarij cum Deo. Rectè dicis, perge, sed sine mendaciis. Repetuntur, inquis, prope modum iisdem verbis, quæ ineptissimè in superioribus inculcata fuere de copia consolationis diuinæ: de lacrymarum vi; quæ duo mutuo se tollunt. Præfagibat animus, fore, vt statim ad ingenium redires; Quam verè enim quis affirmet te repetere eadem mendacia & conuicia, impudentissimè in superioribus inculcata; tam mendaciter scribis, Ribadeneiram, iisdem verbis repetere, quæ iam alibi tractarit. De lacrymis & lætitiis, quomodo simul confitere queant, consule, quæ suo loco dicta: vbi demonstratur, alias lacrymas esse gaudij, alias mœroris. Hic tantum ex te quæro, vtrum illæ lacrymæ à dolore, an à lætitiis expressæ fuerint, cum Ioseph fratrem suum Benjamin amplexus fleuit, illo quoque similiter flente super collum eius, cumque osculatus est omnes fratres suos, & plorauit super singulos. Item quando Raguel*

Lib. 2. c. 3.

Gen. 45.

Tob. 7.

*cum lacrymis osculatus est Tobiam, plorans super collum eius, cumque Anna vxor eius & Sara ipsorum filia, lacrymata sunt ob insperatum Tobiz aduentum.*

*Non omnes habent gratiam illam lacrymarum, inquit S. Athanasius, Sed illi duntaxat, qui mentem sursum attollunt, qui terrestrium obliuiscuntur, qui carnis curam non gerunt, qui ignorant prorsus an sit mundus, qui mortificauerunt membra ea, quæ sunt in terra, istis, inquam, solis data est gratia lacrymarum. Cor enim purum habentes, & perspicaces mentis oculos, ij cum adhuc in terra sint, pœnas tamen inferorum cernunt, & æterna tormenta, & tenebras extremas, ploratum & stridorem dentium: iidem quoque cœlestia dona vident, quæ donauit Deus sanctis suis & glorias & coronas, & stolas candidas, & cellas lucidas, & delicias inenarrabiles, & vitam æternam. Sed quod est quod amplius dicam? nisi illud, quod est præ omnibus admirabile, eum scilicet, qui puram habet mentem, Deum interioribus oculis contemplari. Quomodo igitur non poterit non plorare & lugere, qui ista videt? Plorat enim & lamentatur, vt vindicetur à diris pœnis, atque iterum plorat & deprecatur, vt dignus fiat illorum cœlestium bonorum muneribus. Hæc S. Athanasius. Ex quibus etiam intelligere potes, cur tu & alij Calvinistæ dono lacrymarum careatis, quia, vt verbo Augustiniano vtar, mundicordes non estis.*

S. Athan.  
li. de Virg.

Aie

Ait Auctor, Ignatium ob copiam lacrymarum intermittere debuisse diuinum officium: idque socios à Summo Pontifice impetrasse: *Hic quari possit*, ait Misenus, *cui stultitia potiores partes tribuenda sint: Ignatione, qui continuo fleuit; an verò iis, qui pro ipso intercesserint; an Pontifici, qui pro ipso intercessionem probavit.* Me, & quouis alio sani iudicij iudice, nec potiores, nec non potiores stultitiæ partes Ignatio aut sociis aut Pontifici tribues; sed ipse tibi & primas & secundas & tertias stultitiæ reseruabis, aut si necdum habes, certè tanquam proprias vendicabis, meque vllum in communionem tam præclari thesauri admittes. nec dubito, quin dubites etiam cum epistolam S. Hieronymi de obitu S. Paulæ ad Eustochium legis, cuius potiores stultitiæ partes tribuendæ sint; Paulæne; quæ perpetuo fleuit; an S. Hieronymo & aliis eiusdem Sanctæ familiæ incolis; qui, ne ob tam vberes lacrymarum fontes oculis aliquid detrimenti afferret; monebant, vt à profusione tot lacrymarum desisteret.

Cum præter morè Iacobus Laines ab Ignatio iustus esset, domesticis omnibus vnum in locū coactis, regulas quasdam promulgare, eiusmodi quiddam euenisse scribit Ribadeneira. Dum concio sit à Iacobo, ingens exauditur fragor, domus tota concutitur, tectum sub quo, ea ipsa hora, confidere in horto primarij patres à cœna consueuerant (erat enim Augustus mensis & calores maximi) repente concidit: quos sine dubio ruina oppressisset, nisi præter morem, consuetudinemy in concione illos adesse Ignati-

tium

rius voluisset. Qui tectum collapsum videns, Deo, quod omnes domesticos seruasset, gratias egit, mihi que, videtur, inquit, Deus hoc factò significare voluisse, istiusmodi regulas sibi esse non ingratas. Hic Misenus: *At ego puto hoc indicatum, futurum, vt regula illa non diu durarent: Sed intra breue spatium cõciderent, præsertim in Gallis.* Malus es Tiresias; quippe non oculis, vt ille; sed mente captus, sæpius iam insigne specimen dedisti, quàm præclarus sis porrentorum interpres. videlicet; quidquid tibi gratum acceptumque esset; si eueniret, id euenturum auguraris; sed quo minus tibi fidem habeamus; impedit experientia quotidiana, quæ non tuam interpretationem; sed Ignatij sententiam confirmat. Nec est, quod de Gallia triumphes; nescis quid ferus vesper adferat. Tota ista persecutio diligenti-  
*gentibus Deū cooperabitur in bonum; tuæque invidiæ largam aliquando materiam subministrabit, in qua sese exerceat & torqueat & torquendo absumat, vt taceam, ab eo tempore, quo tempestas illa in nos coorta est, societatem, aliis terrarum in oris, magna accessione & hominum & domiciliorum amplificatam esse, vt iacturam illam Gallicanam; si solam amissionem collegiorum spectemus, à diuina bonitate satis compensatâ arbitrari possemus; tantum abest, vt ex illo casu ruinam regularum ab Ignatio præscriptarum ominari cum ratione queas; nam sine ratione quiduis te posse animaduerto.*

Porrò in constitutionibus scribendis Deum consulebat Ignatius. Addis, *exemplo Davidis sci-*

Ee licet:



licet: imo sine tuo ironico scilicet, exemplo & huius sanctissimi Regis, & Moyſis, & aliorum omnium; quibus arduam rem aggressuris perpetuo in more fuit, felices successus inceptis à Deo precari. *Modus*, inquis, *additur. Exuebat inprimis se omni affectu. Quis potuit, cum homo esset?* Calumniaris, Misene, non præter tuam, sed præter mentem auctoris nostri; qui cum ait Ignatium exuisse se omni affectu; non id intelligit Stoicorum more; quasi eas actiones; quas vulgò *passiones* nominamus, funditus extirparit, qui enim potuit, cum homo esset? Sed ita ait Ignatium in scribendis regulis & constitutionibus omnem affectum exuisse, quo pacto Iudex in diiudicandis testimoniis & probationibus, & in sententiâ ferenda omnem affectum seponere dicitur; ita, ut nihil tribuat amoris, gratiæ & amicitia, nihil odio & inimicitia, nihil priuata sua propensione, ni & inclinationi: Sed totum pondus & momentum voluntatis suæ vertat, & inclinet ad pondus iuris bonique publici, eoque vergat & sequatur. Num & hic quæres; qui potest Iudex, cum homo sit? Atqui posse debet; si legitimus & sincerus iudex esse velit.

Iudicem ergo imitabatur Ignatius, cum leges, quibus societatem astringeret, meditaretur; ita ut non id præscriberet; quo forsân à priuato affectu ducebatur, vel duci potuisset, sed id, quod re Domino commédato, absolute videbatur esse ad diuinam gloriam propagandam, proximoque salutem procurandâ conducibilis; licet forsân ad priuatum Ignatij gustum minus faceret. Refert alicubi Ribadeneira Ignatiû Musica admodum oblectari solitum, sæpeque testatum, se, si sui

si sui duntaxat affectus rationem habere voluisset, chorum seu cantum certis horis persoluedum; in societate instituturum fuisse; quem tamen Constitutionibus suis à societate exclusit, exuto illo, quo ipse in Musicam ferebatur, affectu. At quod ais; *alios itidem posse moderari affectus; & petere auxilium Domini, & gratiam vera videndi*; id non negamus; quin si vel tu id facias; vel alius quicumque; valdè laudabimus; ne quisquam nobis vitio vertet, si moderationem perturbationum, & cupiditatum & implorationem diuinæ opis in te commendemus: ac proinde neque Ribadeneiræ crimini dare debebas; si studium hoc in Ignatio debitis laudibus extulit; sed tu hæc & similia scribens; reliquos homines præ te putas esse *bardos & stipites* (agnosceis, opinor, tua verba) qui nihil cogitent, nihil considerent; oculisque ad tuas calumnias peruidendas careant.

Subiungis: *Vltimo loco quod additur, huius modum velim disertius explicatum: Quæ cogitasset atque inuenisset in conspectu Dei ponebat; ut ipse confirmaret, quæ in ipso operatus esset. Nam modus ponendi, & confirmandi, quis fuerit, non exprimitur, quod fieri debebat, ne Lector suspensus dimitteretur.* Facile diuinare poteris pro tua sagacitate, quis fuerit modus ponendi in conspectu Dei ea, quæ cogitasset & inuenisset; Nimirum ea expendebat, antalia essent, quæ Deo probanda viderentur. Item per preces Domino offerebat, & quasi sistebat Ignatius, si quid regularum scripto comprehendisset, orabatque Deum, ut pro sua bonitate confirmare dignaretur id, quod,

ut scriberet, inspirasset, nec aliter petiit à Deo confirmari, quàm visu & experientia. Et in irritum Ignatij vota nõ cecidisse; nos melius, quàm Misenus nouimus; quibus compertum, editas ab Ignatio constitutiones annis non esse labefactatas, sed magis atque magis corroboratas.

*Insequentibus, inquis, ardua questio enucleatur, an omnia somnia Monachorum, que in legendu, vel legendis exponuntur, per reuelationem obiecta, an quaedam suo sensu iudicioq; statuerint? Quæstionem hanc nusquam inuenio apud Ribadeneiram. Ita que nescio, vnde ea tibi in mentem venerit; forsan ex somnio. Verba Ribadeneiræ hæc sunt. Patrem Iacobum Lainem, qui omnium Sanctorum vitas, ortus omnium ordinum, progressionesq; legerat, sciscitatus est aliquando Ignatius, quod eius esset de regulis illorum Patrum constitutionibusq; iudicium, qui ductores ipsarum religionum atq; parentes extiterunt: num scilicet, quæ litteris mandassent, posterisq; suis tradidissent, ea omnia per reuelationem accepissent: an ex his suo sensu quædam iudicioq; statuissent, Cui Iacobus, propius fidei esse respondit, grauissimam quæque & maxima instituti cuiusq; quasi fundamenta à Deo, qui omnium religionum fons est, patribus illis tradita fuisse diuinitus: reliqua, quæ minora sunt, & naturam ipsam religionis propriè non attingunt, Deum prudentiæ eorum, qui leges condiderunt, iudicioque reliquisse. Hæc auctor noster. Tu omnes monasticas constitutiones vocas phantasias; imaginationes, & superstitiones, eiusdemque ponderis esse dicis tam maiores, quàm minores. Semel atque*

atque iterum in his tuis Scholiis nominasti S. Basilium virum sanctissimum & eruditissimum: At iste vir sanctissimus & eruditissimus constitutiones monasticas, & regulas breuius & fufius explicatas conscripsit; & Monachis discipulis & sectatoribus suis præscripsit. Num & has phantasias & superstitionibus habes? Num fieri potest, vt vir sanctissimus & eruditissimus phantasias & superstitiones aliis imitandas proponat? Certè superstitionem à tali viro, vtpote sanctissimo, excludit summa sanctitas, & phantasias seu nugas, ab eodem, vt ab eruditissimo, excludit summa eruditio. Forte dicēs: te constitutiones Monasticas à S. Basilio traditas non numerare in nugis & superstitionibus. Primum, nullam video in Scholiis tuis exceptionem, quæ pronunciaſti, vniuersim pronunciaſti. Secundo, si excipis S. Basilium, oportet, vt & alios Ordinum fundatores ab hac culpa liberes. Nam in Regulis & Constitutionibus S. Basilij quæ multa continentur, quæ vobis hæreticis displiceant, ac in regulis & constitutionibus Ignatij, aut aliorum qui Ordines fundarunt.

At quod ait Auctor, Deum Religionum omnium fontem esse, id consideratione magna egerere dicis. Ordines enim nostros non esse à Deo, sed à Diabolo. Rurſus reuoco te ad sanctissimum & eruditissimum Basilium; & quæro num ordo ab illo institutus (qui hodie frequens in Græcia, & in aliquot Italiæ & Sicilia locis) sit à Diabolo? Estne sanctissimus, & eruditissimus vir Diabolus? aut si quid agat, agitne illud im-

S. Aug. lib.  
3. contra  
Petilian.  
cap. 40.

S. Greg. li.  
2. Dialog.

S. Athan.  
Apolog.  
ad Constantium,

S. Aug. lib.  
1. de mori-  
bus Cath.  
Eccles.

pulsu & instinctu Diaboli? Estne à Diabolo or-  
do S. Augustini; quem vt Possidonius in eius  
vita refert, ipse Augustinus instituit, imò hoc  
nomine calumniis à Petiliano Donatista impe-  
tutus est. Deinde perrexit ore maledico, inquit S.  
Augustinus de Petiliano, in vituperationem Mo-  
nasteriorum & Monachorum, arguens etiam me,  
quod hoc genus vite à me fuerit institutum. Ordo S.  
Benedicti, tuo iudicio, à diabolo est; sed non iu-  
dicio S. Gregorij, qui Benedictum, vt virum di-  
uinum, eiusque Ordinem, vt diuinum opus im-  
mortalibus scriptis celebravit. Quanto, Mife-  
ne, credibilius est, hæc tua tam blasphemata men-  
dacia à Diabolo proficisci, cum, vt verè ait S. A-  
thanasius, mendacia patrem Diabolus habeant; ii-  
que, qui mentiuntur, alieni sint ab eo, qui dicit: Ego  
sum veritas. Si religiosi Ordines à Cacodæmone  
ortum ducerent, vtique capitalis ille hostis opus  
suum & figmentum diligeret; neque tot ma-  
chinis perpetuò expugnatum irer. Nulla res à  
Diabolo inuenta & excogitata potest esse nota  
& symbolum Ecclesiæ Catholicæ; at Ordines  
Monachorum & monasteria tam virorum quàm  
mulierum; & alios religiosos numerat S. Augu-  
stinus in notis veræ & orthodoxæ Ecclesiæ, in eo  
libro, in quo mores Catholicæ Ecclesiæ descri-  
bit. Nullo igitur modo possunt esse à Diabolo;  
nisi & Ecclesiam Catholicam à Diabolo esse af-  
firmare velis; quod de vestra Synagoga verissi-  
mè afferitur, quæ hac nota caret, & Monachos &  
monasteria iam dudum exterminauit, vt & o-  
lim Manichæi.

Reuelationes & illustrationes, quas ingeminant,  
inquis, Iesuita mendaciter, sibi referuent. Atqui  
eas nobis referuare parati sumus. Quid turbas  
volentes & lubentes? Si constaret, inquis, Igna-  
tium fuisse vel Prophetam vel Apostolum imme-  
diatè à DEO vocatum, reuelationes illas & vi-  
siones admitteremus. Ergo tu nullas visiones &  
reuelationes admittis, nisi quæ sunt sacris litte-  
ris comprehensæ. Falsæ sunt ergo omnes illæ  
reuelationes, quas sanctis hominibus diuinitus  
oblatae esse grauisissimi & antiquissimi patres te-  
stantur, vt D. Gregorius Nyssenus, S. Augusti-  
nus, S. Ambrosius, S. Gregorius Magnus, S. Hie-  
ronymus, Theodoretus, Sulpitius, S. Paulinus,  
alii innumeri, de quibus illustrationibus & ap-  
paritionibus iam primo libro copiosè contra  
tuam imperitiam an impietatem differuimus.

Hic vnicam tantum ex S. Cypriano, Martyrij S. Cypr. li.  
& doctrinæ laude in Ecclesia Christi semper spe- de morta-  
ctatissimo, adducam, simulque frontem Calui- lit.  
nificam intuebor, vtrum aded omnem ve-  
recundiam absterferit, vt neget factum esse,  
quod tantus vir ante tot annorum centurias  
factum scribit; quodque teste Possidonio fan- Possid. in  
ctus Augustinus crebro ex sancti Cypriani li- vita S. Au-  
bris commemorare solebat. Quidam de colle- gustini.  
gis & consacerdotibus nostris, inquit S. Cyprianus,  
cum infirmitate defessus, & de appropinquante mor-  
te sollicitus comæatum sibi precaretur; astitit de-  
precanti, & iam penè morienti, iuuenis honore &  
maiestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu,

& quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit; *patri timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Hæc S. Cyprianus de visione, quæ nec Prophetæ, nec Apostolo obtigit, sed Episcopo cuidam. Num tu Cyprianum mendacij argues? Videamus os illud, quod ed impudentiæ procedet, vt Cyprianum vanitatis accuset? Num & hæc visio ad imitationem propheticarum visionum conficta est; vt tu hic de visionibus Ignatio ostensis nugas.

Quam porro scitè concludis, visiones Ignatij esse fictitias, ed quod omnibus ferè modis Ignatij aliquid reuelatum scribatur, quibus olim Prophetis res scientia humana sublimiores diuinitus innotuerunt, idque, vt ostendas, omnes modos percurris. *Primus, inquit, modus est, cum qui videt & intelligit, vt Hieremias ollam succensam, & faciem eius ab Aquilone; quo significari intellexit, conflagrationem vrbi Hierosolymitana futuram per exercitum Babylonij Regis.* Nulla alia ex tot visionibus sanctis viris olim ostensis tibi occurrit, nisi illa Hieremix per ollam; credo ea de causa, quia scripsisti hæc in Bacchanalibus; quo tempore mens tua maximè erat in olla. Sed si propterea in fabulis numeras visiones nonnullas Ignatij; quod ei per efformatas quoddam species sint obiectæ, necesse erit, vt eodem

dem loco habeas reuelationes alias à probatissimis auctoribus memoria commendatas, sanctissimisque hominibus diuinitus demonstratas, illas præsertim, quæ obtigerunt S. Antonio sanctitatis laude cum primis conspicuo, vt tu ipse fareris. Omittam alias; hanc, quæ præcipuè ad hunc locum pertinet; his verbis recenset S. Achanasius: *Lamentabilis sequitur visio, & omni lachrymarum fonte plangenda. Cum enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentè fixit oculos in celum, gemens atque suspirans, & post aliquantum spatium reuelationis inceptæ, nimio dolore contremuit, & statim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementia sua futurum scelus auerteret. Succedunt orationi lachryma, metus ingens inuadit præsentem, obsecrant, vt tanta calamitatis exponeret visionem. Singultus occupant vocem, lingua siletibus præpeditur; & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tamen cum vociferatione luctuosa ait: Melius erat, ô filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens, rursus lacrymis vincitur, & inter ægra suspiria tandem pectori commodans vocem; Magnum, inquit, quoddam, & vniuersis seculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mularum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audisti. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altare meum: nec mora, visionem sequitur effectus.*

S. Athan.  
in vita S.  
Antonij.

Nam post annos duos seuè Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapina, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis Ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum praesidia aduersus Christum comparata cum assumptione palmarum, quod idololatria apud Alexandriam insigne est: ad Ecclesiam pergere compellebantur Christiani, ut Arianorum populi crederentur. Proh scelus, horret animus replicare, quae gesta sunt. Virginum matronarumque ereptus pudor: sanguis ouium Christi in Christi templo effusus, veneranda respersit altaria: Baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit, visionis veritatem monstrauit effectus, quod calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arianorum, esset impietas. Sed istam tristitiam consequentis reuelationis prosperitate consolatus est, & ait: Nolite filiioli, morori vos penitus dare: ut enim iratus est Dominus, sic rursus miserebitur, & suum eisdem Ecclesia recuperabit ornatum, eosque, qui in persecutionibus fidem Domini seruauerint, solito videbitis fulgore relucentes. Reuertentur ad foueas suas serpentes: & religio longius propagabitur: tantum videte, ne fidei vestra sinceritas Ariana labe sordescat. Non Apostolorum, sed Daemonum, & patris eorum diaboli ista doctrina est, ob id per insipientiam iumentorum, similis pecudum eorum expressus est animus. Hucusque Antonius, cuius verba integra recitare libuit, quia non modò Arianos,

sed

sed & in Arianis Lutheranos & Calvinianos vidisse & descripsisse videtur.

Secundus modus est, inquis, vbi videtur nihil, & vox tantum instruens auditur. Si loquaris de sola voce externa, & quæ sub audiendi sensum cadat, sine specie aliqua vel aspectabili, vel intelligibili, nō memini me legere in vita Ignatij, exemplum alicuius veritatis hoc modo ei reuelata: Si autem loquaris de voce & inspiratione interna, non abruo, plurima Ignatium hac ratione cognouisse, sed num tu reuelationem seu voce externa seu interna peractam, ideo pro fictitia habes; quia olim Prophetis & Apostolis hoc modo arcana Deus pandit? Oportet ergo, ut & hic non modò Ignatij visiones fabulis adscribas; sed & non paucas tum alius, tum S. Antonio oblaras. Quam enim de variis rebus per internam inspirationem à Deo sæpius edoctus est? Quod te docere potest S. Athanasius, si doceri velis.

De reuelatione per solam vocem, illustre habes exemplum apud S. Augustinum: qui cū in amarissima carnis & spiritus lucta versaretur, nec quo se verteret, sciret, & ecce, inquit, audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebro repetentis, quasi pueri, an puella, nescio: Tolle, lege, tolle, lege. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid, nec occurrebat omnino audiuisse me vsquam. Repressoque impetu lacrymarum surrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi ut aperirem codicem & legerem, quod primum caput inuenissem.

Audi-

S. Aug. li.  
8. Confessi.  
cap. 12.

*Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui fortè superuenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me: & tali oraculo confestim ad te esse conuersum. Itaque concitus rediit ad eum locum, vbi sedit Alipius. Ibi enim posueram Codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitis, non in contentione & amulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum sine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Pari modo per vocem cœlitis missam non raro instructus est S. Antonius, teste D. Athanasio.*

*Tertius modus est, inquis, cum præter vocem etiam videtur, qui loquitur, qui secundo augustinus. Hunc modum expertus est Ignatius; cum Romam iret, vt libro secundo diximus. Nec solus Ignatius; sed & alij complures, vt D. Gregorius Thaumaturgus; Iacobus Eremita apud Theodoretum; S. Martinus apud Sulpitium; Valgius Catechumenus apud S. Paulinum; plurimi alij apud S. Gregorium, cum quibus oportet, vt Ignatij visiones vel probes, vel improbes. Nam si has veras esse existimes; illas autem Ignatij commentitias; statim poscemus rationem tam dispa-*

*ris sententiæ; quam tu legitimam nunquam reddes. Si autem omnes reicias; tum minus ægré feremus, Ignatium cum sanctissimis illis Deoq̄ acceptissimis viris à Calvinista repudiari.*

*Quartus, inquis, modus est, vbi apparitione nulla figuræ cuiuspiam vel sensibilis signi, occultorum intelligibilis veritas percipitur reuelatione diuina. Hic modus non modò apud Ignatium, sed & apud alios sanctos viros crebrò occurrit. Adiungis. Horum graduum omnium exempla apud hunc auctorem offendet temerè, mendaciter & nefariè inculcata. Nihil probas, Misene, sed tantum asseueras pro tua temeritate, & mentiendi nefaria libidine, temerè, mendaciter, & nefariè. In vita S. Antonij reperies istos quatuor modos; Item in vita sancti Martini, præterea in rebus gestis Anachoretarum apud Theodoretum, num & hic temerè, mendaciter, & nefariè? Num & Athanasius Antonij; Sulpitius Martinum; Theodoretus Anachoretas pro Prophetis vel Apostolis haberi voluerunt? vt tu de Ignatio hic nugaris. Si nemini quidquam diuinitus reuelari potest; nisi iis, qui olim vel Prophetarum vel Apostolorum nomine censebantur: tum cupio, vt paucis te expedias, omnesque disertè visiones non Prophetis & Apostolis factas inficeris; vt sciam, quo pacto sis tractandus: nec grauatè facies apertè & publicè, quod nunc facis tectè & tacitè.*

*Vidimus, inquit Ribadeneira, frequenter Ignatium ex plantulæ, frondis & floris aspectu super cœlos attollentem se. Quid Misenus? Quasi verò alij Christiani idem non fecerint aut faciant. Quid*

Quid hoc ad rem? Non queritur nunc, quid alij agant vel egerint; sed quid Ignatius egerit. De aliis alij memorabunt, si quid præclare fecerunt: Nunc sine Auctorem nostrum bene facta Ignatij recensere; quæ licet non sint propria, ita vt in nullo alio reperiri queant, laudem tamen promerentur hoc ipso, quod ab Ignatio quoque patrata sunt, quæ à quouis fieri vel debent, vel certè possunt. Si alium ab eloquentia, à recondita eruditione; à varietate lectionis, à rerum vsu & prudentia commendes; num aliquid de laude illius decerpitur, eò quod eloquentia, recondita eruditio, & varietas lectionis, vsus rerum & prudentia, in aliis quoque inueniantur?

*Quæ sequuntur, inquis, itidem ad Christianos omnes pertinent, non ad solos Iesuitas, qui nescio quo pacto nos omnes habent pro paganis, Turcis, Ethnicis, illi ipsi his omnibus deteriores. Quid calumniariis impostor? Quid vobis ademit vel Ignatius, vel Ribadeneira? Optabat Ignatius famulare nostris esse, vt Deum in rebus omnibus præsentem cernerent: & mentes suas non in oratione tantum ad cœlestia attollerent: sed vniuersas res, atque actiones singulas in Deum referrent, neque minorem deuotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consuetudinem assiduam, cum in aliis, tum verò in hominibus piè occupatis, tanquam magis expeditam probabat. Hæc Ribadeneira de Ignatio. Quam rogo hoc suo voto Ignatius vobis iniuriam irrogauit? An si nos tales sumus, quales optabat Ignatius, vos*

tales

tales esse non potestis? Quo vel verbulo indicauit Ignatius aut Ribadeneira, vos Turcis, Ethnicis & Paganis deteriores esse. Iudicio meo, non profers; quæ Ignatius dixit, sed quæ tibi tua conscientia dicitur; quæ cum te summæ improbitatis arguat, accusationem illam in Ignatium & Ribadeneiram transfers, quasi foris adueniat, non domi tuæ & intra præcordia nascatur.

Ait Ribadeneira, Ignatium tam feruenter orasse; vt ex intentione animi morbum aliquando contraheret; propter hæc comparat Misenum Ignatiū cum Messalianis seu Euchitis Hereticis. Sed vt quiduis ex quouis Misenus noster colligit; ita quiduis cum quouis comparat, non multum sollicitus, vtrum inter ea, quæ componit, aliqua affinitas intercedat, Nam inter Ignatium & Euchitas (quos latine *precatores* appellare possumus) nullā fuisse similitudinem; tria hæc, quæ Theodoretus tradit, manifestè demonstrant. Primum est; in Baptismo non tolli peccata, sed radi tantum. Dogma hoc Lutheranorum & Calvinistarum est; non Ignatij. Alterum, solam orationem fructuosam esse; cetera omnia opera, inania, & nullius momenti. Nanquam ea mens Ignatio. Tertium, maximam diei partem dormire; docereque Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum corporeis oculis videri posse, idque in se, sine aliqua aspectabili specie. Quæ delirameta in cor Ignatij nunquam ascenderunt, vt præterea alia, quæ de his Ethnicis potius, quam hereticis S. Epiphanius scripta reliquit; quæ tam bellè quadrant in Ignatium, quam probè enco-

Theod. II.  
4. hæretic.  
fabul.

S. Epiph.  
Hæc. 70.

Ait

Ait auctor, Ignatiū, cū die natali Seruatoris nostri duo sacra continenter fecisset, in extremū vitæ discrimen adductum esse. *Missæ*, inquis, *Ignatium propemodum interemit, quæ aliis & viuis & mortuis prodest, vt Iesuitæ volunt.* Etiam ieiunium & oratio profunt & viuis & mortuis; Et tamen fieri potest, vt studium ieiunij & orationis, si nimis sit intensum, corpus debilitet & frangat; imò & in discrimen vitæ coniciat. Deinde nemo dicit, *Missæ effectum* hunc esse, vt, si quis, debilior præterim, vel ob ætatem, vel aliam ob causam, ea spiritus & corporis contentione rei diuinæ vacet; quæ solebat Ignatius; detrimentum valetudini creare nequeat, ob exercitacionem illam vehementiorem, quæ natura sua corpori est aduersa: Erras autem, cū putas, sacrosanctum *Missæ sacrificium* tali casu non prodesse viuis; Prodest enim cū ipsi sacrificanti, qui vtique viuit, tum aliis viuis: Sed Hæretici ad viuentem nullum emolumentum redire putant, nisi corpus efficiat robustius. Videō tamen, vnde hoc scholium tuum processerit: Audiuisti aliquando esse effectus quosdam huius sacrificij quasi *secundarios*, vt sunt temporalia nonnulla commoda; & in his itidem sanitas corporis; Quocirca miraris; quò modo, si corporis sanitas huius sacrificij effectus est; Ignatius hoc sacrificium immolando in ægriitudinem incidere. Sed notare debebas, quod orthodoxi Doctores de his effectibus docent; ita nimirum comparatos esse; vt ex *congruitate quadam*, arbitrarij diuino, citra legem & obligationem ex hac victima cōsequantur. Quocirca bene fieri potest: vt quis dum

dum sacrum facit; morbum contrahat; sicut fieri potest, vt is, pro quo ægrotate hostia hæc Deo offertur, pristinam valetudinem non recuperet; Deo melius aliquid, & quod huiusmodi homini fructuosius sit, prouidente & procurante.

*Reliqua*, inquis, *quæ adduntur omnium Christianorum cōmunia, non Ignatio peculiaria: Omnes enim Christiani suam voluntatem ad diuinam accommodare debent.* Non quaritur quid facere debeant; sed quid faciant. Debere non meretur laudem, sed facere. Cū ergo Ignatius id quod debuit, fecerit, nec obiter, sed excellenter fecerit; meritò à Ribadeneira prædicatur; nec tamen ob id impedit; quo minus alij quoque, qui quæ debent, agunt, debitis laudibus extollantur. Valde autem desipis, cū toties pueriliter inculcas, frustra laudari aliquem ab illis, quæ à cæteris itidem præstanda sunt. Quanquam fateor, si omnes necessariò officium facerent, & eodem planè modo, ita, vt quæ suarum partium sunt, nec intermittere possent, nec contrarium agere, nec alter altero remissius vel feruentius; tum non nisi imprudenter commendaretur quis ab eo, quod omnibus commune & necessarium esset, non liberum & arbitrarium.

Pergis: *Vide autem insulsiatatem auctoris.* Mendum subest huic loco, corrige & rescribe ex codice manu scripto: *Vide autem insulsiatatem Libri Miseni*; hæc enim germana lectio. *Redit*, inquis, *ad illustrationem Manresianam: quæ qualis fuerit, ne ipse quidē Auctor, frontis perfrictissima, memorare audeat.* Quid ais modestissimæ frontis homo? Annò lib. 1. disertè explicauit auctor noster illu-

Lib. 1. c. 7.



strationes Manreſianas, quæ, quot & quales fuerint? *Redir*, inquis, *eadem ſoliditate ad lachrymas ſuperſtuoſi militis*. Tu eadem ſemper impudentia manes in calumniis & atrocibus iniuriis, niſi niſi indoctas criminationes fundere doctus: Quid enim doctrinæ aut artis in his tuis ſcholiis; quæ ad hoc huius libri caput affuiſis?

*Quod pauld poſt ſequitur*, inquis, *oſtendit auctorem non admodum verſatum eſſe in lectione epiſtolarum Canonicarum: nam quod piè ab Ignatio dictum putat, id multis ante ſeculus diuus Iacobus monuerat*. Ait Ribadeneira, Ignatium magno deſiderio ariſſe ex hoc carcere & vinculis euolandi ad Chriſtum. Additque; ex hoc fortasſe moriendi deſiderio iugique meditatione mortis, admiratio illa naſcebatur, quam Ignatio cuiuſuis hominis fermo mouebat, qui ſe poſt tres, quatuorue menſes aliquid facturum diceret: cui (ſi quem nactus eſſet eiufmodi) tacita quadam, beneuolæque reprehentione admirans, aiebat; Ieſu bone, tam diu te victurum putas? Hæc Ribadeneira. Miſenus cùm aliud calumniari non poſſet; & tamen, pro more ſuo, calumniari vellet, ſimile quid iam dudum à ſancto Iacobo dictum & ſcriptum ait: quaſi verò Ribadeneira id neſcierit, & quaſi Ignatius ex hoc ipſo loco, non itidè acceperit aliquando occaſionem uſurpandi dictum illud in eos, qui quaſi immortales eſſent, ita cogitabant & disponebant de rebus, quas longo poſt tempore acturi eſſent, nulla humanæ conditionis, quæ incertiſſima eſt; mentione facta. An non iure com-  
menda-

mendatur is; qui agit id, quod ſanctus Iacobus fieri iuſſit? quique exemplo & monitis ſuis etiam efficit, vt alij id agant, ſuisque ſermonibus, velut ſollemnem quandam formulam præmittant, vel adiungant illa verba: *Si Dominus voluerit: ſi gratiam & vitam dederit*; aut aliud huius generis; quo ſignificent, non ſe, ſed eum, qui in cœlis regnat, vitæ & conſiliorum ſuorum eſſe Dominum & moderatorem: quæ res ita hominum pectoribus non modò à diuina Scriptura; ſed & ab ipſa natura eſt impreſſa; vt & Ethnicos videamus non raro addidiſſe ſuæ orationi hæc & ſimilia: *Si ſuperſtes ero: Si Deus cœpta ſecundet: Deo dante*.

*Quæ ſequuntur*, inquis, *puerilia ſunt, & atramento indigna, nedum charta*: Si hæc referantur ad tua conuicia, aſſentior: Indigniſſima enim ſunt, & atramento, & charta, & lectione: digniſſima orco, vnde prodierunt: Si ad Scripta Ribadeneiræ referantur, diſſentio; mecumque à te diſſentiet, quiſquis proba mente perlegere volet; quæ apud Ribadeneiram ſequuntur. Non exſcribo, liber in medio eſt & publici iuris: notusque iam Miſenus, qui cum aliquid maximè damnat, tum non qualecunque, ſed grande bonum animo concipere debemus. Inter ea, quæ atramento indigna cenſet, numerat & hoc, quod Ignatius dixit: *ſe in diuinis rebus magis habere paſſiue, quam actiue*; qui ſupremus gradus dicitur ac perfectiſſimus ab illis qui de contemplandi ratione ſcripſerunt. Si  
Ff 2 hoc

hoc puerile est; oportet viros perfectissimos & cœlestium rerum contemplationi deditissimos pueriles esse; quippe, quos tantis consolationibus & delitiis spiritalibus Deus cumulet, ut illis non tam studio & labore adipiscendis, quam vltro venientibus excipiendis & tolerandis laxandus sit animus: ex quorum numero vnus fuit Hierotheus; qui, ut ait sanctus Dionysius Areopagita; erat diuina patiens; quem cum hic citarit Auctor; mirum est te tanti viri auctoritatem non esse reueritum.

S. Dionis.  
de diuin.  
nom. ca. 2.  
p. j. in fine.

*Sed de hac re, inquis, in sacris literis nihil exstat.* Exstat, si quis oculos id quod exstat videndi habeat. Moysen enim & Dauidem aliosque Prophetas, & Apostolos, potius in contemplatione diuinarum rerum pati fuisse solitos, quam agere, facile aduertisses, si & sanctitatem istorum considerasses: & quid de singulis horum diuinæ litteræ tradant, accuratè perpendisses. Et is, qui donis sancti Spiritus instructus est, non tam agit per hæc dona, quam agitur, non ad vulgaria, sed ad eximia & heroica virtutum opera, ut Theologi tradunt; ut proinde & iste non tam sit agens, quam patiens. Nec inficiaberis, opinor, Prophetas & Apostolos his cœlestibus dotibus ornatos fuisse.

Orantem in cubiculo, inquit Ribadeneira, Ignatium, ostio clauso, importunè ianitor interpellauit aliquando, cui semel atque iterum pulsanti, nihil respondit Ignatius, cum molestus esse pergeret, & perseveranter obrunderet, ostium aperuit, & quid, inquit, tibi vis? Cui ianitor:

ianitor: En, inquit, pater, literæ, quas qui reddidit, tua ex patria allatas dicit, simulque litteras in manus Ignatio tradit: qui recluso ostio, litteras in lucentem caminum (erat enim hiems) cremandas coniecit, & continuè ad intermissam orationem rediit. Hanc historiam tu longè aliter narras. *Adeò, inquis, Ignatius excanduit, ut litteras in caminum lucentem cremandas coniceret.* Affingis de tuo cerebro *excandescenti-am.* Nihil de illa Auctor noster; ut ex eius verbis à me iam datis liquet, sed nisi tu *excanduisse* Ignatium finxisses, defuisset tibi occasio eius, quod subiicis mendacij texendi. *Nota hic, inquis, falsò supra scriptum fuisse, quod Ignatius omni affectu se exuerit, nisi fortè Iesuitis excandescencia non est passio.* Comminisceris mendacia, quæ aliis mendacius illustres. Nihil, ut dixi, de vllò excandescencia motu hic Auctor; quem tu fortassis inde collegisti; quod litteras in ignem abiecit Ignatius: quasi hoc nequeat fieri animo pacato & tranquillo, sine turbidis illis iracundia motibus. Quo autem sensu supra dixerit Auctor, Ignatium omni affectu sese exuisse: supra itidem explicatum est.

Displicet tibi factum Ignatij. *Eiusdem, inquis, laboris fuisset seponere, quam abiicere in ignem, ut appareat non tantum melancholicum fuisse illum hominem, sed etiam stolidum.* Verùm ut maximè tu infeceris id, quod fecit Ignatius, at id non fecit sine exemplo veterum, vitæ morumque sancti-  
Cassian.  
lib. 5. insti-  
tut. ca. 32.  
si post annos quindecim patris ac matris, amicorumq; multo-

de prouincia Ponti cōplures epistola delata fuissent. accipiens grandē fasciculū litterarum. diuꝫ apud semetipsum uolens, quantarum, inquit, cogitationū causa erit mihi harum lectio, qua me vel ad inane gaudiū, vel ad tristitias infructuosas impellent? quot diebus eorum recordatione, qui scripserint, intentionē pectoris mei à proposita contemplatione reuocabunt? post quātum temporis digerenda est hac mentis concepta confusio, quantoque labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac uultus, quos tanto tempore deueliquit, iterum eos reuiscere, ipsisque cohabitare & animo ac mente cōperit interesse? Quos profectō corporaliter deseruisse nil proderit, si corde eos incipiat intueri, ac memoriam, quam seculo huic renuncians, quisque uelut mortuus, abdicauit, reuiuiscens eandem rursus admiserit. Hæc uolens in corde suo, non solum nullam resolvere epistolam desinuit, sed nec ipsum quidem fasciculum resignare; ne scilicet eorum, qui scripserant uel nomina recensendo, uel uultus recordando, à spiritus sui intentione cessaret. Itaque ut eum constrictum susceperat, igni tradidit comburendum. Ite, inquit, cogitationes patriæ, pariter concremami, ne me ulterius ad illa, qua fugi, reuocare tenteris. Hæc Cassianus de sancto illo Monacho. Quem si tu cum Ignatio non modò melancholicum, sed & stolidum uoces: non iniuria & atræ bilis helleboro expurgandæ; & stoliditatis plenissimus ab omnibus rectè sentientibus iudicaberis.

Nota

Nota etiam, inquis, inhumanitatem eiusdem, qui cognatorum litteras non perlectas combusserit. Idem scholium apponas licet ad caput citatum Cassiani, ubi factum illius Monachi, de quo modò diximus, recenset. Cruelitas hæc pietas est; ut in simili re dixit sanctus Hieronymus, & inhumanitas, humanitas. Nam parentes & cognatos relinquere, professionis religiosæ proprium est; quod eò perfectius præstas: quo minus cum iis, quos semel reliquisti; consuetudinis habes siue præsens per sermones; siue absens per epistolas.

Tales non fuerunt, inquis, veteres illi Monachi Ægypti & Thebaidis incolæ, qui quanquam in solitudine degebant, non desinebant tamen quotidie legendo, scribendoque, se ipsos & amicos in remotissimis agentes locis consolari & iuuare. Quam uera hæc sint, nouit omnis ille, qui non est hospes in Cassiano, Theodoro, sancto Hieronymo, Athanasio; & aliis, qui antiquorum Monachorū uitas & res gestas conscripserunt. Cedo, Miseno, ad quosnam sanctus Paulus Eremita sexaginta annis, quos in eremo transegit, literas dederit; aut à quibus litteras acceperit? Dic etiam, cum quibus sanctus Antonius per literas egerit, integris illis viginti annis, quibus in mente quodam Thebaidis delituit à nemine mortaliū unquam toto illo tempore conspectus, ut refert sanctus Athanasius: ad quem cum postea in Monasterio uersantem Constantinus Augustus; eiusque liberi Constans atq; Cōstantius litteras dedissent; vix multis suorum precibus, ut respōderet, adduci potuit: *Quæ Monachus est ratio, aiebat, cum epi-*

Ff 4

stolis

*stolis Regum? Cur accipiam litteras, quibus consueta nesciam reddere salutationis officia? Igitur rogatus ab vniuersis fratribus, vt Christianos Reges suis litteris refrigeraret, ne scilicet per silentium eius exasperarentur, ad susceptas epistolas conuenientia rescripsit. Quas sanctus Hilarión scripsit epistolas ad cognatos & amicos? Quas alij, quibus illud vel imprimis semper curæ fuit, parentum & cognatorum non modò consortio; sed & recordatione penitus sese abdicare.*

Ait Ribadeneira, Ignatium dicere solitum, persuaderi sibi non posse, hæc duo simul coniuncta in vlllo hominum tam valde reperiri, quã in se: vt in Deum videlicet æquè quis esset ingratus, & à Deo tam multa, tamque magna beneficia quotidie acciperet. *Mirè dictum, inquit Misenus, & quia in nullo homine contingit, etiam in Ignatio (si modò homo est) non contigisse puto. Quid est, quod nõ putas cõtigisse? An Ignatium Deo non fuisse ingratus? Idem ego non cõtigisse puto, et si Ignatio ob eximiam animi submissionem ita videbatur; sed non fugit te, alia esse sanctorum virorum de semetipsis iudicia, qui Christianæ humilitatis tam tenaces sunt; vt nihil sibi arrogent; omnia potius derogent; & alias esse de ipsis aliorum sententias: ipsi se ipsos ingrata mentis, & multorum peccatorum reos agunt; alij vel ob hoc ipsum plenum humilitatis & modestiæ iudicium, eò ardentius illos suspiciunt & admirantur. Si non putas contigisse, vt Deus plurima beneficia in Ignatium contulerit; redarguet te ipsa; quam cernis, & cernendo ringeris*

geris, societas, quam Ignatius sine summo Dei beneficio instituere non potuit. Quod si nullo alio munere diuinitus ornatus fuisset; ob hoc certè perpetuas Deo grates persoluere debuisset. Itaque velis nolis hoc mirè dictum admittere cogeris. Nam Ignatium Deo fuisse ingratum, imò ingratisimum, tu libentissime dabis. Eundem summo beneficio à Deo affectum fuisse, hoc ipso, quod tanti Ordinis parens existit; id videlicet non nisi reclamante conscientia inficiaberis.

*Consuetudinem, inquis, quam tenuit Ignatius orandi pro Regibus & Principibus, obseruauit semper Ecclesia. Rectè dicis Misene; Ecclesia tenuit, & adhuc tenet hanc consuetudinem; sed vtrum Misenus eam teneat, vel alius Miseno similis, id tam perspicuum non est, vt in dubium deuocari non queat. Subiungis. Quod autem addit: Ex quorum felici gubernatione vniuersa tranquillitas pendet Ecclesia; intelligit Pontificem & Regem Hispanie. Infelix vbique interpret es alienæ mentis, suadeo, vt te interpretandi munere abdicēs. Nã Ribadeneira, & hos duos, & omnes alios Christianos Reges, & Principes & Dynastas intelligit; pro omnibus enim preces fundendæ sunt. Precantes sumus semper, vt cum Tertulliano dicã;*

*pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes; senatum fidelem, populum probum, orbem quietum; quæcunque hominis & Caesaris vota sunt.*

*Ferimus non modo Pontifici & Regi Hispaniæ, sed & omnibus aliis Principibus, auxilia suo tempore; sed*

Tertull. A. polog. cap. 29.

Orig. li. 8. in Celsum.

diuina non humana armatura freti: idq; facimus A-  
postoli monitis obedientes: Obsecro primum omnium  
fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum  
actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & om-  
nibus qui in sublimitate sunt. Et quo cuiusque infi-  
gnior est pietas, eo maiorem opem Regibus fert, magi-  
quam stantes in procinctu milites, et occidentes, quot-  
quot possunt ex hostibus.

Calumnias, quæ sequuntur, mutuatus es ab  
Arnaldo, ea opinor, conditione, vt pro quinque  
mendaciis reddas centum; non quinque pro  
centum. Ais: Patrem hunc secuti filij, qui cum in  
Gallia viuerent, pro Rege tamen Galliarum orare no-  
luerunt, sed pro suo Rege Philippo, cuius ingenti mu-  
nificentia in hunc Ordinem, non mirum, elici precu-

Tertull. li.  
3. contra  
Marcioné.

lesuitarum, & multo magis gratiarum actiones. A-  
spis à vipera venenum mutuatur, hoc loco non es  
Misenus, sed Arnaldus; nisi potius vtrumq; ve-  
lis esse sub vno *Misenarnaldi* vocabulo, donec  
tandem tertij calumniatoris naturam induas, &  
triformis chimæra fias; qui nunc tantum es bi-  
formis Hippocentaurus. Non refuto hanc tu-  
am de Rege Galliaë criminationem; quia eam  
iam pridem copiosissimè refellit Franciscus  
Montanus Ingolstadtij latinè editus, quem lege,  
sed non in Bacchanalibus; quia tunc stultescis;  
neque in canicularibus, quibus te hæc Scholia  
descripsisse, & in ordinem digessisse ais; quia  
tunc præ nimio caniculæ æstuantis calore, in ra-  
biem conuerteris. Aptius ergo tempus eligas o-  
portet, si quid his scholiis aptius cōtra Montanū  
pro tuo charissimo Arnaldo afferre decreueris.

Montan.  
Apolog.  
cap. 30.

Sequi-

Sequitur, inquis, paradoxum superans Stoica.  
Quodnam illud, oró, Misene, astutum profer, vt  
adiiciamus hoc plus quàm Stoicum paradoxū  
aliis paradoxis à Cicerone eleganter & fusè tra-  
ctatis; si fortè in hoc paradoxo explanando &  
dilatando diuitias eloquentiæ tuæ pandere &  
promere velis. Dicere consueuerat Ignatius  
iis, qui prolixiore vtuntur oratione, & multas  
horas in meditatione rerum diuinarum collo-  
cant, magnopere cauendum esse, ne præfracti  
nimis ac duri fiant, & in proprio sensu pertina-  
ces. *Mirificum dictum*, inquis. *Ex meditatio-  
nibus rerum diuinarum & precibus fieri homines præ-  
fractos & duros & aduadæ.* Mirificum dictū esset,  
si id contingeret, culpâ meditationum & pre-  
cum; sed quia accidit, cum accidit, culpa & vi-  
tio hominum, minimè tibi mirum videri de-  
bet. Nisi forte mirificum itidem tibi videatur,  
eundem potum in salutare & in humores no-  
xios conuerti, eundemque solis calorem stir-  
pes non excisas fouere, euulsasque arefacere,  
non suo vitio, sed culpa rerum malè affectarū,  
potumq; illum & calorem excipientium. Sunt  
quidam natura sua duri, cedere nescij, suumque  
potius, quàm alienum iudicium sequi soliti, vel  
certè ita comparati, vt non magno negotio fiant  
duri & cedere nescij; qui orationis & medita-  
tionis studio, facilè ed prolabantur, vt putent  
se theodactos esse, nec hominū magisterio &  
ministerio egerè; quippe quos vnctio spiritus per  
internos instinctus omnia edoceat. Ex quo deinceps  
consequitur, vt superiorū monita contendant,

&

& sequi animo præfracto recusent, persuasi, se, vt Deo familiares & charos, melius nosse quid facto sit opus, quam sciant illi, quos Dei loco venerarentur & audirent, si Dei amantes essent. Illustre huius rei exemplum prodidit Cassianus de Herone Eremita, qui vitæ solitariae, & eorum, quæ cum hac connexa esse consueverunt, exercitatione, eod peruicaciæ processit; vt maluerit suis definitionibus regi, quam consiliis vel collationibus fratrum, atque institutis maiorum. Siquidem tanto rigore, ait Cassianus, immutabilem ieiunij continentiam semper exercuit, & solitudinis celaque ita iugiter secreta sectatus est, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuij, nec ueneratio quidem diei Paschalis potuerit aliquando obtinere: In qua fratribus cunctis pro anniuersaria solennitate retentatis, solus non potuit aggregari, ne quantulumcunque perceptione leguminis parui à suo uideretur proposito relaxasse. Qua præsumptione deceptus, Angelum Satana, uelut Angelum lucis cum summa ueneratione suscipiens, eiusque præceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteum precipitem dedit, de Angeli uidelicet sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito uirtutum ac laborum suorum nequaquam posse firmauerat ulli iam discrimini subiacere. Ceterum cum iam penè ex sanguis de puteo fuisset extractus, vitam die tertia finiturus, quod hu deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, vt ei ne experimento quidem mortis suæ potuerit persuaderi, quod fuisset Dæmonum calliditate delusus.

Hæc

Hæc Cassianus. Quæ si perpendere uelis, Misene; dictum Ignatij iam nõ vt monstrosè mirum admiraberis; sed vt planè uerum & certum suspicies.

## CAPVT II.

*Refelluntur calumnia in caput secundum & tertiam.*

**C**aput secundum, inquis, prædicat charitatem Ignatij erga proximos adductis aliquot exemplis: Primum consictum puto ex historiola quadam festiua. Audite Lectores: Misenus putat primum exemplum charitatis Ignatij, à Ribadeneira commemoratum, commentitium esse: ergo commentitium est; nam quidquid Misenus putat; id ita est, vt putat, quia omnis homo mendax & errori obnoxius; solus Misenus uerax, labique & falli & fallere nescius. Exemplum hoc his uerbis refert Auctor. Lutetia cum quidam pellicis amore nefario teneretur, neque ab illo Ignatius hominem posset ulla omnino ratione diuellere, aliquando rescitit illum extra oppidum iturum, eod fortasse, ubi turpes eius delitiæ erant. Ignatius igitur in lacum frigidissimum uia, qua transiturus erat, adiacentem sese coniecit: corporeque gelidis aquis immerso, capite tantum extans, ad illum iam appropinquantem, perge, inquit, miser, perge ad tuas foeditissimas voluptates: impendentem capiti tuo ruinam non uides? instantem pestem non perhorrescis? Hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec iustissimum Dei furorem in te para-

paratum auertam. Exterritus homo: & hoc tam insigni caritatis exemplo perculsus, resistit, pedem refert, familiaritatem illam scelere copulatam statim discindit.

Hanc historiam Misenus primum quidem negat: vel certè in dubium vocat. Deinde cum videretur nimis magnæ impudentiæ esse negare, ea solum de causâ, quia non lubeat credere, incredibili, ne dicam diabolica, malitia ad alias artes & sutelas confugit: Fieri, inquit, potuit, *vt hoc modo, quo narratur, riuale riualem ab amica, ad quam ventitare voluerit alter; absterre voluerit.* An non hæc calumnia dignissima est illo, qui a calumniando Diaboli seu calumniatoris nomen reperit? Quantæ improbitatis, tam insigni charitatis factum; opus corpori tam molestum & aduersum, interpretari quasi carnis & voluptatis causâ susceptum fuerit, Ignatiusque alterum eluserit, eo modo, quo Comici adolentes, vel eorum loco seruuli & parasiti, & hodie Calvinistæ, & alij hæretici riualibus os sublinere & melle soporatum offam obiicere consueuerunt. Mala mens, Misene, malus animus.

Tertul. A- Qui ista suspicaris & credis de homine: *potes & polo. c. 10. facere, si non potes facere, non debes credere,* multò minus temere scribere: Riualitatis artificia seu dulcia seu aspera in vobis (Hæreticis) esse si consideraretis, proinde in Ignatio non esse perspiceretis, iidem oculi renunciassent vtrumque. Sed cecitatis due species facillè concurrunt, vt qui non vident quæ sunt, videre videantur, quæ non sunt; vt non modo verè, sed & scitè Tertullianus dixit.

Dice-

Dicere solebat Ignatius, se, si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse, nudis pedibus, cornibusque onustum per plateas incedere: nullum denique recusare habitum, aut ridiculum ac probrosum vestimenti genus, quod esse vtile hominibus posset: quod re ipsa comprobauit, si quando sese occasio obtulit. Dicitum hoc Ignatij hoc scholio illustrat Misenus; *si didicisset ille miles regnum Dei non esse in vestitu & cultu corporis, eiusmodi profanas voces & ridiculas, neque indignas cornuta bestia, non vsurpasset.* Dicitum Ignatij hypotheticum est, vt apparet ex verbis, quibus conceptum, & eiusmodi, quod mirer, si vlli bono displicere queat. Quid enim? An tu, Misene, non ita affectus es, vt si quid ad animarum salutem faceret, paratissimus esses ea facere & perpeti, quæ Ignatius facere & perpeti volebat? Quod si animulam aliquam vagam, miseram, variisque erroribus implicatam, hac ratione posses reducere in viam, & ex errorum labyrinthis explicare, an non promptissimè quiduis ageres, & tolerares? An si hoc ipsum profitereris publicè, meritò quis tua dicta reprehendat, vt voces profanas, ridiculas, neque indignas cornuta bestia? An non meliore iure iste ipse reprehensor pro ridiculo profano & cornuta bestia haberetur?

Dic mihi, vtrum in speciem abiectius sit; esse anathema à Deo; an eo, quem diximus, habitu ornatum incedere? Prius illud cupiebat Apostolus desiderio fraternæ salutis incensus: posterius Ignatius, si quid inde emolumenti ad salutem

Rom. 9.

salutem proximi redundaret. Qui cuperet conspui, iudificari, flagellari & cruci suffigi, si id aliquid utilitatis spiritualis hominibus pareret, ei votum suum, te audiente, patefacere integrum non esset, statim enim audiret hoc tuum, contumaciū: si iste didicisset regnū Dei non esse in sputis, ludibriis, flagellis & cruce: eiusmodi profanas voces & ridiculas, & cornuta bestia dignas non vsurparet.

Claruit sub Iustiniano Imperatore sanctissimus quidam vir Simeon nomine, qui ob huiusmodi actiones, quas Ignatius suscipere, habitusque ridiculum, quo idem vestiri cupiebat, cognomentum *Sali*, hoc est, *Stulti* vulgò adeptus est, quo nomine tu quoque eundem libenter afficies. Nosse tamen debes, hunc Salum & viuum & mortuum plurimis enituisse miraculis, ut testatur Leontius Neapolitanus in Cypro Episcopus, vir doctissimus, à Damasceno non semel citatus & laudatus, & à Patribus alterius Nicænæ Synodi ab eruditione & vitæ sanctimonia valde commendatus. Ex quo, Misene, perspicere poteris, votum Ignatij, aut cuiuscumque alterius, qui simile votum concipiat, adeo non displicere Deo, ut ipse Deus, mirabili & occulto consilio, excitavit aliquando, qui tota vita sua stultitiam & amentiam simulavit. Ut enim olim, *Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quia in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum*: ita & postea sæpe per stultitiam homines instruere & ad meliora incitare voluit; & adhuc velle potest; & si velit, nemo est, qui nolle debeat volenti sese administrum præbere.

Leont. in  
vita Sim.  
Damaſc.  
in orat. de  
Imag.

1. Cor. 1.

*Quamobrem eos hortor, vt ar enim defensione Theodoreti, qui reprehendendi studio delectantur, vt linguam suam refrænent, & non temere eam ferri permittant; sed potius considerent, quod sæpe talia machinatus est Dominus, vt eis prodesset, qui sunt socordiores. Etenim iussit Isaiam ambulare nudum & nudis pedibus; & Hieremiam lumbis cingulum circumponere, & sic incredulus offerre prophetiam; & aliquando etiam lignea collaria & ferrum collo imponere. Vnumquodque autem horum iussit fieri rector vniuersorum, eos, qui sermoni non parebant, nec vt prophetiam audirent, in animum inducebant, admirabilitate spectaculi colligens, & vt diuina responsa audirent, efficiens. Quis enim non obstupuit, cum videret diuinum hominem nudum ingredientem? Quis non desiderauit scire causam, cur hoc fieret? Quomodo igitur vniuersorum Deus iussit illorum vnumquodque fieri, curam gerens eorum, qui ignaue & socorditer viuebant; ita etiam, si Ignatius nudis pedibus, & cornibus onustus per plateas incessisset, Deus ipse admirabile hoc procurasset spectaculum, rei nouitate & admirabilitate omnes trahens ad spectaculum, & efficiens vt aduenientibus credibilis exhiberetur admonitio.*

Theodor.  
in vita Si-  
meonis.

*Adduntur, inquis, alia, quæ præstantur ab omnibus verè piis. Neg, enim illi malum pro malo reddunt, sed vincunt in bono malum. Non dixit Ribadeneira solum Ignatium pro malo nõ reddidisse malum, solumque vicisse in bono malum iuxta Apostoli præceptum: Sed Ignatium etiam huic Apo-*

Quamo-

Gg

stolico



stolico monito obtemperasse; ut solent pij. Quod si hoc verè pij hominis argumentum est & opus, ut tu affirmas, verè igitur pius fuit Ignatius. Si verè pius, cur non & laude dignus, cum vera pietas iure prædicetur, in quocunque infit: etiam si in pluribus infit; sicut vitium meritò reprehenditur, in quocunque infit, etiam si in pluribus infit.

Eccles. 1.

Subiungis: *patientia, qua prædicantur exempla, ut taceam de Sanctis, illustriora habemus in Pericle, Socrate, Demosthene, Phocione, qui læcessit vitium neglexerunt. Quid igitur noui fecit Ignatius?* Non quæritur, quid noui fecerit Ignatius; sed quid fecerit. *Nihil sub sole nouum, clamat sapiens: Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos:* Non sola operis nouitas; sed opus laudem meretur; alioqui vix vllus virtutis actus meruisset laudè seculis posterioribus; cum vix vllum sit reperire; quem non reperire liceat in illis; qui antea actis temporibus vixerunt. Si ergo aliquid laudari nõ debet, quia nouum non est, quomodo laudabimus patientiam & constantiam Apostolorum & Martyrum nouæ legis, quia vtriusque exempla longè illustrißima præcesserunt in patientissimo illo Iob; in Tobia; in Machabæis, ut de aliis innumeris taceam? Si laudari non debet id, quod ex virtute gestum est, quia nouum non est; sequitur neq; id quod vel sceleratè vel flagitiose perpetratur, vituperandum esse & puniendum. Quid enim noui facit latro, si iam latrocinetur; fur, si furetur; mœchus, si alienum thalamum contamine; quia latrocinia, furta, adulteria omnibus ætatibus commissa sunt. Aut si vitium

vitium & potest & debet castigari & coerceri, licet nouum non sit, cur non & virtus laudibus debitis extolleretur, licet noua non sit? Si quis mortuum exsuscitet; cæco visum restituat; surdo auditum; nihil noui faciet. Et tamen quis hominum est, qui talem hominem, ut cælo de-lapsum, non sit admiraturus?

Deinde licet virtutis actus nouus non sit secundum speciem suam consideratus; nouus tamen est spectatus secundum rationem suam indiuiduam; quia nunquam antea exstitit. Ergo quicunque aliquid ex virtute agit; is aliquid noui agit, dignum laude noua; ex quo habes solutionem ad illam tuam quæstionem: *Quid enim noui fecit Ignatius?* Actus nouos patientiæ fecit, ut & aliarum virtutum noua opæra, noua inquam & secundum rationem indiuiduam, & circumstantias; sicut tu nouas semper calumnias, & noua mendacia paris; licet multos tui similes calumniatores & impostores superior ætas viderit. Quod autem illustriora exempla patientiæ elucere ais in Ethnicis, quam in Ignatio; id primùm nihil ad rem pertinet; non enim hic inquirimus, utrum Ignatius illustriora patientiæ exempla ediderit. Secundò, non tam veritatis amore, quàm odio Ignatij hoc tibi excidisse videtur. Quam enim patientiæ virtute illustris fuerit Demosthenes; docebit te vel vnica illius pro Ctesiphonte oratio.

Tertio vel minimum patientiæ exemplum, à Christiano gratia Dei prædito editum, illustrius est,

quàm illustrissimū ab Echnico profectum. Ad extremum hic quoque Celsi spiritus te agitat; cuius Iudæus, vt Christi honorem deprimeret, tandem huc etiam venit; vt diceret, *potuisse alios quoque multos tales videri, qualis Iesus duntaxat his, qui volunt decipi.* Cui Origenes; *Det igitur non multos, sed paucos, imò vel vnum iste Celsi Iudaeum talem, qualis erat Iesus, qui cum tanta virtute doctrinam & decreta vita vtilia inuexerit in humanum genus, atque id à colluue vitiorum ad meliorem frugem conuerterit.*

Lutetiæ Parisiorum, inquit Ribadeneira, quidam vsque aded in Ignatium concitatus, vt scalas iam ad eum occidendū ascenderet, vocem audiit dicentem sibi: Infelix quid facis? qua voce perterrefactus à proposito desinit. Hanc historiam duobus argumentis falsitatis arguit Misenus, Alterum est tale: *optarem huius historia adduxisse, vel saltem nominasse aliquot testes.* Nam ipse Petrus non satis videtur mihi fide dignus. Alterum est. *Referatur hoc ad superiora mendacia; quorum numerum alij colligant, quibus plus orij est.* Testes desideras, non vt testes audias & credas; sed vt calumniaris. Nam licet facti huius testes Auctor laudasset, tu, more tuo, derepente contra testes excepisses, quia quisquis testium pro Ignatij cõmendatione & sanctitate testatur, is tibi fabulosus est & mendax; quisquis vel minimum contra Ignatium profert, is tibi maior omni exceptione videtur. Petisne etiam testes vocis illius, quæ ad Augustinum in horto facta?

Tolle

*Tolle lege, tolle lege:* de qua supra dictum. Quæ soli obtingunt, aliter confirmari nequeunt, nisi testimonio eius, cui obtigerunt: aut si etiam aliorum; ad hunc primum fontem tandem veniendum est; vnde ceteri sua hauerint. Hoc ergo Scholium tuum referatur ad superiora tua mendacia & conuicia, quorum numerum colligant illi; qui innumera numerare norunt.

Subdit Ribadeneira huiusmodi historiam. Acerbior extitit quidam pater, impetu quodam animi abreptus in Ignatium, ac contumacior; pro quo in Missa orans Ignatius instantius, & magnam vim lacrymarum profundens, clamabat ad Dominum. *Ignosce Domine: parce Domine: Cui Dominus; sine me, ego enim pro te vindictam sumam, ego nisi resipiscat victor existam.* Accidit autem postea, vt ille pater in templo quodam Sanctorum reliquias aliquando venerabundus intueretur; & inter beatissima ossa, quasi hominis aspectum videret, truci vultu flagellum intentantis, nisi Ignatio paruisset. Quod ille ipse Ignatio, Ignatius mihi narrauit. *Hic multa desidero,* inquis: Nos quoque non modo hic, sed vbique desideramus à te tum alia, tum veritatem & candorem; cuius incredibile dictu, quanta apud te penuria. Sed audiamus quid desideres. *Primum, nomen patris;* si Auctor nomen huius patris expressisset, nouissène illum? Deinde prudentis historici est parcere, quantum fieri potest honori eorum, de quibus scribit; præsertim si quid scribat, quod parum sit laudabile, cuiusmodi fuit prædicti patris factum. Quoties grauisissimi Auctores nomen re-

S. Hier. in  
vita S. Hi-  
larionis.

ticent, ne notamalicui inurant. *Debemus parci tacere vocabulum, largi dicere*; aiebat S. Hieronymus, cum post recensitas sordes auari cuiusdam, exponere vellet alterius liberalitatem. Quoties tu in his ipsis scholiis nomina suppressisti eorum, quos maximè nominatos oportuit, & quos etiam sine vila infamia nominare licebat.

*Desideras insuper nosse locum & oppidum; seu locum oppidi*: Facile colligere poteris Romæ id accidisse; cum Ignatius constituta societate nufquam, nisi Romæ habitavit, sed vt non tam interrogandi, quam criminandi materiam habeas; quæris de loco & oppido, vt & de nomine templi; & de reliquiis sanctorum, quorum nam cœlitum illa Lipsana fuerint. Quæris videlicet non vt veritatè indages; sed vt telam mēdacionum, prout exorfuses, pertexas, Faciamusenim hæc accidisse oranti Romæ in Basilica S. Petri, ad sepulchrum & reliquias eiusdem Apostoli; itaque à Ribadeneira proditum esse: num fidem adhiberes? Num à tuo Calviniano animo assensum impetrares; vel num is esses, qui Calviniano tuo animo assensum imperaret? Perspicuè hic video tuâ mentem, quamuis pectus minimè clathratû, aut speculari materia inclusum geras. Fraudulenter ergo & planè Calvinistice agis, cū caussaris, te assentiri non posse, ob omiffas quasdam circūstantias, quæ ad rei veritatè nihil faciunt, cum nunquam assensurus fueris; licet omnia speciatim minutissimè Auctor expressisset. Nam quid de reliquiis, & de toto reuelationis genere sentias; sapius iam planum fecisti, & vt non feciffes, fatis ex hoc, quod Calvinianus es, liqueret.

*Addit,*

*Addit, inquis, gratum fuisse Ignatium. Suae etiam alij Christiani.* Quis negat? Sed num omnes? Deberent quidem omnes esse grati; sed num omnes sunt, quod esse deberent? Nam & tu Catholicus esse deberes, & tamen Calvinista es. Quid, quod inter ipsos gratos reperiuntur gradus. Alij enim alijs gratiores. Quod si hac laude eximie Ignatius claruit; cur inuides; cur non potius imitaris; si non Ignatij, certè virtutis gratia? *Addit, abstinuiffe à litibus.* *Abstinent,* inquis, & alij. *Quid igitur eximij habuit Ignatius?* Hoc eximij habuit; quod cum his, qui abstinent à litibus, abstinuit & ipse: quod tu & tui similes litigatores non facitis.

In capite tertio agit Ribadeneira de humilitate Ignatij. *Auctor sibi non constat,* inquit Misenus: supra dixit, illum delectatum fuisse cultu corporis mundo, & alienum fuisse à sordibus; hic ait, *vilissimo habitu ac seminudum inceffisse, & tanquam mendicum,* cum mendicis hospitatum esse. Distingue tempora; & mendax tua contradictio evanescet: posterius hoc asseruit Auctor de primordiis conuersionis Ignatij, cum Manresa degeret, & alibi locorum, ante societatem initam. Prius illud scripsit de Ignatio, cum iam sacerdos esset, & fundamenta huius religiosæ familiæ iecisset: quamuis tu pro tuo Calviniano candore, qui ab Æthiopico nō multum distat; verba Ribadeneiræ depravas, quæ sunt ista: Vestitus eius vilis & neglectus, sed mundus, cultus ipse sine cultu: Nam quod de sanctissimis viris Nicolao ac Bernardo memoriæ proditum est, paupertas semper ei placuit; sordes nunquam,

Lib. 4. c. 18

*Sequitur, inquis, lepidissima narratiuncula.* Audiamus illam non tuis sed Ribadeneiræ verbis; sic enim grauis & vera historia graui lectori videbitur, non *lepidissima narratiuncula*: Cum pater Laines à quodam ex nostris audiuiſſet in tutelam Ignatium Archangelo à Deo datum; ipsummet Patrem, verumne eſſet, familiariter interrogauit; à quo verbis reſponſum nullum accepit, ſed vultus mutatione, ac rubore oris. Sic enim eſt verecundatus (vt verbis Laines vtar) ſic expauit, vt virgo ſolet caſtiſſima à viris ſola deprehenſa. Hæc Ribadeneira. Ad quæ Miſenus: *Fortaſſe puduit ipſum alienæ adulationis; & ſilentio tamen verecundo comprobauit mendacium; quod videbat ad commendationem ſui valde eſſe vrile.* Si talis fuit Ignatius; qualis à te depingitur, nempe qui ementitis prærogatiuis nomen & ſanctitatis famam ſibi comparare voluerit; fieri non potuit, vt eum puderet illius, quod à Laine audiebat, etiamſi adulatoriè dictum fuſſet. Thraſones enim non ſuffunduntur pudore adulationibus, ſed exultant potius, & tum mirificè ſeſe circumſpiciunt, cum fictis laudibus cumulantur, cuius rei illuſtre exemplum ſuppeditabit tibi miles ille glorioſus, & frater tuus Antrogoſus apud tuum Plautum. Erubuit igitur eo modo Ignatius, quo erubere ſolent homines; virtutis & Dei amantes; cum bona & dona ſua propalata vident; quæ ipſi cæſata vellēt.

Deinde quidnam eſt illud portentum, quod addis, Ignatiū *verecundo ſilentio cōprobaffe mendaciū*: Poſſetne vllū ſilentium verecundū dici; quod comprobet mendaciū? peride eſt ac ſi diceres, ipſum *men-*

mendacium poſſe eſſe verecundum; cum proferre mendacium & comprobare prolatum, ſit eadem culpa: Non enim ſolū in culpa eſt, qui facit malum; ſed & qui conſentit, vt auctor eſt A-poſtolus. Præterea quidnam tibi in hac historia incredibile videtur? An Ignatium Archangelo in tutelā datum? Atqui incredibile tibi nō videtur; ſi quod Orthodoxis perſuaſiſſimū eſt, tibi itidem perſuaſum eſſet; nimirum, cuiſlibet homini à primo ortu deputari diuinitus Angelum cuſtodem; quod non vno teſtimonio Scripturæ; & longè pluribus ſanctorum Patrum confirmareliceret, ſi id nunc ageremus; ſed quia aliud agimus, mitto te ad commentarium Gregorij de Valentia in primam partem S. Thomæ, vbi de hoc argumento copioſè diſputat etiam contra tuum Caluinum. Quod ſi non alicui inſimo chori Angelo, ſed alicui ex ſecundo choro, qui Archangeli appellantur, Ignatius commendatus eſt: neque hoc tibi mirum videri debet, tum quia communis eſt Doctorum ſententia, non modò ex inſimo choro, ſed ex ſecundo, imò aliquando etiam ex ſupremis mitti & deputari quosdam, tanquam *adminiſtratorios ſpiritus propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*; tum quia Ignatius Ordinis longè latèque diſfuſi parens & inſtitutor futurus erat: ergo alienum à diuina prouidentia non eſt, vt ei, tanquam inaximi operis architecto, præſtantioris naturæ Angelum, cuſtodix & tutelæ cauſſa aſſignarit, quod de aliis itidem religioſorum Ordinum fundatoribus par eſt credere.

Pergis. *Supra fecit Stoicum ex Ignatio, iam transformari illum in Cynicum.* Vbinam, oro, ex Igna-

Rom. 1.

Greg. de  
Valent.  
tom. 1. di-  
ſput. 8. q. 6.  
p. 3.

Hebr. 1.

tio Stoicum Ribadeneira fecit: An suprâ vbi dixit, Ignatium scribendis regulis & constitutionibus omni affectu sese exniffe? At ibi demonstrauimus, Ignatium non aliter omnem affectum exuisse, quàm omnis incorruptus & sincerus Iudex omnè affectum exuiere debet, si officio suo legibus iustitię conuenienter fungi velit, vt proinde non modò Ignatium, sed & omnem Iudicè, Miseno iudice, oporteat esse Stoicum. Deinde cur non cõsiderasti hæc verba, quæ auctor infrâ habet in capite de mortificatis affectibus, vbi ait: Appetitus omnes sic Ignatius, Dei gratia, studio laboreque peruicerat, & obediens rationi effecerat, vt non quidem *in uia dñs*, & absque omni animi affectione esset (hoc enim hominis naturæ est alienum) sed certè, vt ab omni commotione animi, motuq; turbulento vacuus videretur, eratque id consecutus, vt cum calidus natura, corporisque constitutione biliosus esset; propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæq; consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentusq; potius videretur. Hæc verba tibi Epicureo omnem suspicionem delgnatij stoicis tollere poterant. Longè enim alia stoicis mens fuit, quod scire debebat Misenus, nisi amens esset.

At cur transformat Auctor noster Ignatium in Cynicum, si Miseno credimus? Videlicet ob hoc Ignatij desiderium, quod his verbis Ribadeneira commemorat. Mihi aliquando dixit, illud sibi à Deo petendum esse, vt ipsius mortui cadauer volucris, & feris laniandum abiceretur. Nam cum ego, inquit, sterquilinum, & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus

minibus dignum expetam. Si Cynicus est quis iacturam sepulchri facilem arbitratur: Cynicos fuisse oportet, non modò multos Philosophos à Cynica disciplina alienissimos; sed & integros exercitus, qui, vt inquit S. Augustinus, *dum pro terrena patria morentur, vbi postea iaceant, vel quibus bestis esca fierent, non curarunt.* Sed quia nonnulli Cynici cupiebant olim, sua corpora abiici escam canibus & volatilibus; ideo quisquis nunc ex animi submissione, & Christiana humilitate, idem suo corpori contingere optat, is scilicet à Miseno Cynocephalo transformatur in Cynicum, quasi non alio longè sine huiusmodi desideria conceperint Christiani, & alio Cynici; Christiani, amore Dei, & studio humilitatis; Cynici amore vanitatis, & popularis auræ, quippe *animalia gloria*, vt viderentur aspernari ea, quæ plerique mortalium maximi pendebant, splendida videlicet, & vt sanctus Hieronymus loquitur, *operosa saxis sepulchra.*

*Aut; si propter scelera se dignum iudicauit eiusmodi sepultura, de tali patre non valde gloriari poterunt Iesuitæ.* Imò gloriatur, Misene, tali patre, tam humili, & tam moderatè & submissè de se sentiente; qui cum tantis pœnitentiæ operibus, præteritæ vitæ qualiacunque peccata expiasset; cupiebat tamen, vel ipso suo iam exsanguis cadauere debitis sepulchri honoribus priuato, compensare iniuriam DEO quondam per malè commissâ illatam. Alia sunt Christianæ & religiosæ humilitatis; alia Calvinianæ & Hæreticæ arrogantia; iudicia.

S. Paulus

S. August.  
lib. 1. de ciuit, ca. 12.

S. Hieron.  
in vita S. Pauli.

S. Paulus iam Apostolus, & tot miraculis clarus: qui Deum iam non semel viderat: qui dixerat, constare sibi, se non separatum iri vllis molestiis à charitate, quæ est in Christo Iesu; *primum, ex peccatoribus*, sese appellat; insigni humilitatis documento. Nec hac professione & sententia sua Christianos absterruit, quo minus gloriarentur Paulo Apostolo & Doctore suo: imò potius hac tanta submissione incitati sunt ad vehementiorem tanti viri amorem; nec vlli ob hoc Pauli de semetipso iudicium, illum habuerunt pro scelerato; nisi Miseno similis Alexander ærarius, & alij de genere eodem.

2. Tim. 4.

*Habuiamus*, inquis, *Stoicum*, *habuimus Cynicum*, *iam planè habemus insanum*. Cupiebat enim Ignatius omnibus Indibrio esse. Et si animo indulgere suo voluisset, nudus, despiciatus & opletus sordibus, vt insanus haberetur, per vices ambulasset. *Quæ est ista humilitas*, exclamat Misenus, *simulare vesaniam*, *vel haberi pro insano*? Si insanus est, qui pro insano haberetur, vel haberi cupit, oportet certè Christum Dominum insanum fuisse; quia ab Herode, velut fatuus & mente captus, veste candida, Indibrii causa, indutus est. Insanis adiunges etiam Dauidem, qui insaniam simulauit. Stultis adiunges Paulum, & Apostolos ceteros, quia *nos stulti propter Christum*. Quæres & hic ex Christo, Paulo, & Apostolis, *quæ est ista humilitas haberi pro insano vel fatuo*? imo tanta humilitas est, vt eam ne intelligere quidem possis; nedum imitari. Au-

diuit

diuit Christus à Iudæis atrocissimum illud conuicium, *Dæmonium habet & insanit*. Audiuit & Ioan. 10. S. Paulus illud: *Insanis Paule. Quid venit insanus Actor. 26. iste ad te?* aiebat ille ad Iehu de puero Prophetæ, 4. Reg. 9. qui vixerat *Iehu in Regem super Israel*. An non eximia humilitatis fuit huiuscemodi maledicta æquo animo ferre?

At non cupiebant ferre, inquis. imo verò cupiebant: nisi enim cupiuissent, patièter & humiliter non tulissent: quia patientiæ & humilitatis opera cupientis sunt & volentis, non nolentis. Quanquam fateor, non cupuisse illos peccatum; quod patrabant, qui Christum, Paulum, & alios, tanquam insanos traducebant; posito tamen quod mali illi malè agere vellent, nulla ad id necessitate adacti, non refugerunt Christus, Paulus, & alij sancti, materiam patientiæ & humilitatis inde sumere. Idem consilium hac in re fuit Ignatij, imitatoris Christi, & Pauli, & aliorum Sanctorum, qui antea actis temporibus vixerunt.

*Si hac*, inquis, *est sapientia Iesuitica, quid stultitia sit nescio*. Omnino hæc est sapientia nostra, quia & sapientia Christi est, & Pauli & aliorum: eam tibi videri stultitiã; quid mirum? *Animalis* 1. Cor. 2. *homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: vt verissimè dixit Apostolus. Nescio qualis Christianus sis, Christiane Lithe; cum nihil pro Christo ferre sis paratus. Nisi enim pro Christi nomine insanus haberi velis; si ita occasio vel necessitas ferat; qui pro Christo vitam cum sanguine fundes? hoc enim*

enim longè grauius est, quàm illud, nisi fortè, vt verbum crucis pereuntibus; ita etiam verbū mortis Christi causa oppetendæ, stultitia sit Caluinistis.

1. Cor. 1.

## CAPVT III.

*Calumnia Miseni in caput quartum  
& quintum.*

**C**Apud quartum explicat, quid Ignatius senserit de obedientia, vbi Misenus noster totus lithus est seu lapis; sed animatus; ea de causa, quia vim & rationem obedientiæ capere nequit, voces non hominis, sed bruti alicuius mittit. *Obedientia*, inquit, *quam Ignatius commendat, non pecude, nedum homine digna est.* Legat Lector apud Ribadeneiram aurea Ignatij de Obedientia monita & dictata; & facillè animaduertet, hanc Miseni censuram non ab homine, sed à *pecude* profectam esse. Præter cetera ferre nequit Misenus hoc documentum Ignatij; quod est octauum de obedientia. Ita me instituā quasi corpus mortuū, quod neq; voluntatem, neq; sensum habet. Secundò, nō aliter, quàm paruulam quandam statuam, quam, quoquo versum velis, haud repugnātem veritas. Tertio, talē me fingam ac præstabo, qualis baculus in manu senis est, vt me ad arbitrium suum vtatur, ibique ponat, vbi eum adiuuare maximè possint, sic ego paratus ad omnia sim, ad quæ mea opera religio vti velit, nihilque recusem, quod sit imperatum.

*Hæc verba*

*Hæc verba*, inquit Misenus, *hominis insani-entis sunt; non ratione vtentis.* Si pronomen demonstratiuum, *Hæc*, demonstret tua verba; non grauatè concesserim ea insaniētis, non ratione vtentis esse; si verba Ignatij demonstraret, hæreo: imo non hæreo: sed sanctè affirmo, mecumque affirmabit, quisquis rationem non amisit, ea prudentiæ, pietatis, & doctrinæ religiosæ plenissima esse, & talia, quæ vim & naturam obedientiæ significantissimè ob oculos ponant, deprompta ex veterum patrum de obedientia præceptis, præcipuè sancti Basilij; qui Religiosum non aliter format, quam Ignatius, vt te alibi quoque monui. Vult Basilij, vir sanctissimus & eruditissimus (hoc enim elogio iure à te decoratur) Religiosum esse erga superiorem, vt *instrumentum artis erga artificem*: Ignatius, vt baculum comparatione senis. Basilij vult illum esse vt *ouem erga pastorem*; Ignatius vt statuam erga suum motorem. Basilij vult esse talem qui nihil examinet, vbi expressum peccatum non apparet, qui nullam rationem præcepti postulet, qui sine vlla inquisitione mandata capeat, promptus & alacer: Ignatius, vt hoc ipsum planius & clarius explicaret, dixit, obedientem mortuū instar debere esse; respectu eius, qui imperat. Quis enim minus, quàm mortuus, rationem ab imperante flagitat? Et hæc perfectissima & absolutissima obedientiæ forma est, quam meritò Ordinum institutores à filiis suis exigunt.

Lib. j. ca. 6.

*Quem*

S. Basil. cō-  
stitut. Mo-  
nast. c. 19.

Quemadmodum enim Deus pater omnium & exi-  
stens, & vocari volens, inquit sanctus Basilius, exa-  
ctissimam à servis suis exigit obedientiam : Sic etiam  
spiritualis pater, inter homines, ad Dei leges suas con-  
stitutiones adaptans, minimè dubiam obedientiam  
requirit. Si enim is, qui arti alicui mechanicæ, ex  
harum videlicet numero, quæ ad præsentem vitam v-  
tiles sunt, seipsum tradit, omni modo obedit artificio,  
& in nulla re aduersatur illius præceptis, & neq; pau-  
lulum ab hoc discedit, sed omni tempore in oculi  
magistri est, cibumque ac potum & reliquam diætã  
eandem suffert, quam ille præscripserit : multò magis,  
qui ad pietatis & sanctitatis disciplinam proficiscun-  
tur, vbi semel sibi ipsis persuaserunt, quod talem sci-  
entiam à præceptore discere poterunt, omnem obedi-  
entiam, & circa omnia exactissimam subditiõnem sibi  
exhibebunt : & non rationem præceptorum exi-  
gent, sed opus ipsum præceptum perficient, nisi quan-  
tum honestè, & cum decenti pudore interrogent ac-  
rudiantur, si quid ignorent ex his, quæ ad salutem at-  
tinent. Hæc S. Basilius.

Orig. lib. 1.  
cōtra Cels.

Num & hæc verba hominis insanientis sunt,  
non ratione vtentis? Sed enim meritò miretur  
quis, cur hæc obedientia videatur Miseno pecude  
digna, non homine. Num ideo, quia imperata fa-  
cit, non postulata ratione imperij? At hoc obe-  
dientiæ proprium est : quidquid calumniatur  
Misenus cum Celfo, qui & ipse olim Christianos  
ridebat; quod iis, quæ à Christiana fide trade-  
rentur, simpliciter, sine vlla inquisitione assen-  
tiantur.

tirentur. Ita enim Origenes de Celfo : Adhor-  
tatur. vt rationis ductum sequendo, accipiamus do-  
gmata, alioqui omnino fore, vt decipiamur, si assen-  
tiamur temerè, & eos qui sine ratione creduli sunt,  
similes ait esse his, qui delectantur circulatoribus &  
præstigatoribus, & Mithriacis, & Sabazis, aut qui-  
buscunque Hecates spectris aliorumue Dæmonum.  
Sicut enim illius generis homines scelesti plerumque,  
illudentes simplici vulgo, ducunt eum, quocunque li-  
bet, ita ait apud Christianos fieri solere. Addit quos-  
dam ex his ne velle quidem rationem fidei vel reddere  
vel accipere, vsurpareque illud dictum : ne examina,  
sed crede : & fides tua seruabit te. Solereque dicere;  
mala res est sapientia, bona verò stultitia. Hæc Cel-  
sus de obedientia Christianorum erga religio-  
nem Christianam, à quo tu obedientiam religio-  
sam promptè & alacriter iussa exequentem ca-  
lumniari didicisti, vt mihi quidem, nescio à quo  
pictore, ad exemplar Celsi calumniatoris ca-  
lumniator effictus videaris.

Testatur Clemens Alexandrinus, cum floreret Clem. o-  
Phryne Thespiaca, pictores omnes expressisse Veneris rat. exhor-  
imagines ad pulchritudinẽ Phrynes; & lapidas A- tat. ad Gē-  
thenis Mercurios effinxisse ad Alcibiadem. Tu tcs.  
quoque, Misene, vel ad Celsi, vel alterius vetusti  
Sycophantæ ideam efformatus es; aded vbi que  
nobis veteres illos criminatores repræsentas.  
Sed quod in religiosis reprehendis, id velis no-  
lis ipse præstare debes, si vir bonus esse velis, ci-  
uili magistratui & legib. loci in quo degis. Nam  
vt tu rationẽ reposcas à magistratu, vel legibus,  
Hh eorum,



eorū, quæ tibi faciendi iniungunt, id certè mō-  
stri simile eſſet, & hætenus in omni bene con-  
ſtituta Republica inauditum. Quæro igitur ex te  
num obediētia illa, quā non petita ratione ma-  
giſtratuī & legibus exhibes, non ſit pecude di-  
gna, nedum homine? Ac proinde uſurpate hic  
Orig.lib.1. licet verba Origenis calumnias Celfi tui refel-  
cont. Celfi lentis; *Iſti, inquit, qui verbis à nobis diſſentiunt, ope-  
ribus idem quod nos faciunt. Quis enim eorum, qui ſe  
contulerunt ad philoſophiam, aut fortè fortuna alicui  
ſectæ deditus, aut à magiſtro inductus, aliter ſe ad eam  
applicat, quam ſi credat illam præſtantiorem ceteris,  
nō enim exſpectat, donec auditis omnium philoſopho-  
rum opinionibus, earumque varietatibus, tum ſingu-  
larum aſtructionibus aut ſubuerſionibus, ita demum  
electionem faciat; Stoicusne malit fieri, an Platonit-  
cus, an Peripateticus, Epicureusne, an cuiusque ſectæ  
philoſophicæ, ſed ratione quapiam, aut potius, etiam ſi  
hoc inſcientur, impetu feruntur ad exercendam di-  
ſciplinam, verbi gratia, Stoicam, relictis ceteris.*

Paulò pōt: *Annon eſt rationi conſentaneum,  
cūm res hominum omnes à fide pendeant, Deo potiſſi-  
mum credere? Quis enim nauigat, aut vxorem du-  
cit, aut liberis procreandis dat operam, aut ſpargit in  
terram ſemina, non meliora ſperans aut credens,  
quamuis poſſint contraria accidere, & interdum  
accidant? Quod ſi omnes huius vitæ actiones, qua-  
rum exitus eſt dubius; bona ſpes futurorum & fi-  
des continet, qui hac freti nauigamus, ſeminamus,  
coniugiis operam damus, ceterisque humanis negotiis:  
quin*

*quin potius credimus Deo rerum omnium opifici. Hæc  
& plura in hanc ſententiam Origenes. Quæ ad  
Religioſam obediētiam, obſequi dūntaxat, nō  
examinare ſuperioris mandata ſolitā, per me ac-  
cōmōdes licet: diſpiciasq; num pecudem an ho-  
minē inſtruxerit S. Hieronymus; cū hoc præce-  
prum cuidam dedit: *Præpoſitum Monaſterij timeas  
vt Dominum; diligas vt parentem. Credas tibi ſalu-  
tare, quidquid ille præceperit, nec de maiorum ſen-  
tentia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere  
qua inſſa ſunt, dicente Moyle: Audi Iſrael & tace.**

Sed fatiſ de obediētia cum Miſeno obe-  
dire ignaro. Si fortè hæc ſtuporem tuum non  
expugnant, inſignem illam clariffimi viri, Do-  
ctoris PETRI STEVARTII pro Societate no-  
ſtra contra Leiſerum Apologiam adi, vbi multa  
de religioſa obediētia eleganter & ſapienter  
diſputantur.

Adi & Caſſianum, & ad ea, quæ de obediē-  
tia cūm aliorum, tum Abbatis Ioannis & Mucij  
ſcribit, bruta tua ſcholia adiice; qui quidē Io-  
annes per eiufmodi obediētiam, qualem deli-  
neauit & præſcripſit Ignatius, ad prophetiæ gradum  
ſublimatus, vt ait Caſſianus; ſic vniuerſo orbi claru-  
it, vt etiam Regibus mundi ſuo merito redderetur illu-  
ſtris. Nam cūm in extremis Thebaidis partibus com-  
maneret, nō ante præſumeret: Theodofius Imperator ad  
præpotentium tyrannorū bella procedere, quā oraculis  
illius animaretur atq; reſponſis. Quibus cōfidens, velut  
cœlitus ſibi delatis, trophæa de bellis deſperatis atq; ho-  
ſtibus reportabat. Nescio vtrum vllus Caluinifta  
per obediētiam Caluinianā ad hoc tantū ſancti-  
tatis ſtigiū ſit euectus.

S. Hier. e-  
piſt. ad Ru-  
ſticum.

Caſſian. li.  
4. de inſti-  
tut. cap. 10.  
23. & ſeq.

Cap. J. li. 5. **Caput quintum docet, quo studio Ignatius prauos affectus domuerit & mortificarit. Suprà, inquis, dixerat, Ignatium exuisse omnem affectum; hic negatur eum fuisse ἀπαθήν. Suprà dixerat Auctor, Ignatium exuisse omnem affectum, eo modo, quo iudex discutiendo testimonia & ferendo sententiam, omnem priuatum affectum exuere debet; Hic negatur fuisse ἀπαθήν, quia ut homo passiones radicitus euellat, atque adeo ut ἀπαθής fiat, eo modo, quo Stoici à sapiente ἀπάθειαν requirebāt, id fieri nequit; quia quamdiu manet fons & origo passionum; tamdiu ipsas passiones manere necesse est; nec malæ sunt, ut volebant Stoici, nisi nimix; temperatæ verò à virtutibus, virtutis etiam laudem merentur. Itaque exuere se omni affectu, est, nihil ex affectu agere; sed ex præscripto rationis; quod is itidem facere potest, qui non est omnium passionum expers; dummodo eis, cum exoriuntur, habeas non laxet, & in agendo se ab illis abripi non sinat.**

*Quæ hic narrantur, inquis, in vita Socratis, Demonactis, aliorum, pulchrius exprimuntur. Hic videlicet Miseno mos est, cum non habet, quod carpat, dicere consuevit, in aliis pulchrius quam in Ignatio hæc vel illa elucere. Primum enim, etiam si verum esset; nihil tamen ad rem faceret. Secundò falsum est, quod Caluinista ait, nulla enim virtus est; quæ non sit pulchrior in animo Christiano, quam in Ethnico; ut suprà itidem dictum, quia in hoc cum gratia cœlesti coniuncta est; expers vitiorum, saltem enormium, si non leuium & tenuiorum: At in animo Ethni-*

Ethnici, vitis maximis, quibus obfessa est, ferme tota virtutis pulchritudo obliteratur; Quantis enim sceleribus, etiam optimi Ethnicorum, contaminati fuerint; nemini ignotum est, nisi Miseno; qui Ethnicos extollit, ut deprimat Christianos; quasi illorum in altum elatio, sit horum depressio & ruina. Nec puduit illum in his scholiis sapius obiicere, & præclare factis Ignatij opponere facta Diogenis Cynici, quasi hominis virtute præstantis, quem flagitiosissimum & sceleratissimum fuisse, & vix vmbra virtutis, nedum ipsam virtutem habuisse, vel illud vnum satis superque ostendit; quod de illo Galenus Galen. lib. 6. de locis scriptum reliquit. Nec exscribo, quia nolo contaminare chartas eorum turpitudine, quos Caluinista iste tanquam Sanctos laudibus in cœlum tollit.

*Addis, auctorem nostrum pleraque ad Ignatium exornandum accepisse ex Asceticis Euagrii, vel Basilij, ut vulgò inscribuntur: Si Ignatius vitam suam conuenienter diuinis sancti Basilij præceptis instituit; & ad illius asceticas cohortationes mores suos conformauit; laude non vituperatione dignus est; cum ad sanctissimi & eruditissimi viri normam sese composuerit. Deinde quid sibi volunt illa tua verba: Ex Asceticis Euagrii, vel Basilij, ut vulgò inscribuntur. An negare vis Basilium esse auctorem regularum & constitutionum monasticarum; quæ in illius monumentis existant? Quo argumento id negabis, nisi odio Monachorum; quia doles ea de obedientia, paupertate, castitate; vno verbo, de vota œconomia religiosæ vitæ à grauissimo & antiquissimo patre scri-*

pta, quæ vix tam expressè reperuntur in regulis sancti Benedicti, sancti Dominici, sancti Francisci, & nostri Ignatij. Fortasse odoraris aliquam styli diuersitatem; Ita credo. Nullus stylus, qui Monachos formet, Basilianus tibi videtur, vt nec Erasmo Augustinianus ille in regula sancti Augustini. Sed quia hanc tuam ignorantiam dicam an impudentiam, potius hic innuis, quàm prodis, pluribus superfedo, tantumque sancti Hieronymi verba adscribam. *Basilius Casarea Cappadociae Episcopus egegijs contra Eunomium elaborauit libros, & doctrinam, & breues variosq; tractatus.* Hæc S. Hieronymus.

S. Hier. de  
viris illust.

Post hæc exprobrat humanissimus Misenus Ignatio *ἀσέβειαν* & inhumanitatē in cognatos, quod decem, vndecimue annis ad nullum ex Lojolæa familia scripserit. Sed hanc inhumanitatem communem habet Ignatius cum sancto Paulo Eremita; qui sexaginta & amplius annis ad nullum penitus mortalium scripsit; Non paucis item Antonius; non paucis alij, quorum prima cura, commercio & consuetudine parentum & cognatorum sese abdicare ex præcepto Domini; qui inter res à perfectionis sectatore relinquendas; numerauit quoque parentes & cognatos.



## CAPVT IV.

*Refelluntur criminationes Miseni in caput sextum.*

**S**extum caput continet modestiam Ignatij & efficaciam sermonis. *In hoc capite, inquis, discimus primùm Ignatium fuisse perfectum. Nam ipse Ignatius, presente auctore dixit; se vndecim annis ne verbo quidem lapsum: Nos, Misene, in hoc capite, iterum discimus, quam mendax sis, & quam veritatis curam in postremis habeas. Non dixit Ignatius, non scripsit Ribadeneira, quod tu mala fide comminisceris; leætorique tuo summa fraude obrudis. En verba Auctoris à te malitiosissimè deprauata, & in alienum planè sensum detorta. Vndecim annis antequam moreretur, amicissimo cuidam viro ac nobili suam operam, in quodam negotio, est pollicitus: postea se promississe pœnituit; & hac de re, me presente, agens, adiecit: Vndecim duodecimue sunt anni, ex quo non memini me ita verbo lapsum, neque quippiam promississe, cuius postea me pœniteret. Hæc Auctor, ex quibus clarè liquet: quafrente & mète vitam Ignatij tractes. Nam dicere vndecim annis nunquam se ita lingua esse lapsum, vt lapsus erat tunc, cum promissit, cuius eum postea pœnituit; id longè aliud est, quàm dicere, se vndecim annis nunquam lingua lapsum esse, hoc est, verbum otiosum aut inutile protulisse.*

*Addis, supra voluit se mortuum lacerari a canibus: ego viuum vellem laceratū. Nō dubito de tua voluntate: sed bene habet; non es Deus, quare*

non oportet, vt oremus: *Fiat voluntas tua*. Licet nobis sine vlla impietatis nota negationem addere; & toto pectore precari; *non fiat, non impleatur voluntas tua*, quia iniqua est, quia scelerata est. Quanquam quod ad Ignatium attinet, nihil ambigo, quin etiam viuus à canibus lacerari, & quodcunque aliud supplicium subire desiderarit: si id Dei gloria & fidei profitendæ necessitas abs se postulasset. Sed caue, ne quod imprecaris Ignatio, in caput tuum recidat, nondum es extra teli iactum. Scis quid Luciano euenerit. Ex odio in Christianos pessima quæque Christianis imprecabatur; & fortè hoc ipsum, quod tu Ignatio: An non tandem rabidis molossis ipsemet in prædam cecidit, iusta numinis vindicta. De voto Ignatij post mortem circa corpus exsangue supra egimus. Hic tantum addo, fortassis ideo Deum noluisse, vt mortui cadaver à volucris & canibus laceraretur; quia futurum videbat; vt existerent Calviniani canes, & inter illos iste Melampus, qui; quando in corpus nihil possunt, famam & nomen Ignatij atrocissimis calumniis proscinderent & lancinarent; quod si sepulchrum Ignatij in vestra potestate esset, non paulò inhumanius quàm canes, defunctum iam pridem vita Ignatium acciperetis.

Nonnulli, inquis, qui Societatem hanc deseruerunt, affirmant, neminem huic esse religioni aptum, nisi qui vel naturalem quandam, vel stupore quodam animi arreptam propensionem habeat

beat ad hypocrisim, & superstitionem, seruilisquæ & stolidos homines tantum facillimè arripere hanc stolidam & seruilem religionem sibi naturaliter conuenientem. Metuis, opinor, ne Edicto veteris conuiciari; ideo ambabus buccis conuicia spargis. Fortassis Apostata illi se descriperunt; non nos: plerique enim, qui Ordines deserunt, stolido & stupido sunt ingenio, vt proinde ex viginti transfugis, vix vnum reperiās, cui ex pectore aut cerebro non excreuerint aliquot stiones. Secundo quod tu de nostro; id olim iudicabat Celsus de toto ordine Christiano. In hunc enim sola mancipia; solos *stolidos & fatuos* allegi blasphemabat; vt alibi te monui: Et Christianam fidem nominabat *disciplinam lanificum, sutorum, fullonum & illiteratissimorum agrestium*. Tertio cum ideo nos *stolidos* reputes; quia Ecclesiæ Romanæ Catholicæ dogmata, ritus & cæremonias tuemur & propagamus; & quia obedientiæ & prompti obsequij apprimè retinentes sumus, non multum angit nos tuum conuiciam; stolido videri stolidum, tam mirum non est, quàm mirum non est omnia apparere rubentia aut cærulea illi; qui rubra aut cærulea ocularia oculis obiicit; quidquid enim talis intuetur; id intuetur per stoliditatem; qua de causa representantur ei omnia vt stolidia. Non frustra vocaris *lithus* seu *lapis*, Misene: Valet hic triuiale illud: *Conueniunt rebus nomina sepe suis*.

Sed finis nullus sit, si singulas tuas calumnias prescius & fusius quis examinare velit. Perga-

mus ad ea, quæ sequuntur. Refert Ribadeneira, quo pacto Cardinalis quidam, vnico Ignatij congressu & colloquio, ex aduersario in summum patronum & fautorem fuerit commutatus; ita vt ad Ignatij pedes abiecerit, veniam impetrandæ causâ, ob animum societati antea infensum & infestum, idq; ait Ribadeneira se ex eiusdem Cardinalis domestico; cui nomen Quirino, intellexisse; Quirinum autem ex ipsomet Cardinale. Hic Misenus: *Inseritur falso, vt apparet, conficta historia de quodam Cardinali; quem partim laudo, partim vitupero.* Cardinalem partim laudas, partim vituperas; nec totus laudator, nec totus vituperator; vir semibos, & bos semiuir, totus duntaxat calumniator, seu partim laudes, seu partim vituperes.

*Laudo, inquis, ob id, quod dixerit, multos esse, qui speciem quidem pietatis habeant; sed factis eius abnegent veritatem: ipsum Ignatiū inuenens: Imò Misenum, & similes; qui sub Enagelicæ veritatis specioso vocabulo, omnem veritatem in exiliū relegarunt, & in locum eius mendacium & vanitatem & impudentiam substituerunt. Et quâuis verbis illis Cardinalis ille, adhuc alienus ab Ignatio, Ordinistq; ab ipso instituti ignarus, Ignatiū comprehendisset; at ex horū numero eundē postea exemit, insigni voluntatis conuersione. Vitupero, inquis, Cardinalem, hac de causâ, quod se ad pedes Ignatij abiicit, & suppliciter veniam petiit. Certè multum moratur Cardinalis ille, ante tot annos ad meliorē vitam translatus, vituperationem tuam. Excelsior fuit tum, cum viueret,*  
tum

tum iam; quam vt à tua reprehensione feriri possit. Vituperationes tuæ in Pontificem & Cardinales, ne ad alpes quidem Rheticas pertingunt: multo igitur minus ad cœlum, si conuicia iaculeris in eos, quos iam quieta beatorum sedes recepit. Infelicem Cardinalem, qui te familiarem non habuerit, à quo didicisset, Ignatium potius canibus lacerandum abiici, quàm tanto mutatæ voluntatis argumento honorari debuisset. Doleo te tam serò natum, & ita quidem, vt in vno duntaxat loco verferis. Tantum virum omni loco & omni tempore oportebat esse præsentem; vt quemuis sui officij admone-ret; & ne quid contra decorum ageret, commo-nitionibus suis præpediret, vel saltem, si hoc nimium est, vt Plautinum illum Sosiam & Amphitryonem conduplicari decebat, vt duo minimum loca simul tanto thesauro præsentis fruerentur.

Adiungis. *Hoc tamen factum esse vix crediderim.* Digneris, oro, credere, Misene; quia nisi credas, factum infectum erit; Facta enim à tua credulitate, & à tuo assensu pendent. Si credas facta esse, facta sunt; licet nunquam sint facta. Si credas non esse facta; facta non sunt, licet facta sint. Sed videamus, cur non credas factum: non enim tibi desunt sine ratione rationes. *Non ponitur, inquis, nomen Cardinalis.* Vel hoc vnicum exemplum docet, quamente sis, qua fronte, quo ore. Si ex his, quæ hucusque singulis pagellis temere & impudenter effudisti & effutiuisti, te perfectè non nossem, hoc loco perfectissimè te agnoscerem;  
&

& quantus calumniator sis, perspicuè intelligerem. Quid? non exprimitur nomen Cardinalis? Nonne disertis verbis ait Auctor Cardinalis hunc fuisse *Ioannem Dominicum de Cuppis sacri Collegij Decanum*? Cur tam impudenter mentiris Misene, ita, vt quiuvis tuum mendacium deprehendere queat? Quod tu paulo post ais de Ribadeneira, hoc ego verissimè de te affirmauero. *Impudentia mentiendi non deest tibi, artificium hoc loco tibi defuit*. Cur si non verè; saltem non cautè? *Pudeat te, Calvinista deterrime; pudeat, inquam, te, qui quæ manifestò & perspicuè facis; eorum culpam in innocentes confers: quæq; in te insunt, (vt impudentia mentiendi & calumniandi, iis (Ignatio & Ribadeneiræ) ea obiciis, ad quoseorum, ne minima quidem pars pertinet.*

Secunda Miseni ratio similis est primæ. *Multi, inquit, sunt Quirini, & Quirinum illum nullius coloris ego noui*; falsum est ergo, quod Ribadeneira de illo Cardinale commemorat. Verè hæc scripsisti in Bacchanalibus, ebruius mero & odio, ne dicam furore. *Multi, inquis, Quirini sunt*: At non sunt multi Quirini Garzonij; sed vnus, qui Ignatium sociosq; hospitio benignè excepit in vinea sua apud cœnobium sanctæ Trinitatis. An non legisti ista in Ribadeneira? Quare dissimulas, nisi quia in id vnicum incumbis, vt mentiendo & calumniado in Ignatium grasseris. Edidit auctor nomen & cognomen eius, qui totum hoc factum ex ore ipsius Cardinalis accepit; addidit alias peristases, ex quibus facile,

cile, quis homo esset, innotescere poterat: Misenus noster nihil horum vidit, cæcus ad omnè veritatem; oculatus ad sola scommata & conuicia. *Non noui illum, inquit, ergo commentitium est, quod Ribadeneira hoc teste probat*. Rationes istæ *ne pecude quidem digna* sunt, nedum homine. Si nullius testimonio assentiris; nisi quem noueris; necesse est, vt nihil credas, nisi quod videas; vel certè cuius rei, tanquam gestæ, testem oculatum videas, vt proinde consequens sit, te, quod alibi me dicere memini; fidem non habere in mente, sed in oculis.

Pari fide tractas historiam, quam huic subnectit Auctor, de quodam præstantis dignitatis viro, morum minus probatorum; qui vno colloquio Ignatij prioris vitæ cursum abruperit, seq; ad meliorem frugem receperit. Duo opponit huic historię Misenus: Primum est, *non exprimi nomen*: Quid tum? nomen silentio de industria prætereo; ait Ribadeneira. Iustissimam celandi causam habuit; si te tanta cupido tenet sciendi nominis; scribe ad Ribadeneiram; qui Toleti in Hispania degit, non grauatè tibi, sed soli, viri huius nomen patefaciet. Secundum est; *simile quid egerunt Ethnicici*; nam & isti aliquando, vna de virtutis pulchritudine dissertatio ne, ita incenderunt flagitiosissimos quoque, vt statim, sordibus superioris vitæ relictis, ad philosophiam sese adiungerent, vt nominatim accidit Polemoni, audito Xenocrate. Argumentum hoc non infirmat fidem historię, sed confirmat & te tuosq; Calvinistas condemnat; si enim Ethnicus de virtute differens, ea vi valuit, vt perditos desiderio hone-

honestatis completeret, & in eorum animis mirabilem virtutis amorem excitaret; quid non credimus effecisse Ignatium, Spiritu Dei plenum; & diuinæ charitatis igne succensum, & salutis proximi procurandæ cupidissimum & sitientissimum?

Quem vnquam meliorem fecit suis sermonibus Caluiniana perfidia? Quis non multis gradibus deterior efficitur; quàm primum Caluinianus efficitur, cuiuscunque sectæ, propè dixerim, antea fuerit? Solus Christus & Christi imitatores ex iis, quicumque fuerunt; *difficillimas feras homines mansuefecerunt; Vtar enim verbis Alexandrini Clementis, Volucres quidem eos, qui ex ipsis sunt leues: serpentes verò, qui deceptores, & leones eos, qui sunt animosi, & ad iram concitati. Sues autem eos, qui sunt voluptati dediti, lupos autem eos, qui sunt rapaces: lapides autem & ligna eos, qui sunt insipientes.*

Sequitur, inquis, narratio *futilissima* de quodam, quem *tristitia* Ignatius vno verbo liberauit. Historia hæc est: Scimus quendam venisse ad Ignatium, qui adhuc viuuit in Societate, ita percussus animo acerbo, eoq̃ue diuturno mœore confectum, vt nunquam respiraret, aut tranquilla mente conquiesceret; Et cum tristitiam animi sui aperuisset, vno Ignatij verbo, in hodiernum diem omni molestia liberatum. Hæc Ribadeneira. Ex quibus facile perspiciet Lector, vtrum id, quod refert Auctor sit futile, an verò tu *futilis* calumniator debeas appellari, scribere solitus non *vtillissima*, sed *futilissima* scholia,

Sapè

Sapè accidit, vt viri sancti non modo corporis, sed & morbos animi paucis verbis curarent. Non modo tunc, cum *seruet auaritia, miseraq̃ cupidine pectus*: Sed & tunc, cum tristitia absumeris, *sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem possis, & magnam morbi deponere partem.* Si verba tua tam potentia & efficacia non sunt; quid miraris? Non prodeunt à Spiritu diuino; sed à Caluiniano. Sermones & alloquia hominum sanctitate præstantium, sunt instar *sicera mœrentibus*, & instar vini *hi, qui amaro sunt corde.* Bibant, inquit Sapiens, & *obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.*

Prou.vlt.

Sequitur, inquis, *futilior alia* de quodam melancholico, qui *umbram suam* formidavit, cui Ignatius *paucissimis verbis & vanum metum ademerit, & mentis securitatem restituerit.* Huic historię, quid obiciat, nihil video, præterquam, quod *futilem* vocas: An tibi res *futilis* videtur; si quis altera paucis verbis liberet à tam graui affectu; vndeunque tandem procedat siue ex melancholia, siue ex aliis causis; non enim ideo tenuius erit factum Ignatij, imò illustrius, cum medicina tam facili non modo effectum, sed & causam funditus sustulerit, quod excellentium medicorum proprium est. Fortasse nescis, quàm vanus metus cruciet, & quantum sit tormentum, cum quis, vt Lyricus canit, seu *mobilibus veris inhorruit aduentus foliis, seu virides rubum dimouere lacerta, & corde & genibus tremis.*

Legite

Clem. A-  
lex. exhor-  
tat. ad Gé-  
tes.

*Legite vos Iesuita, inquis, vitas Lutheri, Philippi, Caluini, & proferte ex iis similes fabulas, si potestis: primū, miror te prætermisisse sanctissimam vitam Bezæ. Secundo, fateor nihil simile ex horū vitis proferri posse. Cui enim vnquā ægro vel verbis vel herbis medicinam fecerunt isti non medici, sed latrones animarum, qui vbi conscientias cauterio inusserunt, agrisque quasi bene valeant tum, cum insaniant, persuaserunt, & inanissima quadā plerophoria & fiducia compleuerunt, præclare se munere suo functos arbitrantur.*

De catechumeno quodam Hebræo, hoc memoriae prodidit Ribadeneira: Antequam catechumenorum domus Romæ esset instituta, domi nostræ erudiebantur, qui ex Hebræis sacrum baptismum petebant: in his quidam Isaac nomine, insanire ita cœpit aliquando, & quasi furiis agitari, vt è domo nostra se proripere statim vellet, & baptismi petitionem abiicere: neque aut retineri à nostris, verbis & blanditiis, aut vlla alia ratione posset ad sanitatem reuocari. Cui Ignatius ad se adducto, furentique, illud tantum: Maneto nobiscum Isaac. Quibus verbis placatus omnino eius animus continuo est, sibiq; restitutus, lætusque domi in sententia permansit, baptismumque suscepit. Hanc historiam duabus machinis oppugnat Misenus. Altera; *Isaac ille vel verè, vel simulatè furiosus fuit. Quis dubitat, Misene. Omnis furiosus, vel verè vel simulatè furiosus est. Rarius exciderent tibi mendacia, si sæpius disunctim loquereris, sed non video quid cum tua disunctina enunciatione effi-*

*efficias, præsertim cum nihil prorsus adiungas, aut ex illa disunctione concludas. Nam si dicas: Hebræus ille, vel verè vel simulatè furiosus fuit; ergo fictitium est, quod Ribadeneira scribit; id tantum valet; quantum valeret hæc argumentatio; Misenus vel homo est, vel equus: ergo non est rationis particeps. Quod si integrum syllogismum formare velis, in hunc modum; Omnis furiosus vel verè, vel simulatè furiosus est; Sed Hebræus ille non fuit verè furiosus, ergo simulatè. Tum probare debes minorem propositionem: quam tamen alia ratione non confirmas, nisi per maiorem: quia omnis furiosus vel verè vel simulatè furiosus est: Ergo Hebræus ille non fuit verè furiosus. An non sunt istæ egregiæ & Chryssipææ & Carneadeæ probationes, dignæ Caluiniano acumine?*

Altera machina, qua veritatem huius historię oppugnas, est ista. *Has quisquillas par erat vestris tantum offerri; Poteras, Petre, has quæcunq; tuas tantum communicare cum tuis sociis, non publici iuris facere.* Hoc argumento, iisdem pæne verbis, vsus est etiam Misenus libro primo, vbi ostendimus, quanti sit ponderis & roboris. Nam si ad aliquid profligandum satis sit hæc verba Miseni effudisse, nullius negotij erit vnico ictu quatuor libros Dialogorum S. Gregorij, & totam historiam religiosam Theodoretij prostertere. Faciamus enim, Misenum, hoc suum scholium ad libros illos S. Gregorij & Theodoretij apponere (Tantum enim historiis illis fidei habet; quantum vitæ Ignatij à Ribadeneira con-



scriptæ) num propterea merito nobis persuadē-  
bimus, fabulas & quisquiliās esse, quæ duobus  
Auctores commemorant; quia Misenus Calu-  
nianus fabulas & quisquiliās esse pronūciat; nō  
allata vlla huius sui decreti ratione; & quia pro  
sua gravitate S. Gregorium & Theodoretum  
increpat, quod hæc talia scripserint, & euulga-  
rint?

Aliud de Ignatio his verbis Auctor tradit. E-  
nergumenum quendam sermone suo liberavit,  
qui (vt arbitror) in sanctissimo quodam cœno-  
bio vituit adhuc, mihi familiariter notus, ante-  
quam à diabolo liberaretur, & post. Hic Misenus,  
*mendacium*, inquit, *vnum atque alterum non  
satis habet posuisse; nouis enim semper priora cum-  
lat.* Te depingis, non Auctorem. Nam hoc tu  
peculiare habes; quod tua Scholia, quanta quā-  
ta, plana faciunt. Deinde si non depudisses, pu-  
dere te tādē deberet huius tui moris tam sol-  
lemnis & inueterati; quo soles grauissima dicta  
& facta non aliter refellere, quam his verbis;  
*Mentitur Auctor; mendacium est; non addita vl-  
la causa; cur tibi videatur esse mendaciū; quasi  
necesse sit, mendacium esse quidquid tu men-  
dacium esse asseueras.*

Ceterum ne tibi iniuriam faciam; duas ratio-  
nes affers. Altera est ista. *Ego puto nullum vnquam  
fuisse talem energumenum.* Ergo si quis ex te quæ-  
rat; cur mendaciū sit hæc Ribadeneiræ historia,  
expeditè rationem reddis: *Quia ego puto nullum  
vnquam fuisse talem energumenum.* Quis non ac-  
quiescat? Quis non manus absque mora det;  
quando ita putat Misenus? Quis non submittat  
falces

fasces ita putanti Miseno? Altera est ista: *Cœno-  
bium, in quo iste viuit, puto esse in Vtopia: Ergo men-  
dacium est, quod Ribadeneira scribit.* Assentior, Mi-  
sene, & pedibus manibusq; in tuam eo senten-  
tiam, conuictus hac Vtopiana ratione, ab homi-  
mine Vtopiano adducta. Forte euangelizandi  
caussa nauigasti in Vtopiam, sicut Kicherus cum  
suis Symmystis in Galliam Antarcticam; ibique  
hoc cœnobium contemplatus es; & in eo fratre  
Basilium. Hoc enim nomen accepit post ingres-  
sum in Religionem. Vanissime mortalium; an  
hæc scribens nullos te putabas habiturū lecto-  
res præter Calvinistas, hostesq; Iesuitarum & o-  
siores; qui hæc tua mendacia & conuicia filo tam  
crasso contexta, non animaduertent? Non  
in Vtopia, vt tu cauillaris, Monasticen vitam i-  
ste professus est, sed in Italia, *in Camaldulensi Ere-  
mo*; vt auctor ait: Si non credis: confer te ad il-  
lam eremum, eiusq; incolas de fratre isto exa-  
mina, aut mada hoc alicui ex tuis sodalibus, cui  
forte animus, lustrare Italiam. Sed tales non so-  
lent adire Eremos Monachorum, sed lustra ga-  
neonum.

At necdum finis de hoc energumeno. Diabo-  
lus ab Ignatio ex iuvene illo expulsus in Misenu  
immigrasse videtur; aded furit & insanit hoc  
loco Misenus. *Si vera sunt, inquit, quæ Ribadenei-  
ra scribit; omnia facta sunt per simulationem.* Non  
sani, sed insani hæc est oratio. Si enim vera  
sunt; quomodo per simulationem facta sunt,  
& si per simulationem facta sunt, quomodo  
vera sunt? *Subornauit, inquis, proculdubio I-  
gnatius, vt etiam miraculis inclaresceret, Hispanum  
adolescentē, qui se simularet à Diabolo obsessum.*

Iterum ades cum tuo *proculdubio*, quod proculdubio luculenti alicuius mendacij index est, vt experientia ipsa non semel edocti sumus. Ab hominum memoria auditum non est, Misene, quempiam ex orthodoxis subornasse aliquem, qui se *fingeret* malo quopiam affectum, vt commentitij miraculi patrandi materia sibi offerretur. Hæreticorum ista artificia sunt, qui cum nequeant inclarescere veris miraculis, inclarescere student non tam miraculis, quàm præstigiis vanisque ludificationibus, cuius illustre exemplum persecutio Vandalica nobis suppeditat

Greg. Tur. apud Gregorium Turonensem; vt taceam ea, lib. 2. hist. quæ ex recentibus Calvinianorum commentariis depromi possent. Dæmones ex obsessis corporibus profligare, in Ecclesia Catholica

Tertull. ad neque modo inusitatum est, neque olim fuit. Scapulam. Dæmones, inquit Tertullianus, non tantum re-

*spuimus, verum & reuincimus; & de hominibus expellimus; sicut plurimis notum est.* Denique quàm multos Dæmones ex obsessis corporibus exterminarit S. Antonius & S. Hilarion, abundè docent Athanasius & Hieronymus; num & isti mendacia referunt? Num S. Antonius & S. Hilarion subornarunt, qui se energumenos fingerent, vt ipsi, quasi grandibus perpetratis miraculis, celebrarentur?

Adiungit Ribadeneira: Hic adolescens, vel Dæmon ex adolescente, cum audiret Ignatium breui domum rediturum, & ipsum ex obsessi hominis corpore exturbaturum, validè sese discerpens clamabat; Ne mihi nominetis Ignatiū, què ego inimicissimum habeo. Hic Misenus: Ignatiū, vt puto, Roma nō exierat. Quid nobis cum

tuo mendacissimo puto; puto, ais, Ignatium Roma non exiisse. Quasi verò domo abesse nequiverit, nisi Roma exiisset. Roma satis ampla est & vasta; vt minimè sit necesse Roma egredi, quò quis domo abesse dici queat. An tu nunquam domum redis, nisi prius ex vrbe aut pago, in quo degis, exiueris? Quid opus est ista tua *putatitia* glossa; cum ipsemet Ribadeneira testetur, Ignatium tum fuisse in cœnobio D. Petri de Montorio, quod intra, non extra Romam est.

Scribit Ribadeneira, Patauij militem à Dæmonè occupatum; cum sacris exorcismis Dæmonè adiuraretur; sæpius de Ignatio loqui cepisse, qui tamen Ignatium de facie nunquam noverit. Hoc iste refellit solito modo. Ait, *militem istum fuisse à Iesuitis subornatum*: Nec aliter probat, nisi afirmando: Assertio & probatio apud Misenum idem sunt, sed non apud Miseni dissimiles; quibus non persuadetur aliquid esse mendacium; nisi aut per se liqueat, aut solidis rationibus demonstretur. Rationes Misenus nullas affert. Per se non liquere, tam liquidum est, vt cæcum esse oporteat, qui aliter sentiat. An non enim sæpius euenit, vt Dæmoniaci de viris sanctis; quantumuis absentibus, varia commemorarent, nō sine admiratione audientium? De Hilarione in Sicilia, & Energumeno Romæ eiusmodi quiddam refert sanctus Hieronymus. S. Hier. in Scutarius quidam cum in Basilica S. Petri torque-

retur, clamauit ab eo immundus spiritus: Ante vita S. Hilarion, paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion seruus Christi, & nemo eum nouit, & putat se esse secretum: ego vadam, & prodam illum: statimque cum ser-

*uulis suis, ascensa in portu naue, appulsus est Pachynum, & deducente se Damone, ubi ante tugurium senis se prostravit, illico curatus est.* Alia huius generis exempla refert idem sanctus Hieronymus de eodem Hilarione, & S. Athanasius de sancto Antonio.

Auctor est Ribadeneira Drepani in Sicilia, puellam quandam, quæ à Dæmone vexabatur, interrogatam à sacerdote, post mortem Ignatij; Vtrum Ignatium nouisset, & vbinam esset, respondisse; Ignatium, inimicum suum, vita perfectum in cælo esse, inter alios sacrarum religionum fundatores. Addit Ribadeneira; Quæramet si, quod à Dæmone profecta sint, certam non habent fidem, tamen quoniam Dominus veritatem ab illo sæpe exprimit inuito, hæc quæ & veritati, & Ignatij moribus consonant, non sunt quasi falsa repudianda. Nam homo habens Dæmonium immundum, exclamauit voce magna dicens, sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio te, quod sis sanctus Dei. Et alibi, exhibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei. Voluit itaque Dominus, vt Dæmon ipsum vel inuitus agnosceret, & Dei filium testaretur.

Hic Misenus. *Ad me, quod attinet, non quasi falsa repudio, sed vt mendacissimè conficta aspernor, imò execror.* Quid tanquam mendacissimè confictum aspernaris? An Dæmonem ore illius puellæ dixisse ea, quæ dixisse scribitur; an dixisse quidem fateris; sed non verè? Si prius: redde caus-

causam negationis tuæ, quam toties à te reposcam, quoties sine causa aliquid negaueris. Nū Dæmones etiam ea, quæ ad laudem Sanctorum spectant, negas proferre posse per ora illorum, quos obfidet & cruciatur? Annumera ergo fabulis, id q̄ S. Hieron. de S. Hilarione in Siciliâ nauigante tradit. Cum enim in ipso decursu capitalis ille hostis filium naucleri inuasisset; clamare cepit & dicere: *Hilarion serue Dei, cur nobis per te, & in pelago tutos esse non licet? Da mihi spatium donec ad terram veniam, ne hic eiectus præcipiter in abyssum.* Si negas, Dæmonem verè dixisse; quæ de Ignatio prolocutus est: quoddam Dæmon sit mendax: tum nega similiter, verè locutum esse Dæmonem, cum Hilarionem seruum Dei, aut cum Christum filium Dei appellauit; nam qui ita mendax est, vt nunquam possit vera profari; is neque hic vera prolocutus censeri debet. Sed alia, vt video, cura te coquit; quæ tam atrociam tibi verba exculsit; propter clausulam impiam, *execror*, inquis, quæ Auctor recenset. *Vt enim suum militem Christo, filio Dei, similem faciat, non veretur citare ex D. Luca verba Damonij immundi.*

Quam imperitus conuiciator es Misene, miserer me tui; tùm quia calumniator es, tum quia tam insulsus & ineptus. Quæ est enim ista consecutio. Auctor citat verba Damonij de Christo: Auctor, vt probet Dæmonem non semper mendaciter dicere, id quod dicit, adducit eiusdem testimonium de CHRISTO longe verissimum; quamuis à patre mendacij profectum;

Ergo Auctor facit Ignatium similem Christo, & veritatem Euagelicæ historiæ cum suis turpissimis mendaciis confundit. Fecisti, Misene, alicubi iacturam cerebri, & vt apparet, irreparabilem, alioqui haud tam insipienter, quidquid in buccam venit, effutires, chartisque concremandis illineres.

## CAPVT V.

*Calumnia Miseni in caput septimum, octauum & nonum.*

**C**Apite septimo exponit Ribadeneira, quomodo Ignatius seueritatem cum benignitate temperauerit. Hic Misenus, *nescio quid agitur in hoc capite de seueritate Ignatij cum benignitate copulata*: Si nescis, cur non obmutescis? Cur carpis, quæ tuo testimonio non intelligis? Ais, qui paulo ante commendauerat lenitatem Ignatij, iam eum & iniustitiæ & crudelitatis & impudentiæ insinulat, cum dicit, in leuibus erratis grauius interdum exempla Ignatium statuisse. Nec iniustus, nec crudelis, nec imprudens Ignatius fuit, puniendo interdum leuiora delicta grauioribus poenis. Licet enim seorsim spectata viderentur leuia, grauius tamen erant tum quatenus alios inficere, & ad simile quid audendum allicere poterant, tum quia quædã actu quidem sunt tenuia; at grandia potentia, & nisi tempestiuè recidantur, non leuia damna ferunt. Qui ergo grauiorè poenam delicto tenuiori statuit; is non tam ad præsentia, quam ad futura respicit, sine vlla iniustitiæ, crudelitatis & imprudentiæ nota; & hoc vsu receptum est,  
non

non modò apud eos, qui Religiosis Ordinibus, sed & apud eos, qui politicis Rebus publicis præsumunt; quoties enim videmus moderatores Reipublicæ non ad eò graue peccatum, graui poenam multare; ea solùm causâ, ne trahatur in exemplum, neue quod vnus fecit, omnes sibi licere arbitrentur, vt taceam, in religionibus, non semper haberi tantùm rationem æquitatis illius, quæ ex iustitia inter culpam & poenam esse debet; sed etiam probationis; nam præpositi Ordinum sine culpa quoque puniunt interdum suos, tum vt illis patientiæ materiam suppeditent, tum vt explorent, quantos in virtutibus, & in via Domini progressus fecerint. In religionibus necesse non est omnia agi iure politico & despotico, pleratq; metimur iure paterno, quod laxius est, quam ciuile, nec summam æqualitatem desiderat.

*Quæ sequuntur, inquis, cum præcedentibus quodammodo pugnant.* At tam certum est ea, quæ sequuntur, cum præcedentibus non pugnare, quàm certum est te non quodammodo, sed splendide & largiter mentiri. Ais, *si quantum quisque oneris ferre poterat, tantum cuique imponebat, cur non eandem moderationem in supplicijs vsurpabat?* Imo vsurpabat. Nam & poenæ grauiorè, quas ob leuiora errata nonnunquam infligebat; non erant supra vires eorum, quibus infligebantur, sed attemperatæ erant singulorum viribus, licet simpliciter non viderentur attemperatæ ipsi delicto; non enim est quod cogites, Ignatium tam imprudentem fuisse, vt cuiquam im-

Ii 5      poneret

imponeret pœnam seu ob leuius, seu ob grauius erratum, cui perficiendæ sat firmus & valens nõ esset.

*Reliqua quæ adduntur*, inquis, *etiam in idiotarum vita frequentari videmus*; quod ego magis oportum quàm credo: nam ea ne in tua quidem vita elucere arbitror; si de vita ex oratione iudicium facere licet: qui tamen non inter idiotas, sed inter eruditos censi cupis. Quid verò tibi in mentem venit, vt diceres, laudes Ignatij, quas Auctor hoc capite persequitur, ex Sozomeno, Eua-grio, Socrate, & aliis congestas esse. Auctor noster scribens de Ignatij virtutibus, ipsam Ignatij vitam, & mores, & res gestas pro Auctore habuit, non alios; Si quis te describere institueret, non sanè alios, præter te, intueri deberet; si te verè depingere cogitaret. Præterea quare nõ notasti loca, ex quibus Ribadeneira hæc, quæ de Ignatio commemorat, corraferit. Dicenti tantùm, ne initio quidè credidimus, cur crederemus iam sub finem, post tot mendaciorum centurias?

In capite octauo, inquis, de commiseratione Ignatij disputatur, *quasi ομ. π. α. δ. ε. ι. κ. in nullis aliis hominibus reperiat, præterquàm in Iesuitis*. Non hæc mēs Ribadeneiræ; sed cōmiserationem in Ignatio itidem existisse, & quidem excellentèr. Calumnias tuas tibi demùm reserua, ne penitus exhauriaris. Sera in fundo parsimonia, Misene, si tamen calumniando ad fundum pertingere potes. *Notent*, inquis, *studiosi acutum apophthegma Ignatij, cū homo ægrotat, raro potest aliquid boni in aliorū vilitatem facere: quando verò sanus est, potest multa bona facere*. Veritatè huius dicti, inquis, rustici comprobant. Quid

Quid ergo suggillas, si tam perspicuè verum est, vt ne à rusticis quidem negari possit? Axiomata scientiarum, ideo apud omnes in summa sunt existimatione & auctoritate, quia tam euidentia sunt, vt ne à præfracto quidem reiici possint; ceu falsa; nisi fortè solo ore; vel si & mente; non sine incredibili stupore. Quod ad acumen attinet, sanctè testari possum, multa in Plutarchi, & plurima in aliorum Apophthegmatum collectionibus legi, quæ tantum acuminis non contineant; quantum hoc dictum Ignatij; si nõ abruptatur à corpore totius orationis, vt à te malitiosè abruptum est, sed coniungatur cū præcedentibus, quæ hic Ribadeneira tradit.

Ceterum, vt auctor cōmiserationem Ignatij exemplo aliquo ostendat, recenset, quid sibi acciderit: Cùm enim æger noctu sanguinè ex brachio misisset, Ignatius bis terue, sera sub nocte, misit; qui exploraret; num rectè brachium colligatum esset, ne fortè soluta vena sanguis efflueret, & subitò: quod nonnullis euenit; interitum afferret. *Ex hac narratione*, inquit Misenus, *nihil video, quod disci possit, nisi quod Iesuitæ noctu soleant secare venas, cùm alij interdum consueuerint*. Scurratis speciem noli præbere; professus scholia vtilissima, non enim ipse tibi scurraris; vt ille, sed populo. Num tu, si noctu vis morbi imperiumq; medici venâ aperire suadeat, in craftinum sectionè differas? Cur ergo in risum vertis, quod aliquando necessariò suscipiendum est, si vitam tueri velis? Ais, *Idem officij genus, in eo casu tibi exhibitum à quodam tuo contubernali*: Ergo & tu noctu venam secare soles. Ergo non soli Iesuitæ; quia Misenus non est Iesuita, sed

sed Iesuitarum calumniator. Quare rides igitur Ribadeneiram, & Iesuitas ob factum, quod tu ipse fecisti, & facturus es, quotiescunque te non. Et si pleuritis inuaserit, aut alius morbus, cuius curatio sanguinis missionem postulet? Præterea laudo illum tuum contubernalem ob commiserationis & humanitatis affectum, neque vllum alium, qui idem præstet, debita laude priuabo. Cur non pari candore Ignatij *συμπάδειαν* prædicas?

Voluit Ignatius ægrotos esse dicto audientes, patientes, tractabiles, minimè querulos aut morosos, cœlum ad arbitrium suum non mutant; neque ea de re medicos consulentes. *Mira sapientia*, inquit Misenus, *Atqui hoc fieri volunt omnes medici.* An hoc velle, ideo non est sapienter velle, quia medici id volunt & præcipiunt? An medicorum voluntas & imperium sapientiæ expers est? Vel fortassis quod medici sapienter volunt; id alius, qui medicus non est, sapienter non potest velle. Explica te, Misene, planius & rudius, vt acumen tuorum scholarum capiamus. Poteras, imo debebas, saltem vltimum Ignatio cōcedere, ne medicos de mutatione consulant, insciis videlicet superioribus; nescio vtrum hoc medici etiam velint, vel si aliqui id velint, vtrum omnes id velint, & vtrum in Hippocrate aut Galeno contineatur hoc præceptum, vt religiosi Societatis, non agant cum vlllo medico, de mutatione loci, inconsultis & insciis superioribus.

*In capite nono*, inquis, *disseritur de magnitudine animi Ignatij. Atque hæc in primis spectata fuit, in grauisi-*

*grauissimo dolore dentium sedatissimè perferendo.* Non solū in hoc; sed in aliis plurimis morbis, vt Auctor ait; Addis: *Quo nomine etiā mihi gratulor.* Sed frustra gratularis tibi; cum, vt ipsemet fatearis, victus dolore doloris significationem dederis; ita enim tu vlulatum & eiulatum tuum honesto vocabulo indigitas. Sed ais: *Si vt auctor scribit, nullam doloris significationem dedit: vnde Iesuita scire potuit Ignatium cum dentium dolore consiliari?* Quasi verò quis non possit sine gemitu & ploratu dolorem dentium simpliciter patefacere. Aliud est dare significationem lamentando & eiulando: Aliud simpliciter, quid patiaris, indicando. Primum tuum est; alterum Ignatij. Rides Ignatium; quod transfixa auricula à fratre, qui cernicibus eius lineum pannum circumponebat; nihil aliud dixerit; quàm hoc, & quidem moderatissimè; vide frater, quid facias. Non miror te ridere; quia tu statim pugnos ponderasses, vt Sofia ille apud Comicum: eodemque ad ictus excitasses Plautina illa cohortatione: *Agite pugni, iam pridem videtur factum; heri, quod homines quatuor in soporem collocaisti nudos: Intonuisses; verberare ò verbero; gymnasiū flagri, & similia ex Calviniano & Plautino Evangelio.*

Porro cum nostri aliquando magna rerum omnium inopia premerentur, Ignatius non modò familiam suam non imminuit, sed auxit: Quo tempore, inquit Auctor, cum aliquando Ioannes Crucius, domesticus obsonator, homo simplicissimus, & feruens spiritu, ex D, Ioannis

[Late-

Lateranensis templo, vesperi domum reuertetur, ad amphitheatrum, quod vulgò Colosseum dicunt, in hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos silentio tradidit. Eius aspectu plurimum Ioannes commotus est, & horrore quodam peresus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis subito euanuit. Hæc Ribadeneira. Adest Misenus cum solitis suis glossis. *Subornatum*, inquit, *fuisse aliquem ab Ignatio, qui pecuniam afferret, ipse Auctor suspicandi argumenta nobis præbet. Ait enim, obsonatorem illum fuisse hominem simplicissimum & seruentem spiritu.* Tu infer; Ergo Ignatius subornauit aliquem, qui isti pecuniam ex insperato offerret. Quæso, quæ est ista ratiocinandi ratio? vel etiam hæc, quam æquè insipienter vsurpas: *Ioannes Crucius fuit Ignatii similis, id est, simplicissimus & superstitiosus, & deceptioni obnoxius. Ergo Ignatius subornauit aliquem, qui quasi diuinitus missus, pecunias dono ferret Crucio.* Hæc ne pecude quidem digna sunt, nedum homine: vt tua tibi verba verè exponam; quæ suprà falsò de obediètia ab Ignatio descripta & præscripta effudisti.

Nec placet tibi, quod ait Ribadeneira, eum, qui pecuniam illam attulerat, subito ex oculis mirantis Crucij euanuisse. *ὄψεσ Βολικώτερον*, inquit, *dictum est. Voluit enim indicare, subito hominem illum sese subduxisse, ne ab obsonatore cognosceretur.* Siue homo, siue Angelus sub specie humana fuerit ille, qui Crucio pecuniam attulit, non per hyperbolen; sed rei naturæ conuenienter dixit Ribadeneira, eum euanuisse ex oculis mirantis: quia

quia non modò spiritus, sed & homo verè dicitur euanescere tunc, cum derepentè ex conspectu intuentis sese proripit.

Similè historiam, quã Ribadeneira subiungit, & quæ eidè Crucio obuēnit; non aliter refutat, quã quod vocat *πεντεία*, id est, *incantationem & imposturam*, quasi nunquã acciderit, vt Deus in se speratibus subsidia vitæ miserit, cum cū maximè iis indigerēt. Audi quid S. Gregorius de S. Benedicto scribat: & vide num & hic veneficia, imposturas, & subornationes ingeminare velis. *Alio tempore*, inquit S. Gregorius, *in Campania regione* S. Greg. li. *fames incubuerat; magnaq; omnes alimentorum indi-* 2. Dialog. *gentia coangustabat. Iamq; in Benedicti monasterio* cap. 21. *triticum deerat, panes verò penè omnes consumpti fuerant, vt nò plus quàm quinq; ad refectiois horã fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursus promissione subleuare dicens; Quare de panis inopia vester animus contristatur; hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die, ducenti farina modij ante fores celle in saccis inuenti sunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus transfussisset, nunc vsq; manet incognitum.* Hæc S. Gregorius de S. Benedicto. Num & S. Benedictus subornarat, qui hos farinæ modios afferret, quo sibi apud *stupidos, simplices & superstitiosos* suos discipulos, vt tu de Ignatio, eiusque discipulis dicit, sanctitatis opinionem conciliaret?

Historiam de parte domus lemurius & spectris nocturnis infesta, quæ Ignatio Còpluti habitanda celsit, ait Misenus, desumptã ex Luciani

Philopseude, & ex epistolis Plinij; sed quia Misenus non modò calumniator est; sed & intricatus calumniator, vt vix scias, quid lingua sua ferire cogitet, scitari lubet, quidnam in fabulis numeret? An domum aliquam à Dæmonibus infestari & turbari posse? An verò domum illam, in qua debebat Ignatius, à spiritibus immundis infestam & infestatam esse, Ignatiumque spectris, ea animi magnitudine restitisse, qua decebat virum immoti imperterritque cordis? Si primū, tum etiam repudiare poteris, tanquam ex Luciano, aut ex Plinij epistolis desumptum, id, quod duo grauissimi patres, S. Augustinus & S. Gregorius Nyssenus scribunt, de eiusmodi Dæmonum infestationibus. Solius Augustini verbum contentus ero; Nyssenum ipse consulas. Ita ergo Augustinus: *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum: vbi cum, afflictione animalium, & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpesi comperisset; rogauit nostros, me absente, presbyteros; vt aliquis eorum illd pergeret: cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obrulit ibi sacrificium corporis Christi: orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessauit.* Hæc S. Augustinus.

Si alterum neges, tunc eadem ratione negare poteris domos, de quib. S. Augustinus, & Nyssenus, Dæmonibus fuisse infestas: nō enim maior ratio tibi suppetit, cur inficeris, domum illam, de qua scribit Ribadeneneira, ludibriis obnoxiam fuisse; quam cur id neges de illis Augustini

stini & Nysseni: Neque enim vel illam, vel has vidisti. Et quidquid vel de illa, vel de his nosti; id testimonio hominum accepisti. Quod si Nysseno & Augustino credas, id ideo tantum facis; quia libet credere, ita vt pro omni ratione tibi sit voluntas: Si non luberet, non crederes, quæcunque demum rationes assensum suaderent.

Potrò his Dæmonum terriculamentis, Ignatium non fuisse territum, nemo mirabitur, cui compertum sit, quo robore, quamque inuictopectore viri sancti huic hosti sese opponere consueuerint; & quam nihili omnes illius machinationes fecerint: videat, qui volet, vitam sancti Antonij apud sanctum Athanasium, in hac palæstra longè exercitatisimi; vitam S. Hilarionis apud beatum Hieronymum; vitam S. Martini apud Sulpitium, vitam D. Gregorij Thaumaturgi apud Nyssenum. *Non me terres, Diabole, tanta mole corporis, aiebat sanctus Hilarion, & in vulpcula, & in camelo vnus atque idem es. quia, vt dicere solebat sanctus Antonius, hamo crucis, vt draco aduencatus à Domino est, & capistro ligatus est, vt iumentū, & quasi mæcipium fugitiuum vinctus circulo & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur. Nunc miserabilis, vt passer, ad ludendum à Christo irretitus est, calcaneo Christianorum substratus gemit: ille, qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur.*

Refert Ribadeneira, Ignatium dormientem quadam nocte propemodum à Diabolo fuisse strangulatum, & ex contentione Ignatium per



aliquot dies raucū omnino, ac sine voce fuisse. Hic iste; *Ephialtes* seu *πυρραλλιον* *Iesuitis* *Diabolus* est; à quo dignus est, qui stranguletur auctor horū mendaciorum. Plufculū fortasse vini hauserat, & supinus decubuerat: vnde factum, vt *Ephialtes* illū opprimeret, & ex fluxione, in asperā arteriam delabere, rauū sequeretur. Felix, qui potuit rerū cognoscere causas, sed nō vt *Misenus*: qui ita de hac re scribit; quasi *Ignatij* collo, cū illo *Ephialte* seu *Pnigalione* infedisset; tam audacter & asseueranter pronunciat, quasi nulli vnquā mortalium *Diabolus* conatus fuerit fauces elidere, ex immani illo odio, quod cūm erga omnes gerit, tum potissimum erga ordinum *Antistites* & parentes.

Cassian.  
Collat. 7.  
cap. 23.

Tradit *Cassianus*, tantam *Dæmonum* fuisse truculentā & feritatem in veteres *Monachos*, vt non auderent noctū oēs obdormire; sed vicissim aliis degustantibus somnū, alij vigilias celebrātes, psalmis et orationibus seu lectionibus inharebāt; cumq; illos ad soporē natura necessitas inuitaret, expergestis aliis, ad eorū, qui dormituri erant, custodiam, similiter excubia tradebantur. Hæc *Cassianus*, qui has infestationes adscribit *Diabolo*; sed si *Misenū* audimus, *Ephialtes* erat; qui sanctos illos *Eremitas* incolas diuexabat, quiq; illis, ni vigiliis & precibus assiduis arceretur, periculū vitæ creabat; quia plufculū vini fortasse hauserāt, qui ne aquam quidē ad satietatem vsq; bibebant, & supini decubuerant; quorum pleriq; stantes aut sedentes somno fessa membra refouebant.

Oravit semel *S. Hilarion*, teste *S. Hieronymo*, fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens, nescio quid aliud cogitabat,

In

*Insiliit dorso eius festinus gladiator* (en *Misene Ephialten* & insultorem) et latera calcibus, cernicem flagello verberans: *Eia, inquit, cur dormitas?* Quia plufculum se inuitarat *S. Hilarion*, qui, nisi fallor, toto tēpore, quo solitariam vitā duxit, vinum nūquam gustauerat. Sæpe à *Dæmonibus*. nō nego me verberatum, ait apud *S. Athanasium* magnus ille *Antonius*: sed malè, iudicio *Miseni*, nō enim à *Dæmonibus*, sed à *Pnigalionibus* cęsus fuit. Nec mirū, quia, vt *Misenus* hic docet, id vitij oritur ex crapula, cui *S. Antonius* deditissimus erat, vt ex tota eius vita à *S. Athanasio* conscripta apparet: item ex cōtinua ventriculi cruditate, quomodo enim *S. Antonius* tantū cibi potusq; digerere & concoquere potuisset. *Edebat semel in die*, inquit *S. Athanasius*, post solis occasum. Sumebat verò panē & salelem, potumq; aquæ per paruū, nōnunquam biduo tri-duoue ieiunus permanēs, quarta demum die resiciebatur. Quocirca facile contingebat, vt probè appotus alicubi supinus iaceret *Ephialte* seu *Pnigalionis* ludibrium. A quo certè quadam die ita acceptus est, & varia cade laceratus, vt doloris magnitudo & motum auferret, & vocem. Eodem videlicet modo *Ephialtes* iste *Antonium* tractauit, quo postea *Ignatium*.

Omitto alia huius generis. Ex hoc æquus lector facile perspicere poterit, vter dignus sit, vt à *Pnigalione* stranguletur, *Ribadeneirane* an *Miseno*, qui tam impudenter in *Ignatio* & *Ribadeneira* calumniari ea, quorum similia iam pridem sanctissimi & antiquissimi scriptores de

sanctissimis viris memoriae prodiderunt. Abi-  
gitur, Misene, quo mereris, cum tuis vaporibus  
frigidis & crassis, elatis, cerebrique ventri-  
culos replentibus. Non vnum certè, sed pluri-  
mos Ephialtas in cerebro circumfers, qui vti-  
nam semel expurgarentur ab aliquo perito Ma-  
chaone, non per exorcismos, sed per aliquot  
libras hellebori, nisi fortè ad hanc partem Pni-  
galionibus tuis referendam aptior sit securis  
Vulcani.

*Subiungit, inquis, auctor aliam luctam Ignatij  
& Diaboli, neque tamen addit, vter athleta præstan-  
tior fuerit. Imo addit: Quia præstantior est vi-  
ctor, quàm victus. At Ignatius victor fuit; Dia-  
bolus victus. Deinde, annon honestius luctari  
cum Diabolo, quàm sese statim eidem tradere,  
& in clientelam eius concedere? Prius illud fa-  
ciunt viri sancti, posterius Calvinistæ & alij im-  
probi. Ceterum lógè plures luctas Antonij cum  
Diabolo recenset sanctus Athanasius, quàm Ri-  
badeneira Ignatij cum eodem salutis nostræ ho-  
ste. Quare si resistere Diabolo crimen apud te  
est: in maiore crimine versabitur sanctus Anto-  
nius, quàm Ignatius, & adhuc in multo maiore  
sanctus Petrus, qui nos omni loco & tempore  
iussit Diabolo instar rugientis leonis  
circumeunti resistere fortes  
in fide.*



## CAPVT

## CAPVT VI.

*Diluuntur calumniae Miseni in caput  
decimum.*

**C**apite decimo differitur de rerum spiritu-  
alium prudentia, qua excelluit Ignatius.  
*Primum, inquit Misenus, discimus ex hoc ca-  
pite etiam Sacerdotum Pontificiorum vitam profa-  
nam ac perditam interdum esse.* Id ideo dicit, quia  
Ribadeneira, virum quendam dignitate Sacer-  
dotem, professione religiosum, vitæ perditæ  
& profanæ, ad meliorem frugem ab Ignatio re-  
uocatum scribit. Cur verò tam promptus es  
credere, quoties Auctor aliquid commemorat,  
quod ad vituperationem spectet? Cur non pari  
assensus facilitate probas; si quid referat, quod  
ad commendationem vel nostram vel aliorum  
pertineat? Si tibi verax est; cum mala scribit; cur  
mendax sit, cum bona prodit? Sed improborum  
hic mos est, libentius de aliis mala, quàm bo-  
na audire & credere; quod plures sui similes ha-  
beant, sua saltem opinione; *quos de nostris dolo-  
ribus (& malis) suauitatem suæ linguæ captantes,*  
inquit sanctus Augustinus, *facile est, vt illis ca-* S. August.  
*nibus comparemus, si fortè in malo intelligendis sunt,* epist. 137.  
*qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante ianu-  
am diuitis iacebat.* Sed de sanctissimis & castissi-  
mis vestris moribus actum iam alibi.

Quod de Arianis sanctus Athanasius, hoc S. Athan.  
ego de vobis vestrisque Ministris & Superinten- epist. ad so-  
dentibus: *Omnes certè apud illos sordibus scatent,* lit. vitam  
& eorum catascopi (Sic enim appellat Episcopos agentes.

Arianos) hoc est, exploratores, cum minimè sint Episcopi, longè flagitiosissimi sunt. Quod si quis apud eos Episcopus (Minister aut Prædicans) esse velit, non ei occinitur: oportet Episcopum esse irreprehensibilem; sed hoc illi dicitur: Sentias contra Christum (contra Papam) nec de morib. tuis sis anxius: id enim tibi sufficit ad commendationem.

Ais, factò hoc Ignatij cõfirmari prouerbiùm illud; Fur furem nouit, et lupus lupum; vel vt Aristoteles effert, bestia nouit bestiam. Agnouit Christus Matthæum, publicanũ, hoc est, furacem & rapacẽ, sedentem in telonio. Agnouit eiusdẽ artis nummarix Zachẽũ in Sycomoro. Num & hic priorẽ dicti illius partẽ ad marginẽ Euangelij adscribes? vt & posteriorẽ ad illum locum, vbi mulier peccatrix ad Saluatorẽ accessit, & omnium criminum veniam reperit, nisi quod hoc loco lupũ in lupam mutare debebis. Sed quàm facillè lupus agnoscit lupum; tam facile agnoscit etiam lupam; quia lupo nihil similius est, quàm lupa.

Sic Ignatius, inquis, Sacerdotem illum sceleratum & flagitiosum ex suis moribus facillè deprehendit, & emendauit. Omnino facillè deprehedit illum ex suis moribus, sed contrariis, hoc est, sanctis & castis; nam ex his eum moribus deprehẽditse perditos alterius mores, id inde liquet, quod alterius perditos mores emendauit. At perditos mores nõ emendantur per mores perditos, sed per mores integros & probatos. Quis enim latro emendauit mores latronis? Quis fur, furis, quis adulter adulteri? si quis sese in latronis familiaritatẽ insinuaret, illius cõuertẽdi causa, is, tuo iudicio, latro

latro esset. Quod tu Ignatio exprobras, id olim exprobrabat Celsus Christo & Christianis, similitudinẽ scilicet cum sceleratis & improbis, eò quod cũ his versarẽtur & manducarent. Quoniã aut exaggerans nostra crimina, inquit Origen. post enumeratos sceleratissimos mortaliũ, rogat, quos alios vocaremus ad latrocinium; & ad hoc respondimus; quod tales ad latrocinium vocet, qui eorum malitia vult abuti ad iugulandos, & spoliandos homines. Christianus verò etiam si eosdem vocaret, quos latro, diuersa tamen est vocatio, videlicet, vt eorum vulnera, sermone salubri obliget, & animo vitii inflammata infundat remedia, tanquam vinũ & oleum, vt malagmata, reliquaq; medicorum auxilia. Hæc Origenes. Ergo vir bonus & sapiens non versatur cum lupo, vt ipse lupo fiat, sed vt ex lupo ouẽ reddat: nec oculis lupinis lupum intuetur & agnoscit, sed humanis.

Post hæc refert Auctor, quo artificio Ignatius quandam, qui sibi violentas manus afferre volebat, ab incepto absterruerit, reddita mentis tranquillitate. Hanc historiam vocat Misenus fabulã, nec rationem reddit, cur ita vocet; assuetus iam dudũ quiduis sine ratione asseuerare. At ille, qui interfuit, qui huius rei pars magna fuit; qui, quid desperabundus ille fecerit & dixerit, quidque medicinæ Ignatiũ adhibuerit, oculis propriis spectauit, totam rei seriem Auctori nostro exposuit. Cui ergo potius credemus, tibi, tot mendaciorum conuictio, an illi, qui quæ vidit, & partim etiam gessit; Ribadeneiræ narrauit? Deinde affectionem huius hominis nominas melancholiam. Quid tum? fuerit melancholia. Nullus

Origen. li.  
3. contra  
Celsum.

Matth. 9.  
Luc. 19.

Luc. 7.

certè restim meditatur ex nimio gaudio, sed factum Ignatij non minuis; non enim cuiusvis est verbis piis lenire dolorem, & afflictionem tantam ex animo pellere, vt quis saniora consilia capiat, & à prauis desistat. Altiori cuidam virtuti hanc vim & efficacitatem assignare oportet; alioquin cur eadem sermoni tuo gratia non esset? Cur non eadem energia? Hactenus facta Ignatij; nunc dicta quædam carpis.

Dixerat Ignatius adolescenti cuidam acriore & vehementiore ingenio prædico: Vince te adolescentens, vince. *Pulchrius hoc, inquit, apud Ouidium Briseis ad Achillem: vince animos, iramque tuam, qui cetera vincis.* Nisi integritas tua nobis nota esset, suspicari possemus, dictum hoc Briseidis, non propter dictum, sed propter Briseidem tibi tantopere probari, & illud Ignatij non propter se, sed propter Ignatium minus tibi aridum. Hominem simplicem & spiritu Dei atque amore plenum magis diligebat Ignatius, quam eruditum, minusque perfectum. *Hoc etiam poeta nouerat, inquis, qui cecinit: Ingenium probitas, artemque modestia vincit.* Monebat itidem Ignatius, ne quis cuius temere crederet & fideret. *Idem, inquis, Epicharmus multis seculis ante Ignatium; & prouerbium illud: fide, sed cui vide.* Si nihil dicere licet, nisi prius indictum: & si nihil cum laude dicitur, quod quoquo modo affinitatem cum aliqua ex veterum sententiis & gnomis habet; tum exostulare poteris cum Apostolo, quod dixerit illud: *Corrumpunt bonos mores, colloquia praua:* Quia multo antè id dixerat

rat Menander; quodque illud: *Cretenses semper mendaces;* quia id Epimenides iam dudum scripserat. Item illud: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Sepulchrum patens est guttur eorum;* & similia non pauca; quæ multis seculis antè, David & alij Prophetæ cecinerant. Quid ergo peculiare attulit Paulus? Quam laudem dicta illius merentur? Quid? quod & hic Celsi personam probè agis. Is enim cum quædam aliter carpere non posset, tandem huc se recipiebat, vt ab Ethnicis sublecta & surrepta diceret. *Putat, inquit Origenes, Moysen, que scribit de turri & confusione linguarum deprauasse ex Aloidarum fabula, & ad turrim suam transtulisse:* Idem dicebat de diluuii & cõflagratione mundi, & aliis nonnullis Iudæorum & Christianorum decretis. Iulianus quoque Apostata, vt dicta & scripta moralia Salomonis deprimeret, multò meliora de moribus ab Isocrate, Phocylide & Theognide tradita ferebat his verbis: *sapientissimusne Salomon comparandus fuerit apud Græcos Phocylidi, Theognidi, vel Isocrati? Minimè. Siquidem conferas Isocratis Paraneses cum illius Prouerbiis, inuenies Theodori filium sapientissimo Rege meliorem.*

Historias quas Ribadeneira subdit de duabus monialibus deceptricibus & simulatricibus cupidè arripis, & prono assensu probas: tam procliue tibi mala credere; tam arduum bona; sed non mirum, ex habitu id facis; quia tota fides hæretici in hoc consistit, vt mala credat, cum hæresis nihil boni credendum præscribat. Quocirca hæreticus promptissim⁹ est mala

Orig.lib.  
4. contra  
Celsum.

S. Cyril. li.  
7. contra  
Iulianum.

credere; plumbeus credere bona. Verùm de hac re aliud non dicam, quam quod iam olim scripsit his verbis S. Augustinus: *Nemo vos fallat fratres; Si non vultis falli, & vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi, omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. Inuenio sanctimonialia indisciplinata, nūquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Sed nunquid propter virginis malas damnaturi sumus & sanctas & corpore & spiritu? An propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Undique vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Nolite, inquit, alibi idem S. pater, propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apotheca Domi- nica fructu olei luminosioris implentur.

S. Aug. in Psal. 99.  
S. Aug. Epist. 137.

In sequentibus, inquis, innuit Auctor à Iesuitis solis petenda esse exempla virtutum. Tu quidem mendacium non innuis, sed splendide in lucem promis; quod vtrum ita sit; lectorem ex hac Auctoris oratione arbitrari volo. Sacerdotem quendam ex nostris ad se (me coram) accersitum acriter corripuit, quod cum nouitio de rebus à nostro alienis instituto loqueretur; exemplaque virtutum longè posita potius, quàm domestica afferret; eiusque hominis spiritum miraretur & probaret maximè, cuius sanctitas peregrino feruore, raptibus ac reuelationibus potissimum constare videbatur. Quæ quidem omnia procul esse à nouitiis debent, quorum animi teneri adhuc & molles certis, germanis,

&

& in propria cuiusque vocatione atque instituto legitimis opinio nibus imbuendi sunt, erroribusque, qui ferè incautis animis obrepunt, omni cura atque diligentia detractis, ad veras, solidas atque expressas virtutes studiosè effringendi atque efformandi. Hæc Ribadeneira: Sed ais, quid hoc sibi vult, quod Ignarius illam sanctitatem extenuat, qua peregrino feruore, raptibus ac reuelationibus constare videtur? Quæstio hæc locum non habet apud peritum, sed apud imperitum; qualis tu Misene, qui non legerit, vel meminertit illud B. Petri: *Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat. Sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes.* Quam enim periculosum fit peregrino feruori sese addicere, deserta via regia, & in mirabilibus supra se ambulare, id non vnus ruina & miserabilis interitus docet. Superfedeo exemplis; quia ea passim obuia, maximè apud Cassianum. Neque verò putauit Ignatius, aut vllus alius, feruoris laudandi & sectandi exempla ex nostro Ordine à nostris nouitiis solùm desumi posse. Plurima sunt in antiquorum patrum monumentis, & in probatis sanctorum historiis, quæ quibus sine erroris periculo ad imitationem sibi proponere potest; quæque omnia domestica nominare licet, quia ad spiritum societatis, & ad cōstantem solidamque pietatem faciunt.

Porro qua fronte fingis, adolescentem illum nouitium, vacillantem in suo proposito, &

ad

1. Petr. 4.

Cassian.  
Collat. 2.  
cap. 5. &  
seqq.

ad ollas Ægypti suspirantem, Ignatio illuisse, cum Ignatij beneuolentia & lenitate delinitus, animum mutarit, & in eo, quod ingressus fuerat viuendi instituto, firmiter perseuerare statuerit, exuta priore mentis leuitate. *Callidè, vt ego puto*, inquis, *illust Ignatio*. Vnde verò hoc putandi, vel minimam occasionem habes, nisi quod tibi lubet putare, quidquid lubet, etiam reclamante & repugnante conscientia?

Aliam historiam de Doctore, non satis integræ famæ & vitæ, perfanato per exercitationes spirituales, cum prius globulis in tabella Ignatius cum illo lussisset hac conditione, vt victus victoris arbitrio se permitteret: non aliter refellit Misenus; quàm hac exclamatione. *O scurras blasphemus*: Sed facile est cuius scurræ talem vocem promere; Vocem, vt Augustini verbis vtar, *abominabilem & detestabilem, presumptionis & vanitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, precipitem*. Quid enim blasphemus scurra dignum Ignatius aut Ribadeneira commisit? An ludere globulis in tabula scurrile & blasphemum est? Multi ergo optimi & doctissimi viri scurræ & blasphemus erunt, qui, relictis Miseno chartis lusoriis, tessaris & aleis, hoc lusu animum grauioribus curis fessum relaxare solent: An scurra & blasphemus Ignatius, quod ludere nescius vicerit Doctorem illum, non sine admiratione tum ipsius Doctoris, tum spectatorum? At victoriam referre ex honesto lusu, non nisi honestum esse potest, & eò quidem hoc ipsum maiorem admirabilitatem habet, quòd is,

qui

qui victor euadit, in illo ludendi genere, minus est exercitatus. An pro blasphemus scurra Ignatium reputas; quod, tali sponcione interposita, cum Doctore illo in certamen descenderit? At quæ scurrilitas in hoc aut blasphemia, si duo, quorum neuter ab altero aliquid honestati repugnans postulaturus sit; ludant hoc inuito pacto, vt victus victoris potestati se permittat, si victor hac permissione in emolumetum victoris longè maximum vtatur; quemadmodum vsus est Ignatius.

Cum Apostolus dixisset, quosdam esse, qui Christum prædicent *propter inuidiam & contentionem*; non vociferatus est, tuo more, *O scurras blasphemus*; sed hæc verba subdidit: *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Quanto magis tu Ignatium laudare debebas, qui non per contentionem & inuidiam, Doctorem hunc ad meliorem vitam traduxit, sed per rerum cœlestium meditationes, accepta occasione ex honestissimo ludo. *Sananti animum laborantem*, inquit Origenes, *fas est vti remediis non quasitis, sed per occasionē oblati*. Celsus ipse, omnium honestatis ceteroquin hostis, mutationem morum in melius, tanti fecit, vt scripserit, teste Origene; *pro medicamento interdum permitti posse vsum impostura ac mendaciū, sunt enim*, inquit Origenes, *quidam conficti sermones, qui nihilominus mores vertunt in melius; qua arte medici quoque nonnunquam apud egrotos vtuntur,*

disi-

S. Aug. in  
Psal. 101.

Philip. 1.

Orig. lib.  
4. contra  
Celsum.

*dissimulata veritate. Quod tamen non pro Iesu respōsum sit: addo ego, nec pro Ignatio, quia non adhibuit aliquam dissimulationem vel deceptionem sanandis Doctoris illius ægritudinibus, sed spiritualium rerum exercitationes: & tamen audire à te cogimur: O scurras blasphemos. Quod conuicium ne tunc quidem meritis esset Ignatius, & nos cum illo: Si medicos, medendi gratia fallentes, imitatus fuisset, ut omittam, quæ iam alibi monui, tanti morum mutatione visam esse Origeni & Tertulliano, ut liberè dixerint & scripserint; Christianam religionem amplectendam esse, licet falsa foret, ob insignem illam vim & efficacitatem faciendi ex improbis, probos: & ex impuris puros.*

*Pergis. Inter alias absurditates impias non minima est, quæ sequitur. Ait enim Ribadeneira inter commoditates, quas multas ac peregrinas deuotus augustissimum corpus Domini Iesu percipiendi ac frequens usus secum affert, illam esse excimiam, quod dignè communicantem ita virtute Sacramenti confirmat, ut ne in peccatum graue labatur, aut si humana imbecillitate victus cadat, breui certè à peccato resipiscat. Quas tu hic impias absurditates somnias Calvinista? Dicis, præcipuum finem cæna Domini-cæ esse nostra cum Christo κοινωνίας incrementum: Sit ita, ut vis; si κοινωνίαν hanc, communionem & coniunctionem nostram cum Christo, ointelligas Catholicè, verè & per gratiã, per veram realem, & proprie dictam manducationem, non Calvinisticè per nescio quam imaginariam ludi-*

*ludificationem. At ex hoc effectu vterque à Ribadeneira commemoratus proximè sequitur. Quo enim quis interius Christo per vberiora gratiæ dona coniungitur, eò longius abest à periculo capitalia scelera perpetrandi, & eo ipso etiam magis sanantur vulnera à prioribus peccatis inflicta; hosque effectus habet sacramentum hoc ex opere operato; quod tu nõ interpretaris ut homo doctus, sed ut quispiam ex sece vulgi operarius.*

*Ais, sacramentum vim ex opere operato habere, nihil esse aliud; quam effectus suos etiam sine vlla fide in animo recipientis producere, & hinc fieri, ut homines de sua salute planè sint securi, si saltem post omnium generis flagitia, iam in ipso mortis articulo aliquem sacerdotem habere queant, à quo corpus Christi accipiant. Non nostra dogmata memoras, sed tua somnia; Nemo opus operatum ita describit: fides ad sit oportet, & aliæ dispositiones, ut efficax sit hoc sacramentum, atque ad eò ut ex opere operato effectus suos producat. Est enim sacramentum viuorum non mortuorum: Neque docemus peccata mortalia per hoc sacramentum remitti; pœnitentia & confessio accurata præmittenda est; Ni fiat; iudicium sibi manducat 1. Cor. 11.*

*& bibit: quisquis manducat & bibit; non diiudicans corpus Domini. Sed de hac re iam fusius libro primo.*



*Mendacia Miseni in tria postrema capita  
Libri Quinti.*

**C**Apud vndecimum agit de prudentia rerum gerendarum. In agendo, inquit Auctor, vitabat nimias celeritates aut tarditates, sed festinabat lentè. Hic Misenus, quasi verò Augusti illud ignotum fuerit ante Ignatium: festina lentè. Neq; Ribadeneira scripsit vetus hoc verbum ante Ignatium fuisse ignotum; aliàs vetus non esset; Sed Ignatium præstitisse id, quod prouerbum illud sapienter monet, verbis quodammodo disparatis, sibi que mutuo aduersis, Quid ergo calumniaris? Tu etiam laude dignus esses, si quod dictum hoc faciendum monet, faceres.

Addis; *Quæ nugatur de exquisito spiritu, & prudentia Ignatij, lubens omitto: Neque enim solus presentia cernere & futura prospicere potuit, cum illud notum ex Homero de Calchante; qui hac in parte superauit Ignatium. Nouerat enim presentia, præterita & futura. Vtinam hæc etiam tam nugacia verba intra fauces compressisses. Minus saltem aliquantisper nugarum & nãiarum tua scholia continuissent. Quod ad Calchantem attinet, poteris, si lubet, illum non modo Ignatio, sed & Antonio, Hilarioni, Paulo primo Eremitæ, Benedicto &, si ita placet, Helig, Helifæo, Isaia, Hieremiæ, & aliis opponere; nisi forte his antiquis opponere velis antiquiorem Vatem Mopsum; qui, si ritè recordor, in expeditione Colchi-*

Colchica Iasonis & aliorum Heroum prædicās fuit; prædicans & prædicēs Argonautis, vt iam vestri faciunt, ea quæ neque sunt, neq; fuerunt, nec erunt, nec esse possunt.

*Valde, inquis, placet sibi Auctor, cum refert incrementum istius societatis per totum orbem disseminata. Quidni sibi placeret? Quidni ob tantum beneficium ex intimis præcordiis Deo grates persolueret? Atqui hoc ipso, inquis, argumento offenditur improbitas sectæ: Hæreticæ videlicet; non societatis, quæ secta non est, sed Ordo à Catholica Ecclesia approbatus. Boni propagatio, inquis, multò difficilior & tardior. Ex natura sua tardius propagatur bonum, quam malum; At fieri potest; vt singulari Dei ope & subsidio, ipsum etiam bonum celerrimè multiplicetur; & longè citius, quàm malum; vt libro quarto copiosius disserni, cum similem quandam calumniam à te effusam refellerem; vbi & illud ostensum; quomodo ex subita propagatione, iudicium fieri possit, de bonitate vel malitia alicuius rei. Nec opus repetere iam dicta; hic tantum addo.*

Si id quod celeriter natum & propagatum est, stabiliter itidem duret, & non vel sensim euanescat, vel in alios atq; alios quasi foetus dissoluatur, non exiguum bonitatis argumentum, si cetera etiam adsint, inde desumi posse. Nam quod malum est, atque adeo nec à Deo auctore proficiscitur, nec Dei tutelæ innititur, id facile dissipatur, & in alias formas leui momèto transformatur, vt videre licet hac ætate in Hæresi Lutherana, quæ vix nata, & nonnihil aucta,



consumi cœpit à sectis Zvingliana, Anabaptistica; aliis, maximè à Calviniana; Calviniana rursus magnam plagam indies accipit à Trinitariis, Atheis, & id genus aliis. Et quid multis opus est? Hæresis instar amnis voluitur & voluetur in omne volubilis æuum, nunquam firmam gradū & statu. At bonum, quia Deum Auctorem habet, Deoque nititur, perstat & durat in medijs etiam procellis. Intuere Ordines à sanctis Patribus olim fundatos, permanent in Ecclesia Dei immoti & constantes. At ubi nunc Hæreses illæ Donatistarum, Pelagianorum, Manichæorum, Arianorum, Iovinianistarum, & Vigilantium, & ceterorum de genere eodem, quæ tempore S. Augustini dilacerabant Ecclesiam Dei? Perierunt, nec sunt, nisi renatæ quadatenus in vobis, vestrisque fratribus. At Ordo S. Augustini quot seculis iam floruit intactus & illibatus? Ita videlicet natura comparatum est, ut quod diuina manus non promouet & fulcit, id concidat & deficiat, sicut deficit fumus.

Quod egregiè obseruauit Origenes, cum Celsi quædam criminationes refutans offendit, religionem Christianam à Deo sustentari, eò quod pereuntibus aliis, ista sola immota subsisterit: Equidem ignoro, inquit Origenes, sciueritne Celsus aliquos, qui ad emulationem Iesu voluerint inter homines haberi pro Dei filio, aut pro Dei potentia. Et quoniam magno veritatis studio singulos locos examinamus, dicimus apud Iudæos fuisse ante Iesu natiuitatem Theudam quendam, qui se magnum quempiam iactaret, quò mortuo, qui per eum

decepti

decepti fuerant, dissipati sunt. Post illum in diebus Censuræ, quo tempore Iesus natus est, Iudas quidam Galilæus fecit multos à populo ad se descere, quod videretur vir sapiens, & moliri magnificum aliquid, qui ubi & ipse pœnas luit, doctrina quoque eius è medio sublata est, exceptis paruis reliquijs. Post Iesum quoque tempora Dositheus Samarita conatus est persuadere suis ciuibus, se esse Christum illum à Moyse pronuntiatum, & visus est inuenisse discipulos.

Hic non incongruum fuerit referre, quod in actis Apostolorum legitur, valde sapienter à Gamaliela dictum, illos quidem fuisse alienos à promissione, nec filios Dei, nec potentias: Ceterum Iesum Christum verè fuisse filium Dei. Sic autem ibi loquitur Gamaliel. Si est ex hominibus consilium, aut opus hoc, dissoluetur; sicut & illorum dissolutum est post eorum obitum: sin ex Deo est, non poteritis dissoluere hanc doctrinam, nequando & Deo repugnare videamini. Quin & Simeon Samaritanus Magus per magiam suam quosdam decipere conatus, effectu nõ caruit ad tempus; nunc autem in toto orbe, opinor vix triginta Simonianos reperiri, ac fortasse ne tot quidè. Sunt enim in Palestina pauci admodum; in reliquo terrarum orbe, nusquam nomen eius est in ea opinione, in qua ipse haberi voluit: nam apud quos nominatur, iis ex actis Apostolorum innotuit Christianis hominibus. Atque etiã ipsa res declarauit nihil diuinum in Simone fuisse. Hæc Origenes tū de aliis, tum de Simone Mago, à quo tibi itidè Simonis nomè venit. Nā ab Apostolo Simone te id accepisse, non facile crediderim. Ac cõmoda hæc Misene, ad Lutherum & Luthera-

Act. 5.

nos, ad Caluinum & Caluinianos, & ad ceteros Hæresiarchas & Hæreticos, & clarè iam nunc videbis eundem exitum, eosdem manere, licet admodum Euangelij specioso titulo sese iactent. Subiicit his Ribadeneira: Anno Domini 1527. quo tempore Ignatiusegenus, abiectus, ac contemptus vivebat, quidam adolescens apprimè nobilis & copiosus, Ignatium intuens nudis pedibus & vili habitu incedentem, iuuenili quadam leuitate commotus, procaciter ipsum irridens atque insultans: Ardeam, inquit, ego & flammis incensus concidam, nisi hic, qui flammis cõflagret, dignus est. Quod audiens Ignatius, placido ad eũ vultu, caue, inquit, ne hoc ipsum, quod imprecaris, tibi eueniat. Paucis post diebus, in tormentarium puluerem, qui ad publicam lætitiã paratus erat, in turri domus eiusdè nobilis adolescentis, ignis scintilla fortè illapsa magnũ repentè excitauit incendium, quo miser adolescens ambustus ac semiuftulatus est, ardoremq; nimium restinguere cupiens, in aquam se coniecit, mortemq; fugiens, in mortem incidit, breuiq; consumptus est. Hæc Ribadeneira.

Hoc loco Misenus non definit esse Misennus, imo si vsquam, hic certè sui est simillimus. Historiã pars vna mihi verisimilis videtur, inquit, pars altera non item: Puerum verè dixisse puto, quod de Ignatio protulit, de morte pueri omnia credo esse cõficta. En pectus & os huius hominis. Credit adolescentè istum dixisse: Ignatiũ esse flammis dignum; & ideo tantũ credit, quia ipse reputat Ignatium flammis esse dignissimũ; nec vllum aliud argumentum huius suæ credulitatis adducere potest, nisi immane quoddã in Ignatium odium, & innatã quan-

quandam improbitatè, & ad pessima quæq; credenda & facienda & suadenda propensionè. Alterum, non credit Misenus, alterũ inquã, de vincta paucis diebus à procaci adolescente expectata. Cur vero prius credis & hoc nõ? Idè Auctor vtrumq; prodidit, Neutrũ tu vidisti. Neutrũ ex illarum rerum numero est, quæ fieri nequeant. Factum posterius tam particulare est, quàm prius; tam nititur fide Ribadeneiræ, quàm prius. Cuius fides, si in posteriore facto percèsendo sit mendax, cur verax sit in priore? Si in priore verax sit, cur mendax in posteriore? An nefcis, iniuriã seruorum suorũ sæpius non leui pœna Deum vindicasse? Scis quid euenerit pueris Helisai illuforibus? Quas pœnas Perficæ quædã puellæ luerint, cum Iacobum, virũ sanctissimũ, impudèter excepisset, his verbis scribit Theodoretus: Illo tempore venerat in Persidem, visurus plantas veræ Religio-  
nis, et ei, quã par erat, curã adhibiturus. Cum is autè fontè trãsmitteret, puella quadã, quæ pãnos lauabãt, & vestes pedibus emundabant, ne nouũ quidè, & qui descentè præ se ferebat grauitatè, sunt reuerita habitũ, sed exuta pudore, et p̄fricta facie, & impudèribus oculis diuinũ hominè aspicièbãt, neq; capita a operietes, neq; vestes quas succinxerãt demittentes. Hoc cum agrè tulisset homo Dei, et vellet Dei virtutè in tẽpore ostendere, vt factò miraculo liberaret ab impietate; fontè quidè est execratus, & fluentũ confestim euasit. Puellas quoq; est execratus, & impudentem earum iuuentutè castigauit canis ante tempus inductis; & sermonè factũ est consecutum, mutatusq; est nigror pilorum & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ verè circumtectæ sunt foliis autumnalibus.

4. Reg. 2.

Theodor.  
hist. Relig.

Sed probat Misenus, posteriorē partē esse falsam: *si puer potuit, se in aquas conicere, proculdubio igne consumptus nō est: Quā igitur te consumptus est, et quidē breui?* Quā pudus es calumniator, Misene, & quā plenus rursi & inficetiarum. Quid certiorē interitū adfert, & quid perniciosius est, quā si quis toto corpore ardēs, vt p̄dictus adolescens ardebat, cōiciat se in aquā, & ab vno extremo, quod vulgō dici solet, transeat ad alterū? Quā multi hac ratione ardori medicinā parare volentes, inuenerunt exitiū, consumpti ab igne; falsissimum. n. est nō perire ab igne illum, qui se in aquas conicere queat; si enim tu (q̄ minimē tibi precor: absit enī vt tā alieno à te sim animo) vel fulmine vel puluere tormētario, vel alio casu semiustulat⁹ frigida lympha incendiū restinguere properares incassum, mali magnitudine oēm solertiā & industriā superante, vt plerumq̄ sit in huiusmodi euentibus; an non rectē ab igne periisse & interiūse dicereris; quia ignis prima & potissima perniciē causa fuisset? Deinde Auctor non dicit, *consumptum esse ab igne*, vt tu calumniaris, & licet id dixisset, verē id dixisset; sed ait, Iuuenē illum prius ab incēdio illo ambustū, cum se in aquas coniecisset; & mortē quā fugiebat inuenisse, & breui consumptum esse.

Pone nō nihil, Misene, peccus illud calumniarum tā fecundū. Rectis oculis, nō calumniatoriis, Ribadeneirę verba inspice, & vel serō subque finē libri tui honestas in p̄cordia redeat. Pudeat te tantarū criminatiōnū & Sycophātiarum. Igne an aqua Iuuenis ille perierit, post illusionē illā in Ignatium; parum refert, dummodō cōstet periisse, Deumq̄ iniuriā Seruo suo illatā,

tam atroci supplicio vltum esse. Sed ne sic quidē persuadebis tibi verum esse, q̄ Auctor testatur. Credo propterea, quia metuis ne idē tibi eueniat. Si enim tā grauē p̄nam Deus à petulante Iuuenē repetiit ob cōiiciū illud in Ignatium proccaciter iactū; quas p̄nas, vel in hac vel in altera vita, Deum à te repetiturum nō formidares; si hanc historiā verā esse crederes? à te, in quā, quā Ignatium petulantissimē & flagitiosissimē per summas calumnias toto hoc libro traduxisti; Ignatiū, qui nullo verbulo te vnquā offendit; qui ex hac vita ad alterā translatus est, fortē antequā nascereris. Nec Ignatium modo, sed & Ribadeneirā, qui toti Italię & Hispanię ob eruditionis & virtutis opinionē venerationē est; & in his duob⁹ oēs illos, q̄ in Societate Iesu degūt, Quod si argumētis egisses & rationib⁹, vt homo; nō meris cōiiciis & insanis clamorib⁹, vt canis furiosus, veniā meruisses, quia cogitare potuissimus, te instrui & doceri velle, eaq̄ de causa argumēta & rationes illas in medium adduxisse. Nunc cum vnicum finē tibi p̄posueris calumniari & cōiiciari, quis patiens & cōmodus tantā impotentis & impudentis linguę intemperantiam ferat?

Sed cetera videamus. Ait Auctor. Mihi secūdō grauissimē egrotāti in morbū me tertid relapsurū p̄dixit: *Egregium vaticiniū*, inquit Misenus, *quod à quouis Medico peti potest*. Si Medici poterāt id p̄dicere Ribadeneirę, q̄ p̄dixit Ignatius, qui fit quod nullus Medicus p̄dixit, Ignatius p̄dixit? Non nego, Medicos ex p̄scripto artis quēdā p̄dicere posse, sed eo modo quo Astronomus, quādam alioqui fortuita, vt pluuias, niues, tonitrua p̄dicit, artis suę p̄cepta

secutus, & eo modo, quo tu prædixiffes Lazaro  
iam iam refuscitato, eum iterum moriturū esse.  
At Ignatius non fuit aut Hippocratis aut Galeni  
discipulus, nec fuit eiusmodi præsentio illa, quæ  
sub Medici alicuius scientiâ caderet. *Simile, in-*  
*quis, quod sequitur; P. Iacobo Laines prænunciatur,*  
*illum, se mortuo, futurū Societatis Præpositū.* Num &  
hoc Medici prædicere possunt, Misene, quia, vt tu  
ais, priori prædictioni hæc est similis? Si id cognos-  
cunt, qua via cognoscunt, tactum an aspectu?  
Velim tamè planius explices, vndenam Ignatius  
cognouerit Lainè fore suum successorē, si id di-  
uinitus nō intellexit; neq. n. ipse successorē sibi  
substituēdi potestati habebat, neq. scire huma-  
no modo potuit, quidnā, se mortuo, acturi essēt  
illi, ad quos ius Generalis creādi spectabat, cum  
eo tēpore, quo Ignatius obiit, Societas, nō solius  
Romanæ vrbs ambitu cōtineretur, sed per ple-  
rasq. Christiani orbis prouincias iā propagata  
esset; vt p. inde Ignatius minimè potuerit explo-  
rare, quænā esset omnium voluntas de successore  
sublegēdo. Restat ergo, vt id cognouerit diuino  
instinctu, prædixeritq. cœlesti impulsu: quā glo-  
riam prophetiæ, tam hac præsentione, quā aliis  
nō paucis probatam, inuides tu Ignatio, vt olim  
Celsus vaticinandi gratiā Christo. *Accusat, inquit*  
*Origenes, discipulos, quasi sinxerint præscisse illū &*  
*prædixisse omnia, quæcūq. sibi acciderūt.* Imo præ-  
dictionē Christi de proditione Iudæ, de negatio-  
ne Petri, de scandalo & fuga discipulorū: iisdem  
planè conuicijs proscindebat Celsus, quibus tu  
prædictiones Ignatij laceras, vt intelliges, si Ori-  
genem legere velis, quod num suadeam an dis-  
suadeā, ambigo; citius enim Celsus affricabit tibi

Orig. lib.  
2. contra  
Celsum.

tante

tanto calumniatori nouas calūnias, quàm Ori-  
genes responsa sua tibi persuadeat: capaciorem  
enim, conuiciandi exercitatione & vsu, fecisti a-  
nimum tuum mendacij & impudentiæ, quàm  
veritatis & modestiæ.

Ridet deinde Misenus dicta & monita quæ-  
dam Ignatij, non quia friuola, sed quia prius ab  
aliis dicta & tradita. Sed iam suprâ respondi, eodē  
iure rideri posse Scriptores Canonicos, quo-  
rum posteriores easdē aliquādo sententias pro-  
ferunt, quas priores. Et vt hos omittamus, ride-  
re poterit sanctos Patres, qui eadem sapissimè  
monita, & bene viuendi præcepta præscribunt.  
Ridere poterit prophanos Scriptores, nomina-  
tim Virgilium, qui plura dicit, quæ prius dixerat  
Homerus & Theocritus; Ciceronem, qui sentē-  
tias Demosthenis & aliorum sæpe vsurpat; nec  
existit hætenus, qui id eis vitio verterit. Solus  
Misenus tam liuidam mentem habet, vt quæ in  
aliis laudat, in Ignatio vituperet. Quod autem  
Ribadeneira scribit, Ignatiū docuisse, vitandam  
esse familiaritatem omnium mulierū, id vt in-  
tactum præteriret, à se impetrare non valuit. Di-  
ctum feriendum fuit hoc scommate: *Offendit I-*  
*gnatium fuisse μιτρούνη; fortasse, vt Euripidem qui-*  
*dam dixit; ἀλλ' οὐκ ἐν γὰρ κλίβω.* Græco velo velas tur-  
pitudinem tuæ mentis, cumque Ignatij casti-  
tatem appetere directè nequeas, auersus tamen  
& oblique telis & sarcasmis eam impetis; nec of-  
fendis, quis sit Ignatius, sed quis tu & tui simi-  
les, de quibus Hieremias Deum alloquens: *Pro-*  
*pè es tu ori eorum;* quia verbum Domini perpetuò  
in ore habetis; & *longè à renibus eorū;* quia nihil

Hier. 12.

S. Hier. li.  
2. contra  
Iouin.

minus vobis charum & gratum est, quàm castitas & continentia. In auariis vestris non turtures, sed vipera nutriuntur, quæ tota foetida voluptatis lustra circumuolent, vt sanctus Hieronymus de Ioviniano dixit, & vt idem ait: In castris vestris habitis Amazonas exerta mæma, & nudo brachio, & genu venientes contra se viros ad pugnam libidinum provocantes. verissimi Parides *ὑποκομαεῖς* in foro, choro, & thoro, vno verbo, vbique.

Capit duo decimum est de vigilantia & sollicitudine Ignatij. Obmuruir hic Misenus ferè præter solitum, tantùm addit, non esse cùriose inquirendum, an verè dixerit Auctor, Ignatium quatuordecim horas, ieiunum expectasse, cum ad principem quendam adire vellet. Improbabile hoc tibi videtur, quia vires tuas, vel si non vires, certè morem superat. Theodoretus scripturus sanctorum Patrum historiam, his verbis lectorem est affatus. Rogo eos, qui in hanc religiosam inciderint historiam, ne eis, quæ dicuntur, minus credant, si quid audiant, quòd eorum vires superet, nec ex se illorum virtutem meriantur, sed apertè sciant, quòd eorum animis Deus desuper meretur dona sancti Spiritus, & maiora largitur perfectioribus. Hanc Theodoretì admonitionem si secutus fuisses, plurimas calumnias intra pectus tuum seculas oppressisses. Sed cum Caluinista sis, hoc est, sectator sectæ, cui Ceres & Bacchus, duo maxima Numina, non miror te non credere, Ignatium quatuordecim horas expectasse ieiunum, quia nec Ergasilus, nec Saturio, nec

nec Artotrogus, nec Gelasimus, fratres tui, id credidissent.

Verù iam cepimus terram prospectare de Pelago, & post montes gurgitù, & spumosos fluctus, & nauim vel in sublime subuectà, vel in ima precipitè, paulatim sessis et languentib. portus aperitur. Sequitur. n. caput decimũ tertium & vltimũ, quod est de miraculis per Ignatiũ patratis. Nihil hic penit<sup>9</sup> affert Misenn<sup>9</sup>, præter paucula cõuicia iã alibi refutata; quorum vnũ; Ordine nostrũ ad ortũ et ignauitã institutũ; ac proinde nõ mirandum, si breui tẽpore multũ creuerit. Alterum; miracula Ignatij esse cõmentitia; nec aliter probat. nisi assuerãdo, verũ quia hæc iam sæpius expedita & profligata sunt, non immorabor diutius; sed totam apologiam pro Ignatij nostri vita hic concludo.

Habes ergo, Misene, scholiorũ, quæ impudenter scripsisti, refutationem, quã impudẽtius adhuc efflagitasti; nescio quo consilio, nisi quod summum quoddam impudentiæ genus videtur, nõ modò publicè, & in toti<sup>9</sup> mundi theatro mètiri; sed etiam mendaciorum accusari & conuinci velle, id quod votis omnib. exoptare. Quod Tertullianus dixit Marcioni sub finè suæ disputationis aduersus eundẽ, id ego tibi: Misereor tui, Misene, frustra à laborasti, Ignatij nomẽ honestè manet, & semp manebit, viuet æuo extẽte xui nostri decus Ignatius: illũ ager penna metucte solui fama superstes. Quid effeceris non video, nisi quod egregij calumniatoris laudem, si quæ est ea gloria, tibi comparasti; simulque libellum famosum scribendo, edendo, & euulgando, capitalis supplicij reum te fecisti ex legib. antiquis. Nam fru-

S. Hier. li.  
2. contra  
Iouin.

Tertul. lib.  
5. contra  
Marcion.

gem alterius aratro quaestam nocte pauisse; vel infame carmen proposuisse, puberi duodecim tabulis capitale fuit, nec modò duodecim tabulis, sed & legibus posterioribus Imperatorum, quarum vna his verbis continetur: *Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, siue quocunque loco ignarum repperit, aut corrumpat prius, quam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum: si verò non statim eadem chartulas vel corruperit, vel igne consumperit, sed vim earum manifestauerit, sciat se, quasi auctorem huiusmodi delicti, capitali sententia subiugandum.*

L. Si quis,  
C. de fam.  
libell.

Ex his, Misene, statue, quidnam Valentinianus & Valens, quorum hæc lex est, & Theodosius & Iustinianus Imperatores, qui eam in suos codices retulerunt; tecum egissent, & cum illis, qui chartis infamibus delectantur potius quam honestis & veracibus, si sub Imperio illorum alicuius nomē & existimationem tam atrocibus calumniis insectatus fuisses; aut si reus huius legis censeris non vis, fac quod monent Imperatores; *deser ea quæ per famosas chartas effudisti ad legitimū in Imperio, in quo degim<sup>o</sup> magistratū, si assertionib. tuæ veri fides fuerit opitulata, laudē maximam & præmiū consequeris.* Imperatorum mandato. *Si verò minimè hæc vera ostenderit,* sicut nunquam ostendes hæc vera esse, *capitali pœna,* eorūdem Imperatorum iussu, *plecteris.* Quam ego tibi non imprecor, sicut tu pro tua lenitate, Ignatio & Sociis crucem, rotam & rogam imprecaris, sed tantum demonstro, quam legem violaueris, & quid commerueris, & quæ merces te maneret,

maneret, si ad tribunal veterum Imperatorum causam dicere deberes, Fortè ab hac lege pro-uocabis ad aliam, quæ tibi & tui similibus, mitiorem pœnam decernit; & est ista: *Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine, vti de ea re agere liceret, & si condemnatus sit, qui id fecit, instabilis ex lege esse iubetur. Eadem pœna ex Senatusconsulto tenetur etiam is, qui Epigrammata (Nota hoc Misene pro Epigrammatis tuis, quæ libro famoso præmisisti) aliudue quid sine Scriptura innotam aliquorum produxerit; itera qui emendū vendendumue curauerit.* Hactenus lex, quæ mitior, quam illa ex Codice; sed est antiquior, Lex Codicis posterior; quæ vetustissimam duodecim tabularum legē renouauit. Nosti aut pœnas secundū posteriores leges decerni & infligi solere, cum posteriores leges vel abrogent vel emendent priores. *αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν ἀρχαίων εἰσίν,* inquit Modestinus Iurisconsultus. *Posterioribus constitutiones fortiores sunt prioribus.* Nec est quod exspectes vt probè, opus tuū esse libellum famosum: Vis vt probè, Solem lucere meridie tanta confinxisti de Ignatio, quanta non diceret de latrone latro, de scorto meretrice; scurra de mimo; lubet enim vti verbis S. Hieronymi contra

L. Lex Cor  
nelia. ff. de  
iniuriis.

L. 4. de  
Cōstitut.  
Principū.

S. Hier. A.  
polog. 3.  
cont. Ruff.

*Laus DEO Virginię MATRI.*

E R R A T A.

Fol. 11. ver. 18. calumniatoribus. f. 15. v. 9. id. 17.  
v. 15. tam. 24. v. antepe. totoq. 106. v. 1. dedit.  
107. v. 9. ille. 111. v. 6. immortalitate. 123. v. 26. vitæ.  
175. v. 2. hanc. 180. v. 1. cruore. 188. v. 1. sperneret.  
206. v. 1. defuerunt. 244. v. 25. traderet. 279. v. 26.  
illæ. 202. v. 6. capite. ibi. v. 22. ipsæ. 252. v. 15. fimus.  
ibi. v. vlt. dele: quibus. 362. v. 31. interlocutores.  
366. v. 16. disquirere. 392. v. 31. virgo. 417. v. 9. Plau-  
tinos. 419. v. 1. erant. 424. v. 9. transferre. 429. v. 9.  
resplenduerit. 431. v. 19. quid. 454. v. 1. adde: mul-  
torum. 461. v. 25. foetidissimas. 503. v. 5. cruciant.  
527. v. 19. dispositiones.